





Wilmanns: Königsbg 1874.

DE

LUCII VARII

ET

CASSII PARMENSIS

VITA ET CARMINIBUS

SCRIPSIT

AUGUSTUS WEICHERT.

GRIMAE

IMPENSIS JUL. MAURITII GEBHARDT.

1836.

Grimma, gedruckt in der Reimer'schen Buchdruckerei.

CHRISTIANO THEOPHILO

MUELLERO

VIRO

ILLUSTRISSIMO

ATQUE

EXCELLENTISSIMO

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI, POTENTISSIMI REGIS SAXONIAE ET CELSISSIMI PRINCIPIS CONSILIARIO ATQUE ADMINISTRO, RERUM ECCLESIASTICARUM ET SCHOLASTICARUM SUMMO MODERATORI, ORDINIS SAXONICI VIRTUTIS CIVICAE PRAEFECTO ET ORD. EQ. BORUSS. AB AQUILA RUBR. INSIGNIBUS CONDECORATO

MAECENATI LIBERALISSIMO

HUNC LIBRUM

PUBLICUM

PIETATIS ET OBSERVANTIAE MONUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

AUGUSTUS WEICHERT.

PRAEFATIO.

Quamquam edenti mihi iterum et sub prelum revocanti nonnullas Commentationes, quae inde ab aliquot annis per muneris scholastici necessitatem et officium a me scriptae ac singillatim evulgatae sunt, prompta et parata est excusatio, tralaticia illa et petita ab exemplorum jam pridem distractorum inopia et empturientium multitudine; tamen tantum abest, ea ut ego nunc utar, ut aperte ac libere profitear, me, ex quo scribi illae coeptae fuerint, earum aliquando per otium retractandarum et uno volumine edendarum consilium animo agitasse. Cujus quidem consilii caussae praecipuae fuerunt, primum quod quinque illae, quas hoc volumen complectitur, scriptiones argumento ac rebus tam propinquae et finitimae erant, ut, omissis quae omittenda essent, aliisque suppletis, in unum integrumque corpus commode redigi et sic conjunctae melius cognosci posse viderentur. Deinde argumentum ipsum, quamvis abstrusum ac reconditum, tamen ejusmodi est, ut non meminerim, me ullum ex hoc genere aliud

magis cepisse captumque tenuisse. Est autem naturae humanae proprium, ut, quibus quis ipse rebus mirifice delectetur inque eis multum studii operaeque collocaverit, earum voluptatem et fructum cum aliis communicare cupiat. Neque quemquam, qui litteras antiquas mecum amat, re cognita, mirum habebit, quî factum sit, ut in hoc potissimum argumento tractando tanta cum voluptate versarer. Agebatur de fama et quasi capite duorum poetarum Latinorum, Romae, dum vivebant, haud ignobilium. L. Varius et Cassius Parmensis erant poetae aequales, ingenio, doctrina et scriptis illustres. Sed mirabili casu accidit, ut, qui viventes eisdem litterarum studiis claruissent eorumdemque amicorum gratia et cultu floruissent, eis malignior Fortuna meritam virtutum laudem honestamque apud posteros nominis famam invideret. Itaque suavitatis nescio quid mihi afferebat, si qualicumque mea opera id efficerem, ut poetae utriusque memoria, intermortua ac propemodum deleta, instauraretur et sua cuique dignitas et laus restitueretur. Accedebat, quod, cum utriusque aetas in ea incidisset tempora, quibus non facile Roma antiqua vidit et graviora et ingeniorum magnorum feraciora, mihi de illis scribenti rerum cognitu et jucundissimarum et dignissimarum silva succrevit et aliquoties occasio oblata est

exspatiandi velut in amoenitates non intempestivas et disserendi de multis aliis, quae cum horum poetarum vita studiisque plus minus conjuncta essent. Denique quo lubentius in hoc argumento diutiusque versatus eram, hoc vehementius exoptabam, ut a Viris doctis peritisque harum rerum arbitris edocerer, utrum in hac rei litterariae Romanae parte, quae ad hoc usque tempus quam inculta neglectaque jacuerit, nemo nescit, cum pervestiganda tum illustranda operae pretium fecissem, nec ne. Jam cum istiusmodi libelli scholastici, vix inspecti a quopiam lectique, deferri soleant, ut Poeta ait,

in vicum vendentem tus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis,

et rarissime inveniant censorem navum ac diligentem, curavi, ut illam veluti bigam Commentationum de L. Vario et Cassio Parmensi unum volumen complecteretur idque sic commodius hominum eruditorum judicio subjiceretur.

His de editionis iteratae consilio praemissis, res ipsa admonet, ut de illius argumenti tractandi modo, quo usus sum, pauca dicam. Quae de utroque illo poeta apud scriptores veteres reperiuntur testimonia, ea quam pauca sint et quam dubia maximamque partem controversa, neminem esse puto qui ignoret. Ejusmodi igitur loca deserta ac senticosa cum mihi

peragranda essent et tenuia ac propemodum deleta antiquitatis vestigia persequenda, nullo pacto poteram carere divinationis adjumento. Ea tamen in re mihi videor fugisse omnem levitatem ac temeritatem, et sedulo cavisse, ne somnia fingerem neve illa, quae ex eis, quae certa erant, conjectando argumentandoque deducerem, idonea probabilitatis caussa destituta essent. At erunt fortasse, qui me Scholiastis Virgilii, Horatii aliorumque poetarum antiquis majorem quam par esset fidem adjunxisse arguant. Qua in re haud diffiteor me a superstitione, supina ista artis criticae contemptrice, pariter remotum esse atque ab acumine et fastidio eorum, qui, quidquid in illorum commentariis, laceris sane et mirum quantum interpolatis, proditum nostrae cogitandi et sentiendi rationi repugnet, id statim monachorum male doctorum ingeniolo adscribant et in nugarum futilium et commenticiarum numero ac loco habeant. Non est hujus loci ac temporis copiosius explicare, quibus adducar rationibus ita ut statuam; scribenti autem mihi de L. Vario et Cassio Parmensi Scholiastas quoque illos ad dicendum testimonium vocandos fuisse, quilibet fatebitur, quem, quanta sit in hac caussa testium paucitas, non lateat. Illorum tamen testimonio, exclusa omni credulitate, me arbitror summa cum circumspectione usum esse. Tam

pauci igitur cum essent qui pro testimonio dicerent, crebrius quam vellem locus daretur necesse erat conjecturis, perincertis utique historiae vicariis, praesertim cum fontes, ex quibus peti possent, vel nulli reperirentur vel parum illimes essent. In rebus tam antiquis et obscuris probabilia secutus sum, et si, quae similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habebo. Magnam apud me inibunt gratiam, qui certiora proferant: nemini enim meam obtrudo sententiam et facile patior, ut quis in alia omnia eat. In nonnullis etiam, quae controversa erant, locis discessionem feci a viris me doctioribus, haud veritus ne aegre id ferant, si me veri quaerendi studio ductum esse intelligent. Quae mihi vera videbantur, libere proposui, sed sine ulla arrogantia ac sine cujusquam injuria, quam ex hoc toto libro exsulare jussi. Quare non est quod ego extimescam dissentientium acerba ac sinistra judicia, imo habeo quod futurum esse sperem, ut hoc novum otii ac negotii mei opusculum aequi bonique faciant. „Nos“, inquit Cicero, cujus verba mea facere liceat, „qui sequimur probabilia, nec ultra quam id, quod verisimile occurrit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.“ Caeterum in retractandis istis libellis id operam dedi, ut verum esset Euripideum illud: *Αἱ δεύτεραί πως*

φροντίδες σοφώτεραι, et ne nihil novi in hoc volumine inveniretur, non modo passim ea, quae olim in Notis breviter attigeram, conjeci in Excursus qui dicuntur copiosius exposita et accuratius pertractata, sed etiam nonnulla adjeci nondum alias publici juris facta, ut rerum quaedam novitas illi lenocinaretur.

Reliquum est, ut meritis laudibus ornem hujus operis redemptorem, *Jul. Mauritium Gebhardt*, virum honestissimum, qui nullis pepercerit impensis, illud ut elegantia quadam ac nitore se commendaret emptoribus. Inprimis autem Lectores se mecum magnopere obstrictos esse sentient Viro Cl., M. *Lorenzio*, Collegae meo conjunctissimo, qui non solum singulari cum cura typothetis ad vitandos errores invigilaverit, sed etiam meo rogatu sibi imponi passus sit molestum taediosumque Indicum conficiendorum laborem, eumque perite et naviter profligaverit.

Scribebam in Illustri apud Grimam Moldano ipsis Idubus Decembribus a. 1835.

CONSPECTUS.

DE

LUCIO VARIO POETA.



DE
L. VARIO POETA.

§. 1.

Quotiescumque ego insignem Poetarum Latinorum, quorum opera interiere, numerum ac veluti chorum animo et cogitatione perlustravi; toties dolere subiit, quod L. Varii carmina cum omnia, tum maxime ejus Thyestem, quam cuilibet Graecarum comparari potuisse testatur auctor gravissimus, Quintilianus I. Or. Libr. X. 1. §. 98., vetustas, ista invidiosa omnium rerum humanarum confectrix, absumpsit. Haec enim tragoedia si aetatem nostram tulisset, aliquanto aequius rectiusque nos judicaturos esse arbitror de dramatica Romanorum poesi et, quae apud eos viguere, artis scenicae studiis. Nam L. Varius, contestantibus Romanarum rerum scriptoribus, dubitari nequit quin, si quis alius poetarum sub Augusto Romae viventium, in hoc carminum genere Graecorum artem ac praestantiam et aemulatus ingeniosissime et felicissime assecutus fuerit. Quo etiam factum putabimus, ut communem omnium admirationem haberet et, quam sibi antea epicis carminibus pepererat laudem haud exiguam, eam Thyeste edita et apud aequales obscuraret et apud posteros propemodum totam deleret. Neque tamen L. Varius hoc uno nomine dignus est, qui a nobis accuratius cognoscatur. Multis ille animi quoque bonis videtur

eminuisse, iisque virtutibus effecisse, ut summa apud principes civitatis viros gratia, et constanti poetarum aequalium familiaritate et amicitia floreret.

Quo igitur majori in honore et existimatione L. Varium olim fuisse novimus; eo magis dolendum est, quod, quae de ejus vita studiisque apud scriptores memoriae prodita legimus, tam pauca sunt, eaque maximam partem dubiae admodum incertaeque fidei. Nam librariorum errore paene sollemni accidit, ut nomen *Varii* in Codd. Mstis et Editt. vet. aut plane oblitteraretur, aut levius gravius depravaretur. Vix unus reperitur scriptoris alicujus locus, in quo illud integrum manserit, atque in n. *Varus, Varrus, Varro* non fuerit commutatum[1]). Si quo in loco corrupte exaratum est *Varro*, plerumque in promptu est, quid statuas, nec dubium est, quin *Varrus*, inauditum Romanis nomen, solis librariis eorumque negligentiae debeatur[2]). At vero in per-

---

1) Hanc nominum permutationem jam notarunt Viri Docti, in his Sigonius ad Livii Epitom. CX. Vol. XIV. p. 37. Dr., Gronovius ad Plinii N. H. Libr. XX. c. 25., Tzschuckius ad Eutrop. Libr. VII. c. 23. p. 402., alii, quos infra commemorabo. Hic paucas, quas illud nomen in Codd. Mstis subiit, corruptelas adjicere placet: ita ap. Ciceron. d. N. D. Libr. III. c. 33. p. 665. Mos. in aliq. Codd. *supplicioque Quartus* pro *supplicioque Q. Varius* legitur, ut olim ap. eundem Verrin. Act. II. Libr. II. c. 48. in Codd. *Quartum* vitiose scriptum exstabat pro *Q. Varium*, ut adnotavit, post Harlesium Vol. I. p. 359., Zumptius Vol. I. p. 354. In Codd. Turic. Quintiliani I. Or. Libr. VI. c. 3. §. 78. pro *L. Varo Epicureo* Spaldingius scriptum invenit *vel vareo epicurio;* in aliis Codd. *L. Varro Epicuro:* cf. ejusd. Praefat. in Quintil. Vol. II. p. VII. Neque Graeci scriptores hac corruptela immunes sunt: ita ap. Appianum B. C. Libr. I. c. 37. pro *Κόϊντον Οὐαλέριον* recte, Pighio praeeunte, *Κόϊντον Οὐάριον* correxit Schweighäuserus Vol. II. p. 54. Idem V. D. ap. Appianum Mithrid. c. 95. pro *Πλώτιός τε Οὔαρος* ex Codd. et Editt. enotavit *Βάρρων, Βάρων, Οὐάρρων.*

2) In Inscript. ap. Gruterum p. MXCIX. 6., ubi *Varrus* ex-

multis scriptorum locis, qui hujuscemodi corruptelam passi sunt, valde ambiguum est, utrum *Varii*, an *Vari* cujusdam nomen latere putes, praesertim quum ea ipsa, qua *L. Varium* poetam floruisse scimus, aetate multi vixerint *Vari*, belli pacisque artibus illustres. Haec res dici non potest quam multas habeat cautiones et quantis errandi periculis exponat eum, qui de hoc poeta scripturus est. Accedit, quod, quae de Varis, Varii aequalibus, apud scriptores passim leguntur, non minorem habent obscuritatem ac dubitationem[3]).

Nihilo tamen secius, quam multis abhinc annis dedi fidem scribendi de *L. Vario Poeta*, eam, ne dives esse videar promissis, jam exsolvere, et illius clarissimi hominis memoriae hac qualicumque scriptione consulere apud animum constitui, ipsius rei difficultate non tam deterritus, quam invitatus. Verissime enim alicubi Plinius „*Nullum*, inquit, *ma-*

---

aratum est, simul varians notatur lectio *Varus*, ut monuit jam Osannus ad Apulej. d. Orthogr. §. 43. p. 68. — L. Gyraldus Dial. IV. d. Poet. p. 158. Opp. (Basil. 1580.) mirum quantopere his in nominibus turbaverit. Amicum Virgilii et Horatii distinguit a *Lucio Varro* (sic!), poeta et Grammatico, Virgilii haerede et Aeneidos emendatore. Qui ab eo commemorantur *Vari* et distinguuntur, perpetuo *Varri* nominantur. Nisi forte haec typothetarum culpa est, quum Basileensis ista Gyraldi Operum editio, quam Thomas Guarinus curavit, typographicis erroribus inquinatissima sit, ut jam notavit Broukhusius ad Propert. Libr. I. 4. v. 1. cf. Freytagii Apparat. Litter. T. III. p. 443. Istam nominis formam *Varrus* injuria defendit Ev. Otto d. P. Alfeno Varo Cap. I. §. 3. in Thesaur. Jur. Rom. Vol. V. p. 1636. eamque vereor ut recte reposuerit Silligius in Catulli Carm. X. v. 1. p. 17. Passim n. *Varus* in Nummis scribi *Vaarus*, observavit Spanhemius d. Us. et Pr. Num. Diss. II. p. 121.

3) Quae de *Varis*, L. Varii aequalibus, disputata sunt a Viris Doctis et in disceptationem ac controversiam cadunt, ea denuo examinare et, quoad ejus fieri poterat, firmare studui in Excurs. I.

jus est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis aliquis fuerit."

Quae autem hoc de argumento diu multumque commentatus sum, ea, fateor, maximam partem ducta sunt ex conjecturis, quae in quantacumque verisimilitudine acquiescere deberent. Neque hoc quemquam, re cognita, mirum habebit. Nam scriptores, quibus satis certis auctoribus hac in caussa stari queat, admodum pauci sunt. Plerumque ad testimonium dicendum vocandi erant Grammatici et qui hodie dicuntur poetarum veterum Scholiastae, quorum fides quam sit sublesta ac dubia, nemo me melius intelligit. Neque tamen ea, quae apud eos de L. Vario relata leguntur, levi vel supercilioso cum contemptu rejeci, sed adhibui omnia et in rem meam converti, si quidem, ubi fontes adire non licet, rivulos consectari nos oportet. Sed tamen animum acriter intendi ad cavendum, ne a librariis in fraudem inducerer et, quod *Varo* cuipiam tribuendum esset, *L. Vario* Poetae, quo de agitur, adscriberem. Caeterum id quoque operam dedi, ut ne captans acuminis cujusdam laudem modestae conjecturae terminos egrederer, neve, quae collectis demum undecumque rationibus, probabiliter inventa essent, pro certis exploratisque venditarem.

In tractando autem hoc argumento eum sequi placuit rerum ordinem, ut primum in L. Varii genus, aetatem aliasque vitae res diligentius, quam a quoquam ante me factum est, inquirerem, deinde de ejus ingenio, doctrina et scriptis, tum genuinis, tum spuriis, singulatim et accurate exponerem, et denique carminum ejus, quae supersunt, reliquias collectas illustratasque proferrem, non neglectis iis, quae ante me cum alii, tum inprimis Janus Rutgersius in Le-

ction. Venusin. C. III. p. 244 — 252. (Traject. Bat. 1699.) de hoc poeta disseruerunt [4]).

§. 2.

Quemadmodum multis nobilissimorum Romanorum, ex quibus nonnulli a Plutarcho in Vit. C. Marii c. 1. commemorantur, duo tantum erant nomina; ita etiam *Lucius Varius* Poeta, de quo agimus, videtur binominis fuisse. A plerisque, qui ejus meminere, scriptoribus simplici nomine *Varius* dicitur; praenomen *Lucii* tribuunt ei Donatus in Vit. Virgilii c. XV. §. 56. et Porphyrion Scholiasta ad Horatii Libr. I. Od. 6. p. 13. (ed. Basil. 1555.). Neque ego

---

4) L. Varii poetae mentionem fecerunt plerique, qui de Romanorum litteris scripserunt, ut P. Crinitus d. Poet. Lat. Lib. III. c. 44. p. 460 sq., G. J. Vossius d. P. Lat. c. 2. p. 239. et Iustit. Poet. Libr. II. c. 14. §. 20. p. 93. Vol. III. Opp., Funccius d. viril. aet. Lat. Ling. I. c. 4. §. 17. p. 297., a quibus pendent alii, quos nominatim afferre nihil attinet. Ab his, id quod citra invidiam dixerim, praeter veterum de Vario testimonia, nihil novi prolatum est, nec fuit, qui diligentius illa examinaret. Nisi forte huc referes G. Nicol. Heerkensium Groninganum, qui L. Vario tragoediam quamdam *Tereus* inscriptam, de qua infra disputabo, in Praefat. ad *Icones.* Parisiis 1788. 8. vindicaturus, de hoc poeta ceteris copiosius exposuit. Vir iste ingeniose nugax, licet nonnulla bene monuerit sensu potius quam ratione ductus, tamen in universum magnas egit nugas, quas percensere, nedum refellere taedet pigetque. Heerkensio nunc addendus est Nicolaus Ciampittius, Italus, qui in Praefatione a. 1809. scripta et Herculanensium Voluminum Tom. II. praemissa, de Vario, ad quem Fragmenta carminis Latini de bello Actiaco sive Alexandrino, ex volumine quodam Herculanensi evulgata, communi hominum eruditorum opinione tum deferebantur, nonnulla scripsit, nec tamen quidquam, quod incognitum antea fuisset, protulit. Illa Praefatio nuperrime demum mihi innotuit repetita et nostris in terris publici juris facta ab Jo. Th. Kreyssigio, Viro amicissimo, in opusculo accuratae et amplae doctrinae plenissimo, cui titulus: *Commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum Libr. III. Fragmentis etc. atque Carminis Latini de bello Actiaco sive Alexandrino Fragmenta* etc. (Misenae 1835. 8.) p. 119 — 132.

dubito illorum Grammaticorum fidem confirmare auctoritate Macrobii Saturn. Libr. II. c. 4. p. 357. Z., quo in loco videtur certissimum esse, legi debere: *postea Lucius Varius, tragoediarum scriptor*, pro vulg. *Lucius, gravis tragoediarum scriptor:* qua lectione nihil ad sensum insulsius esse, jam alii judicaverunt [5]). Nomen *Varius* putatur esse derivatum a n. *Varus:* quae opinio sicut neutiquam infringitur diversa horum nominum prosodia, ita egregie stabilitur aliorum analogia nominum, quae collegit Sigonius de Nominibus Romanorum Cap. IV. in Graevii Thesaur. Antiq. Rom. Vol. II. p. 1970 [6]).

---

5) Vulg. *gravis* mirifice languet: nihil referebat addi, *gravis* an *lenis* fuerit ille tragoediarum scriptor. Solo praenomine veteres neminem designabant et vocabant, nisi in sermone familiari et blanditiis. Mendum indicant Codd. Msti: in Vatic. J. Rycquius Libr. I. Epist. 27. se reperisse testatur *L. Gnavius:* quae corruptela nos, praeeunte Is. Pontano, ad *L. Varium* ducit, quem h. l. intelligendum esse censuerunt etiam Heynius ad Donati Vit. Virg. c. XIV. §. 53. N. et Wielandus ad Horatii Libr. II. Epist. 1. Not. 18. p. 108. Cf. Langii Vindiciae Tr. Rom. p. 10. Alii aliter hunc Macrobii locum tentarunt; sic N. Heinsius ad Ovidii ex Pont. Libr. IV. Eleg. 16. v. 31. suspicatus est, latere nomen *L. Gracchus*, de quo poeta tragico infra Excurs. VI. dicemus. Conjectura haec Heinsiana longe praestat ei, quam Torrentius ad Suetonii Octav. c. 43. Vol. I. p. 320. ed. Burm. proposuit, legendum esse ratus: *L. Itius, gravis tragoediarum scriptor.* In Suetonii loco utique reponi debet: *praeterquam adolescentulum, L. Itium, honeste natum:* nam *ἐθνικὸν Lycium*, quod Codd. aliq. offerunt, non magis convenit ac simplex praenomen blande dictum. Caeterum *J. H. Eberhardtus,* Suecus, in libr.: *Ueber d. Zustand d. schön. Wissensch. b. d. Römern* (Altona 1801.) §. 34. *Vario* poetae tribuit *Quinti* praenomen, procul dubio in errorem inductus ab Acrone Schol. ad Horat. Libr. I. Epist. 4. v. 3., ut jam notavit ad illum libellum Kordesius in Addend. p. 187.

6) Hinc poeta ille, quem Cornelius Nepos in Vit. Attici c. 12. 4. post *Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum fuisse* dicit, dubitari nequit quin appellatus fuerit *L. Julius Calidus*, neque, ut vulgo putatur, *Calidius:* hoc enim nomen esse gentilicium, illud cognomen, ut *Thermus* Minuciorum, verissime monuit Bosius ad Cornel. Nepot. l. c. Vol. II. p. 283. ed. Bard. Cf.

Utrumque autem nomen ita differt, ut *Varius* gentile sit, contra *Varus* cognomen, quod genti *Alpheniae*, *Attiae*, *Atejae*, *Arriae*, *Cejoniae*, *Liciniae*, *Plautiae* s. *Plotiae*, *Pompejae*, *Quintiliae* et *Vibiae* apud Romanos adhaesit, ut videre licet ex Glandorpii Onomast. p. 935 [7]).

Funccius de viril. aetat. L. L. Cap. II. §. 6. p. 92. et Cap. IV. §. 16. p. 297. Alius est *M. Calidius*, orator, Ciceronis aequalis, (v. Brut. c. 79.) de quo, praeter Spaldingium ad Quintil. I. Or. Libr. X. c. 1. §. 23. Vol. IV. p. 20., fuse egit Ellendtus in Prolegom. in Cicer. Brut. p. CVII. — Caeterum de vi et significatione v. *varus* dixi in Comment. *de C. Valgio Rufo* §. 7. N. 16., quae legitur in *Poet. Latin. Vit. et Carm. Reliqq.* p. 231. sq.

7) A Glandorpio omissa est gens *Cassia*, quae huc pertinet ob *C. Cassium Varum* Cos. a. U. C. 681., qui a Triumviris proscriptus a. U. C. 711. a Minturnensibus pro latrone habitus et interfectus est, auctore Appiano B. Civ. Libr. IV. c. 28. ibiq. Schweighäuser. Vol. III. p. 832. — De gentis Vibiae *Varis* egit Ursinus ad Livii Libr. XXVI. c. 13. Vol. VIII. p. 287. Dr. Cf. Lürsenius Biblioth. Palat. p. 187. — De promiscua scriptura n. *Alphenus* et *Alfenus* copiose disseruit Ever. Otto l. c. Cap. I. §. 2. p. 1634. et posteriorem adoptavit. Illud etiam incertum, utrum nomen gentile sit scribendum *Alphenus*, an *Alphenius*: illam formam praefert Ever. Otto l. c. Cap. I. §. 1. p. 1633., hanc cum Torrentio ad Horatii Libr. I. Sat. 3. v. 130. veriorem judicat Spaldingius in Praefat. Vol. II. Quintil. p. VII., quocum ego faciundum puto. — Item dubitatur, scribendumne sit *Accius* an *Attius*? H. Cannegieterus d. Mutata Rom. Nom. Ratione (Lugd. Bat. 1724. 4.) p. 218. utramque illius nominis formam ab antiquissimis Romanis usurpatam esse dixit, a prisco praenomine *Acco* et *Atto* deductam, nec prorsus improbandas censet scripturas *Accius* et *Attius*. In eadem sententia est J. C. Orellius in Excurs. VI. ad Cicer. pro Plancio c. 24. p. 259. Cf. ejusdem Inscriptt. Cap. III. N. 1164. Schneiderus in Grammat. Lat. I. 1. p. 141. judicium suum suspendit; Osannus autem in Analect. Crit. p. 60. unice veram habet scripturam *Attius*, cui fidem faciant scriptores Graeci, ut Dionysius Halicarn. Archaeol. R. Libr. III. c. 70. et plerique ex antiquioribus Lapidibus, quos attulerit Wesselingius in Probab. c. XV. p. 120. sq. Huic perdoctae Osanni disputationi adjicienda sunt quae Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLI. c. 41. Vol. V. p. 305. et Libr. LXV. c. I. p. 441. Strz. et Tzschuckius ad Eutrop. Libr. VI. c. 23. p. 402. cl. G. Fr. Grotefendii Gr. Lat. II. §. 138. monuerunt. Scripturam *Atius*, *Atia*, *Atiani* ut in usu fuisse statuam, suadet Virgilius Aen. V. v. 568.:

§. 3.

Gentem Variam fuisse plebejam atque ignobilem, in confesso est, si quidem nemo, quod sciam, in ea exstitit, qui imagines consecutus fuerit. Qui ex scriptoribus Romanis innotuerunt nobis Varii, numero perpauci, eorum familiam ducere videtur

I) Q. Varius Sucronensis, qui propter obscurum civitatis jus cognomen *Hybridae* invenit, homo foedus et vastus, cujus mores depingit Valer. Maximus Libr. III. c. 7. 8. Is tamen dicendi facultate magnam in civitate gratiam consecutus erat, auctore Cicerone de Orat. Libr. I. c. 25. ibique Henrichsen p. 54. (Havniae 1833). Fuit tribunus plebis a. U. C. 664. ab eoque lata est lex de majestate adversus eos, quorum opera consiliove socii Italici arma contra populum Romanum sumpsissent, v. Heineccii Antiq. Jurispr. R. Libr. IV. Tit. 18. §. 47. ibique Haubold. p. 776.: qua lege postea ipse damnatus est, teste Cicerone in Brut. c. 89. §. 7. cl. c. 62. §. 2. ibi-

---

Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo:

quo in loco non assequor quid sibi voluerit Heynius in N. Critic. scribens, praeferendam sibi videri lectionem Codd.: *Ati*, ex vetere more: qui tamen sit ille mos vetus, fateor cum Phil. Wagnero me nescire, Virgilius aperte hic voluit illustrare *gentem Atiam*, ad quam Caesar Augustus per matrem pertinebat, illiusque antiquitatem tueri contra M. Antonii opprobria et obtrectationes. Proinde illius gentis originem deducit ab Atye Phrygio, cujus nomen et ipsum variatur et Ἄττις, Ἄττυς, Ἄτυς, Ἄττης, *Attis*, *Atthis*, *Atys* exaratum invenitur, ut ostenderunt Hemsterhusius ad Luciani Dial. Deor. XII. Tom. II. p. 283. Bip. et N. Heinsius ad Ovidii Fast. Libr. IV. v. 223. Utrumvis de utriusque nominis scriptura statuitur, id sane planum est, lectionem unice veram ap. Virgilium esse *Atii*, et matrem Imperatoris Augusti *Atiam*, non *Attiam* esse appellatam, licet ab Dione Cassio Libr. XLV. c. 1. Ἀττία nominetur: cf. Garatonius ad Ciceronis Philipp. III. c. 6. Vol. II. p. 26. Wdf.

que Wetzelius p. 149.[8]). Importunissimo isti homini, qui Livium Drusum ferro et Q. Metellum veneno sustulisse putabatur, sese opposuit inprimis M. Aemilius Scaurus, de quo egit Ellendtus in Prolegom. in Cicer. Brut. p. XLVI. sqq.[9]). Summo illum cruciatu periisse, cum exsul in manus sociorum incidisset, compertum habemus ex Ciceronis d. N. D. Libr. III. c. 33. Ejus mors accidit, ut ex Ciceronis Brut. c. 89. §. 7. discimus, anno Tribunatum consequente, i. e. a. U. C. 665.

II) P. Varius haud dubie negotiator vel fenerator, qui Caecilium, Attici avunculum, magna pecunia fraudare voluerat, memoratur a Cicerone ad Attic. Libr. I. Epist. 1., quae scripta est mense Quintili a. U. C. 689. Ab hoc diversus est

III) P. Varius, quem virum fortissimum atque optimum civem appellat Cicero pro Milon. c. 27., ubi Editorum quidam hunc in caussa Miloniana judicem temere suspicantur esse istum feneratorem, Caecilii fraudatorem. Caeterum pro *Q. Varium*, quae erat lectio vulgata, Garatonius p. 212. ed. Or. ex Codd. Mstis reposuit *P. Varium*[10]). Recte. Neque enim huc vocari potest

IV) Q. Varius, qui a Cicerone testis contra Verrem producitur Act. II. Libr. II. c. 48.

V) M. Varius, dux Sertorii in Hispania a. U. C. 679., missus ab hoc ad Mithridatem foederis fa-

---

8) Confer adnotationem C. Beieri ad Ciceronis Orat. Fragm. pro Scauro p. 133. sqq. et Ellendt. ad Cicer. Brut. c. 62. §. 221. p. 159.

9) Conferas etiam P. Wesselingii Observatt. Libr. I. c. 11. et Drumanni Histor. Rom. Tom. I. p. 27. sq.

10) Quot et quantas n. *Varius* uno in loco subierit corruptelas per librariorum oscitantem operam, intelligi potest ex adnotatione Peyronis ad h. l. p. 116. Orell.

ciundi caussa, teste Appiano Mithrid. c. 68. 70. et 77. ibique Schweighäuser. Vol. III. p. 631. Denique

VI) L. Varius, familiaris et compotor M. Antonii Triumviri. Perperam a Glandorpio in Onomast. p. 879., qui omnino parum diligenter *Varios* recensuit, huic *Quinti* praenomen tribuitur: nam *Lucii* praenomen nulla varietate legimus ap. Ciceron. Philipp. VIII. c. 1. Ab eodem Cicerone Philipp. XIII. c. 12. appellatur „*columen amicorum Antonii:*" et Philipp. VIII. c. 8. „*Cur autem ea legatis nostris dabat, cum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum atque arcem amicorum suorum, hominem aedilitium? si vero tum fuit aedilis, cum eum jussu Antonii in convivio servi publici ceciderunt:*" cl. Philipp. XIII. c. 12. Eumdem *L. Varium Cotylam* M. Antonius, cum M. Lepido post pugnam Mutinensem conjunctus, ad Galliae praesidium cum VI. legionibus reliquit, teste Plutarcho in Vit. Anton. c. 18. *ἓξ τάγματα λελοίπει μετὰ Οὐαρίου τινὸς τῶν συνήθων καὶ συμποτῶν, ὃν Κοτύλωνα προσηγόρευον,* de quo cognomine videsis Garatonium ad Cicer. Phil. VIII. c. 8. Vol. II. p. 266. Hic igitur L. Varius in M. Antonii familiaritate adhuc erat a. U. C. 711.

Praetereo hic alios, quorum mentio a veteribus scriptoribus injecta est, *Varios*, utqui L. Vario poeta minores natu fuerint, sicut L. Varius, vir consularis, qui sub Nerone avaritiae criminibus perculsus est, auctore Tacito Annal. Libr. XIII. c. 32. Neque enim opus est, ut hic totius gentis Variae stemma contexam, praesertim quum, qui seriori aetate vixerunt, Varii jam enumerati sint partim a Glandorpio in Onomast. p. 879., partim a Stieglitzio in libr. *Versuch einer Einrichtung antiker Münz-Sammlungen.* (Lips. 1809.) p. 114., ubi denarius

cum inscript. *VAR.* genti Variae erudite vindicatur. Illos autem omnes, quos nominatim percensui, Varios, si a Q. Vario Sucronensi discesseris, Varii poetae, de quo loquimur, aequales fuisse opinor. Neque veri est dissimile, eos omnes se invicem gentilitate contigisse. Quid? quod suspicari ausim, totius gentis, ex quo tempore ea Romae floreret, principem et caput habendum esse illum Sucronensem, quo antiquiorem neminem Variorum a veteribus Romanorum scriptoribus commemoratum invenimus. Quum vero ille Q. Varius Sucrone, Hispaniae Tarraconensis urbe, h. *Cullera,* oriundus fuerit et propter obscurum civitatis jus *Hybrida* cognominatus sit [11]); non temere mihi videor colligere, gentem Variam et peregrinam fuisse neque antiquam. Fuisse autem Sucrone *Varios,* J. Arntzenius ad S. Aurel. Victor. d. Viris Illustr. c. 72. p. 267. hac inscriptione probavit:

D. M.
L. VARIO PROCLO AN. XV.
VARIA PROCLA FILIO
PIENTISSIMO.

Haec inscriptio erat in lapide, qui in agro Valentino exstabat haud longe a porta Sucronensi, quae Valentia Sucronem ducebat, eademque reperitur, sed mutilata, in Gruteri Thesauro p. DCCXIII. 3.

§. 4.

Quum nullus veterum scriptorum, quos quidem novimus, memoriae tradiderit, quo anno natus et

11) Similiter *Persius,* ille negotiator Clazomenius, patre Graeco et matre Romana natus, appellatur *Hybrida* ab Horatio Libr. I. Satir. 7. v. 2. ubi videndus est Heindorfius p. 165. Homines ex imparibus nati parentibus sic dicti, ut docet Martialis Libr. VI. Epigr. 39.

quo mortuus sit L. Varius poeta, ejus aetas non nisi universe ab Augusti imperio et Virgilii Horatiique, quos amicos habebat, familiaritate vulgo designari solet. Nam floruisse eum eo tempore, quo post diuturnas bellorum civilium turbas totiusque reipublicae conversionem magnus excellentium hominum fuerit Romae proventus, perspicua nos docent scriptorum testimonia. At si quis id agit, ut, quo anno ille adspexerit lucem vitae, eamque ad quem usque terminum extenderit, aliaque, quae de magni alicujus viri vita rebusque scitu jucunda sunt et utilia, accurate cognoscat, is, quae huc pertinent, omnia per scriptores tenuibus ac lubricis vestigiis conquirere et probabilis conjecturae quadam felicitate utcumque supplere debet. Accedit, quod L. Varius sive consilio sive fortunae invidia numquam non privatus latuisse et ab omni honorum magistratuumque administratione remotus sibi tantum, amicis et litteris vixisse videtur: quo factum est, ut hac in quaestione nihil ferme habeas, quo pedem certo figas et justae narrationis filum exorsus reliqua commode attexas. Neque tamen prorsus despero, futurum esse, ut, scriptoribus, qui L. Varii poetae passim meminere, ex ordine chronologico in testimonium vocatis, ejus aetas aliaeque vitae res et felicius indagari et certius, quam adhuc factum est, definiri possint. Qua in re licet prae caeteris audiendus sit Horatius, L. Varii amicus et apud Maecenatem convictor, quo neminem habemus et disertiorem et locupletiorem hac in caussa testem, tamen aut in levitatis aut incuriae crimen merito incurrere mihi viderer, si alios quamvis dubiae mediocrisque fidei testes rejicerem.

Quapropter, mirantibus fortasse aliis, non dubito omnium primum, qui de L. Vario poeta testimonium dicat, producere C. Valerium Catullum, qui Carm. X. v. 1. scripsit:

Varius me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum.

Quo in loco recipiendam puto lectionem *Varius*, quam omnes A. Statii Codices et aliquot Is. Vossii libri Msti praebent pro mendoso nomine *Varrus*: quod et ipsum, si quid judico, documento esse potest, librarios in suis exemplis, quae describerent, non *Varus*, sed *Varius* reperisse. Si qui Codices Msti *Varus* offerunt, id profectum suspicor a sciolis scribis, qui, retento nomine *Varius*, metro timerent. Eadem in sententia fuit etiam Ever. Otto l. c. Cap. IV. §. 2. p. 1649. Is immemor, quanta sit in Nominum Propriorum usu veterum poetarum licentia, dicit, n. *Varius* a versu respui, neque cum Is. Vossio agnosci vult Synecphonesin, qua tamen hoc in genere nominum nihil est frequentius cum apud alios poetas, tum etiam apud Catullum, ut Carm. XIV. v. 18. ibiq. Sillig. p. 28.[12]). Haec ratio

12) Silligius apud Catullum l. c. recte ex conjectura Turnebi Advers. Libr. XII. c. 1. I. p. 226. ediderat v. 18.

Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinios,
Suffenum omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor:

ubi Lachmannus, invita Minerva, reduxit *Aquinos*. A Catullo hic perstringi *Aquinium* poetam, memoratum a Cicerone Tusc. Disput. Libr. V. c. 22., mihi persuasum est. Jam etsi apud Ciceronem quoque a Kühnero et Orellio editum est: *adhuc neminem cognovi poetam, (et mihi fuit cum Aquino amicitia,) qui sibi non optimus videretur*; tamen dubito cum Silligio in Jahnii Annal. Phil. et Paedag. Vol. XIII. 1. p. 289., num recte obsecuti fuerint nonnullorum Codicum testimonio. Nam *Aquini* nusquam commemorati inveniuntur; *Aquinii* autem plures, quos recensuit Glandor-

si displicet, superest, ut cum Osanno ad Apulej. §. 43. p. 68. in n. *Varius* anapaestum admittamus, sicut hac in versus sede tribrachum inveniri docuit Nobbius in Comment. II. d. Metris Catulli p. 11. Mihi Is. Vossii ratio potior videtur. Sed utramlibet amplecteris rationem, id videtur esse certum, nomen *Varius* in hoc Catulli loco et posse per metrum et, si Codicum auctoritatem sequaris, debere pro genuina haberi lectione.

Quae quum ita sint, utique vereor, ne frustra laboraverint, qui hic *Varum* nescio quem ex Catulli aequalibus quaerendum intelligendumque duxerunt. Quum vero plures illius aetatis *Vari* a scriptoribus commemorentur, non est quod miremur, Virorum Doctorum sententias valde inter se discrepare. Achilles Statius cogitavit de *Q. Varo,* praefecto equitum Domitii, cujus mentio fiat ab Julio Caesare d. B. C. Libr. III. c. 37.; Ant. Muretus intellexit *P. Quintilium Varum,* qui Cos. a. U. C. 741. in Germania internecivam cladem ab Arminio passus cum tribus integris legionibus periit a. U. C. 763. Hanc Mureti sententiam rationibus chronologicis impugnavit Ever. Otto l. c. Cap. IV. §. 2. p. 1649., utqui Scaligerum ad h. l. p. 35. et Turnebum in Advers. Libr. XXVII. c. 26. secutus hic intellectum voluerit *P. Alphenum Varum* Ictum, clarissimum illum Serv. Sulpicii discipulum, qui a. U. C. 755. Consul fuit, auctore Dione Cass. Libr. LV. c. 11.

---

pius in Onomast. p. 113 sq. Jam si utriusque nominis formam et originem spectaveris, memineris que eorum, quae de *Calidio* et *Alphenio* supra N. 5. et 6. admonui, ap. Ciceronem repones lect. *Aquinio* et ap. Catullum *Aquinios* tueberis. Caeterum multa alia exempla Synizeseos, qua poetae Nomina Propria versui accommodarunt, collegerunt Intpp. ad Horatii Libr. II. Sat. 7. v. 1. et Rupertius ad Juvenal. Sat. XV. v. 27. Vol. I. p. 348. ed. II.

Vol. III. p. 364. Strz. In hanc sententiam quum transiisset etiam Doeringius, accidit, ut Martyni-Laguna, Doeringianae Catulli editionis censor, in Diar. Litter. Jenens. a. 1790. N. 180. p. 716. isti interpretationi controversiam moveret his usus verbis: *„Catull war etwa ein junger Mann von* 28 *Jahren, als er Carm. X. schrieb und den Memmius* 696. (i. e. a. U. C. 697. Varr.) *nach Bithynien begleitete. Angenommen nun, dafs der Varus des Catull ohngefähr von gleichem Alter war, wie ein junger jovialischer Mann wohl seyn mufste, der einen andern zu seinem Mädchen führt; so müfste er, wenn er mit dem Alphenus Varus, der um 754. oder 755. Consul war, ein und dieselbe Person seyn soll, ohngefähr im* 86*sten Jahre das Consulat geführt haben, welches uns wenig wahrscheinlich vorkömmt.“* Consulto adscripsi Viri illius eximii verba, quibus istam de P. Alpheno Varo Icto sententiam dubiam reddidit. Nihilo tamen secius illa patronum nuper nacta est in Italia *Vinc. Lancettium* in Dissert. *di P. Alfeno Cremonese Console Romano* (Milano 1818. 8.) p. 26., qui tamen novis eam gravioribusque munire argumentis supersedit. Aliis denique in mentem hic venit *Quintilius Varus*, Cremonensis, in cujus mortem Horatius Libr. I. Odam 24. scripsit. Sed hunc etiam in Catulli amicorum contubernio fuisse ne dicamus, chronologicae rationes vetant, ut alibi videbimus [13]).

Hi omnes Viri docti, quorum sententias attuli, neque satis attendisse, neque eo, quo par erat, modo suspexisse mihi videntur Codicum et plurimorum et optimorum in n. *Varius* consensum, quem haud

---

13) De his *Varis* accuratius expositum est in Excurs. I.

parvi faciundum arbitror. Unus et, quod sciam, primus Isaacus Vossius ad Catull. p. 22. ob Codd. Mstorum testimonia suspicatus est, *L. Varium* poetam, de quo agimus, hic posse intelligi. Haec Vossiana conjectura profecto digna erat, quae accuratius examinaretur, quam factum est ab Ever. Ottone l. c. Cap. IV. §. 2. p. 1649., qui Vossium levis metachronismi insimulat, cum Varius, poeta epicus et tragicus, Catullo junior fuerit, Pollionis et Virgilii aequalis, cui etiam supervixisset. Qua in re Virum Doctum mirifice nec sine cupiditate argutari, in aprico est. Nos quoque statuimus, Varium Catullo aliquot vitae annis cessisse: at quid tandem impedit, quo minus eos familiariter conjunctos fuisse dicamus? In Is. Vossii sententiam nuperrime transiit Osannus ad Apulej. d. Orthogr. §. 43. p. 68., cujus Viri egregii consensu magnopere laetatus sum. Nam ut ego in Catulli Carmine X. *Lucium Varium* poetam invenirem, me jam dudum permovit *C. Cinnae* mentio v. 30., ubi Varius loquens inducitur:

Mane, me, inquii puellae:
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio; meus sodalis
Cinna est Gajus, is sibi paravit [14]).

---

14) In loci Catulliani lectione et interpretatione secutus sum rationem Silligii, haud immerito etiam tuentis nuper contra Lachmannum lect. Codd. *inquii* pro *inquio puellae* in Jahnii Annal. Phil. et Paedag. Vol. XIII. 1. p. 289. In eo tamen ab amico doctissimo discessi, quod praenomen Cinnae *Cajus* typis exprimendum curavi *Gajus*, ut fecere jam Lachmannus et nuperrime etiam Doeringius. Ea de re egerunt Quintilianus Inst. Or. Libr. I. 7. §. 28. ibiq. Spalding. Vol. I. p. 187. et Terentianus Maur. v. 893. ibiq. Santenius p. 35 sq., quibuscum praeter Norisii Cenotaph. Pis. Dissert. IV. c. 5. p. 475. conferenda sunt quae disputavit Conr. Schneiderus in Grammat. Lat. I. 1. p. 232 sq. et quae collegit Eckstenius ad Waltheri Tacitum de Oratt. c. 17. p. 289 sq. Ex

Quo in loco dubitari nequit quin sit intelligendus C. Helvius Cinna, nobilissimus ille scriptor Zmyrnae; quod novennis studii carmen multis laudibus effert Catullus Carm. XCV., suamque ibi cum Cinna amicitiam testatam facit, ut ostendi in Comment. de C. Helvio Cinna Poeta Cap. II. §. 1. Jam vero ejusdem Cinnae poetae contubernalis appellatur L. Varius ab Apulejo d. Orthogr. §. 43. „*Battus, jambicus poeta, Ovidii contubernalis, duplici* tt. *scribitur, de quo Varius et Cinna contubernales in suis poematis meminere.*"[15]) Ibidem §. 58. „*Varius Cinnae contubernalis in primo poemate.*" In utroque Apuleji loco relictum ab Ang. Majo mendum „*Varus*" jure sustulit Osannus. Hoc Apuleji testimonium de Varii et Cinnae contubernio, quantulicumque pretii aliis fortasse videatur, equidem ob locum Virgilii Eclog. IX. v. 35. minime rejiciendum arbitror. Apulejus enim haud dubie auctores hac in re secutus est antiquos et fide dignissimos. Inde autem liquet, quam consequens sit ac consentaneum

---

illorum praecepto nomina *Gajus* et *Gnaeus* scribi pronuntiarique debent, si ponantur integra; sin siglis et notis, non nisi litteris *C.* et *Cn.* exaranda sunt, ut docuerunt pluribus etiam Sigonius in Graevii Thesaur. Vol. II. p. 1959. et 2025. et Perizonius in Animadv. Histor. Cap. VII. p. 297 sq. cf. Odofr. Müllerus in Böttigeri *Archaeologie und Kunst.* Vol. I. 1. p. 82. At illud passim neglectum esse ab artificibus et scribis, adnotavit jam Schneiderus laudans ex Nahmmacheri Comment. de Litt. Rom. Sect. II. c. 5. p. 180. nummum, in quo reperitur *G. Caesar Germanicus.* Sic Just. Fontaninus Histor. Litter. Aquilejens. Libr. I. c. 1. §. 7. p. 10. praenomen *Cornelii Galli* Poetae in Cod. Hieronymi Lodovensi signatum invenit simplici littera *G.* pro *C.* ut A. Majus in Cod. Vatic. Ciceronis de Republ. I. 1. enotavit *G. Duilius.* Variatur etiam in nomine Icti illius *Gajus* et *Cajus;* vid. *Zimmern* in *Gesch. d. Roem. Privatrechts* Tom. I. 1. §. 93. p. 341. Apud Catullum ut reponerem *Gajus,* me impulit etiam Codd. lectio *gravis,* quae illam scripturam fulcit.

15) Videsis Excurs. II.

cum Is. Vossio statuere, illud Catulli carmen nemini alii, nisi L. Vario poetae inscriptum esse. Atqui idem carmen summam utriusque declarat familiaritatem summumque voluntatum ac studiorum consensum: ex quo si Catullum et Varium aetate fere pares fuisse colligo, non videtur mihi verendum esse, ne quis me ea in caussa vanitatis temeritatisque accuset.

Catullus comitatus fuerat in Bithyniam C. Memmium Gemellum, qui eam provinciam sortitus Praetor obtinebat a. U. C. 697.[16]). Non multo post Catulli ex Bithynia reditum ea, quae hoc in carmine narrantur, accidisse, manifestum est ex vers 7.

Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodo se haberet
Et quonam mihi profuisset aere?

Illo tempore Catullus, cujus annum natalem, praeeunte Hieronymo in Eusebii Chron. Ol. 173. 2., cum Saxio in Onomast. Vol. I. p. 148. ponere placet a. U. C. 667., circiter triginta annos natus erat; Varium vero ut Catullo minorem natu fuisse existimemus, totius carminis ratio et argumentum suadere mihi videtur. Jam licet difficillimum sit, annum alicujus natalem sine testibus dare; tamen, rerum temporumque rationibus accurate subductis, non longe a vero aberrare nobis videmur, quum L. Varium, si non pluribus, certe quinque annis juniorem fuisse dicimus, quam Catullum, ejus familiarem. Atque ut sit, unde progressi et veterum scriptorum de Vario testimonia deinceps secuti reli-

---

16) Conferas Pighii Annales Vol. III. p. 376. Huic C. Memmio Gemello, poeticis quoque studiis nobili, inscripsit Lucretius carmen suum; videsis A. Forbigeri Comment. *d. Lucretii Cari carmine.* Lipsiae 1824. p. 13. N. 11.

quum vitae ejus cursum commodius persequamur, licebit pro certo statuamus, natum eum esse C. Mario et Cn. Papirio Carbone III. Coss. a. U. C. 672., ita ut sexennio et amplius major natu fuerit C. Asinio Pollione, qui vitae lucem adspexit a. U. C. 678.

§. 5.

Hanc temporis annique natalis rationem amplexi ultro intelligimus, L. Varium aetate multo grandiorem fuisse Virgilio et Horatio, quibuscum eum ad vitae usque finem amicissime vixisse novimus. Nam illo tempore, quo Varium Catulli familiaritate et amicitia usum esse vidimus, i. e. a. U. C. 698., poeta Mantuanus juvenis erat quatuordecim annorum et Venusinus puer adhuc octennis. Haec aetatis ratio et annorum distantia, quam Varium inter et Virgilium Horatiumque intercessisse conjectura ducti ponimus, mirifice juvatur utriusque poetae testimoniis.

Nam Virgilius, quem primum audire par est, Ecloga IX., assumpta Lycidae pastoris persona, suum poeseos amorem suumque, quo flagret, canendi studium professus modeste subjicit v. 35.

Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Tametsi Codices Msti hoc in loco constanter praebent *Varo*, quod nomen sine dubio librariis ex v. 26. recenti adhuc erat memoria; tamen dubium esse nequit, quin n. *Vario* verissima conjectura ediderint Egnatius et Naugerius, quibuscum fecit G. J. Vossius Instit. Poet. Libr. II. c. 14. §. 20. p. 93. Vol. III. Opp. itemque Heerkensius in Praef. *ad Ico-*

nes p. 49. Eos injuria deseruit P. Manutius, effecitque, ut ad nostram usque memoriam h. l. *Varo* legeretur. Sed *Varii* nomen merito reposuit Heynius et scite monuit, ob Cinnam requiri mentionem poetae alicujus, quocum ille componatur; Varum autem, cujus mentio praecesserit, non carminibus, sed militia clarum fuisse. Res profecto tam manifesta est, ut satis mirari nequeam, quomodo N. Heinsius, Burmannus et Brunckius, excellentissimi illi Viri, hunc librariorum errorem potuerint retinere ac secure propagare. Codicum enim in depravata hujus nominis scriptura consensum si forte respexerunt, multo potior iis esse debuit auctoritas Servii, qui, nisi in suo exemplo Virgilii legisset *Vario*, non potuisset ad illustrandum Virgilii locum allegare Horatii Libr. I. Od. 6.

Scriberis Vario, fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit [17]).

---

17) Hic locus multis Virorum Doctorum patuit correctionibus et disputationibus, quas videre licet in Janii Notis Crit. ad h. l. Vol. I. p. 55., reponentis Jo. Passeratii conjecturam *aliti*, praeeuntibus Lambino, Stephano et Sanadono, quibus tantum non omnes recentt. Editores accesserunt. Codices Msti plurimi eique optimi *alite* constanter praebent: id quod Bentleji hoc de loco silentium et Vanderbourgii Vol. I. p. 40. testimonium docet, qui *alite* Codicum XVIII. auctoritate inductus revocavit. De Car. Feae fide est quod dubitemus: justo parcior est in enotanda h. l. lectionis diversitate. In confesso est, Varium h. l. dici *Maeonii carminis alitem*, i. e. poetam heroicum, qui res gestas canat carmine Maeonio. Passeratii conjecturam *aliti* habere multum commendationis, non diffiteor; sed quo facilior erat calami ea in voce lapsus, eo magis mirum me habet constans librorum Mstorum consensus, quem haud parvi h. l. faciundum arbitror. Quare Codicum auctoritatem reveritus malui eam inire viam, quam nuper etiam ingressus est Jahnius in Horatii Edit. alt. p. 222., qui hunc locum iis adnumerandum censet, in quibus verbum passivum, si quidem de ani-

quo in loco *Varii* nomen ab omni dubitatione et corruptela tutum praestitit metri ratio: id quod jam vidit monuitque Jan. Rutgersius in Lect. Venus. c. 3. p. 251. Cf. Mitscherlichius in Argum. ad Horatii Libr. I. Odam 6. p. 80.

Certissimum igitur est, apud Virgilium Eclog. IX. v. 35. nemini alii, nisi L. Vario poetae locum esse concedendum. Atque ita hoc Virgilii testimonium, quo illum cum C. Helvio Cinna poeta conjunctum ornatumque reperimus, partim Apulejo d. Orthogr. §. 43. et 58. contubernium utriusque contestanti fidem ac veritatem adstruit, partim eis, quae de loco Catulli Carm. X. v. 30. supra disserui, haud exiguam, opinor, verisimilitudinis commendationem conciliat. Jam quum is ipse Cinna fuerit familiaris Catulli, non dubito contendere, L. Varium cum Catullo et Cinna, aetate licet senioribus, animorum studiorumque necessitudine conjunctum vixisse.

---

mante sermo sit, cum ablativo jungatur, (coll. Ruddimanni Instit. Gr. Lat. Vol. II. p. 212. St.) eamque rationem commendavit Car. Zellio in Annal. Philol. et Paedag. Vol. VII. p. 422. In hac loci expediendi ratione praeiverat jam Baxterus, nec tamen eam satis muniverat; eamdem tacite comprobarunt Bentlejus et Cuningamius, itemque expressis verbis Vanderbourgius. Sed omnium doctissime structuram *scribi Vario* pro *a Vario* adseruit Oudendorpius ad Suetonii Jul. Caes. c. 19. p. 29. et lect. *scriberis* (a) *Vario, Maeonii carminis alite*, i. e. epici carminis poeta, rejectis aliorum Interpretum opinionibus, unice veram esse contendit, et conferri jussit Drakenborchium ad Livii Libr. VI. c. 11. Vol. III. P. 2. p. 99., qui ingentem hujuscemodi exemplorum copiam congessit, quibus addas Not. Crit. Tzschuckii ad Pompon. Mel. Libr. III. c. 6. §. 2. Vol. III. P. 3. p. 157. — Vers. 3. argutantur quidam Editores, in his etiam Bentlejus, qui lectionem Mureti Var. Lect. Libr. IX. c. 7. p. 252. Wf. *Qua rem cumque* textu reposuit. Vulgatam cum Bauero ad Sanctii Minerv. T. I. p. 222. bene tuetur Kruegerus in *Untersuch. d. Latein. Sprachl.* Fasc. III. p. 445.

Si porro quaeritur, quo tempore quave occasione Virgilius in Varii notitiam amicitiamque venerit, mihi rerum temporumque momenta pensitanti videntur haec cum aliqua veritatis specie disputari posse. Num poeta Mantuanus umquam innotuerit Catullo, vehementer dubito, etiamsi hunc C. Julio Caesari superstitem fuisse cum Jos. Scaligero ad Eusebii Chron. N. MDCCCCLX. p. 154. et Is. Casaubono ad Sueton. Jul. Caes. c. 73. Vol. I. p. 151. B. statuas: quod vero mihi secus videtur[18]). Sed Vario et Cinnae illum innotuisse suspicor per C. Asinium Pollionem. Is, prout poesis studiosissimus erat, nascentem illum in agro Andino poetam duumviris illis, poetica laude jam florentibus, quibuscum ei eadem, quae cum Catullo, fuisse videtur consuetudo, haud dubie commendaverat[19]).

---

18) Haec a me scripta sunt ante, quam in manus pervenire posset perelegans bonaeque frugis plenissimus libellus: *Römische Erotik von Herm. Paldamus* (Greifsw. 1833.), in quo Vir Doctissimus p. 27. sq. iisdem, quas ego mente animoque conceperam mihique notaveram, rationibus Scaligeri sententiam impugnat et, ut mihi quidem videtur, extra omnem dubitationem ponit, Catullum minime superstitem fuisse Julio Caesari, sed circiter anno aetatis quadragesimo, h. e. a. U. C. 707. seu 708. diem supremum obiisse. Idem ostendit, Scaligerum ex Martialis Libr. IV. Epigr. 14. ad Silium Italicum, Punicorum scriptorem, v. 13.

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni,

temere collegisse, Catullo aliquam necessitudinem intercessisse cum Virgilio. Apertum enim est, Martialem ibi se conferre tantum cum Catullo, et cum Virgilio Silium, ejus imitatorem.

19) Quanti Pollionem fecerit Catullus, docet Carm. XII. v. 6.

Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum,

licet ille undecim annis minor natu esset quam poeta Veronensis. Aliud familiaritatis, quam Pollionem inter et Varium Cinnamque fuisse putamus, documentum infra proferemus.

Hoc autem vix fieri poterat ante a. U. C. 712., quo anno demum Pollio, Galliae Cisalpinae praefectus, Virgilium patrocinio suo et amore complecti, eumque ad scribenda bucolici generis carmina incitare coepit [20]). Ab eo inde tempore Varius et Cinna Virgilium, antea sibi incognitum, propter ingenii animique virtutes familiarius tractasse eumque, poetam adhuc juvenem, sui ingenii, doctrinae et magnae, quam sibi carminibus jam pepererant, gloriae admiratione implevisse videntur, ita ut ille a. U. C. 714., quo anno Eclogam IX. scripsit, tam eximiis eos ornaret laudibus. Atqui in hoc ipso Virgilii loco non tam familiaritatis et aequalitatis blanditias, quam reverentiae et admirationis modestam significationem invenio. Quis enim est, quin sentiat, tanta, quanta Virgilius h. l. de Vario et Cinna loquatur, modestia et observantia non facile solere aequalem de aequali et amicum de amico loqui, sed eum, qui suae juventutis conscius ac tenuitatis alios et annis majores et meritis gloriaque ampliores admiratione prosequatur? Itaque ego non dubito inde colligere, Virgilium ambobus illis poetis, sicut poetica laude, ita etiam vitae annis fuisse minorem. In eadem sententia est Heerkensius in Praefat. ad Icones p. XIV.; at, si Ever. Otto l. c. Cap. IV.

---

20) Secutus sum hac in re verisimillimam sententiam Jahnii in Introduct. in Virgil. p. XI., ubi probabile reddit, Virgilium ab Asinio Pollione ad Bucolica scribenda excitatum ineunte anno U. C. 712. Eclogam II. primum composuisse. Conferas etiam Spohnii Prolegom. ad Virgilii Carm. Bucol. p. 23. et 48. ed. Wagn. In his Prolegomenis Spohnius ille meus, cujus Manes pie deveneror, primas lineas rerum temporumque, quibus Ecloga quaeque a Virgilio composita sit, multa cum arte duxit. Et si quae sunt, quae majori fide et argumentis munita esse velis, sciendum est, ei per fata non licuisse summam huic scriptioni imponere manum.

§. 5. p. 1652. negat, a Virgilio usquam memoratum esse et memorari potuisse L. Varium, utqui illo fuerit junior et Aeneidos libros emendaverit, ingenue fateor, me non satis assequi ejus argumentationis vim [21]). Virgilius a. U. C. 714. Eclogam IX. scribens erat tricenarius; Varius autem, si annum ejus natalem a. U. C. 672. probabiliter assignavimus, tum XLII. annos natus erat. Neque tamen haec aetatis annorumque discrepantia impedimento erit, quo minus illum, Maroni amico superstitem, Aeneidos emendandae negotium suscepisse Grammaticis credamus.

Verum tamen, quae hactenus de L. Varii aetate disputavimus, eis, ne quid callide reticere coarguar, adversari videntur, quae de ejusdem ac Virgilii condiscipulatu apud Grammaticos relata legimus. Donatus enim in Vit. Virgilii c. XIX. §. 79. haec scripsit: „*Audivit* (n. Virgilius) *a Syrone praecepta Epicuri; cujus doctrinae socium habuit Varium.*“ Syronem Epicureum, cui operam dedisse fertur Virgilius Romae circiter a. U. C. 707., esse optimum illum virum, quo familiariter usus sit Cicero, ut ipse ait d. Fin. B. et M. Libr. II. c. 35. ibiq.

---

21) Id enim egit Ever. Otto l. c., ut eidem P. Alpheno Varo Icto, cui Eclogam VI. inscriptam esse putat, hoc honorificum Maronis testimonium addiceret. Ipse quum sentiret, de insigni quodam poeta hic cogitandum esse, addit, Alphenum Varum quoque videri carmina scripsisse, saeculo praesertim illo, quo docti passim indoctique, ut Bavius, Maevius et Anser, versus fuderint, et plures alios Ictos poesin cum jurisprudentia feliciter conjunxisse: id quod sine idonea ratione ab eo dictum esse liquet. Neque tamen idem diffitetur, veri similem etiam videri sententiam Ruaei ad Eclog. VI., qui *Quintilium Varum* a Virgilio laudari censet. Is est *Quintilius* ille, de cujus obitu Horatius ad Virgilium scripsit Libr. I. Odam 24., et de quo fusius scriptum est in Excurs. I.

Goerenz. p. 296., recte monuerunt Viri Docti. Sed quo minus *Varium* poetam Virgilii commilitonem fuisse putem, cum supra prolatae obstant rationes chronologicae, quibus Virgilium per Pollionem Vario innotuisse probabile reddidimus, tum etiam Servii testimonium ad Virgilii Eclogam VI. v. 13. *Varo* cuidam duci et praefecto militum inscriptam: „*nam vult exsequi sectam Epicuream, quam didicerant tam Virgilius quam Varus, docente Syrone, et quasi sub persona Sileni Syronem inducit loquentem.*“ Haec, quae alii in vanissimis Grammaticorum commentis referunt, equidem minime contemnenda judico. Me enim semper mirum habuit Ecloga VI., quae, licet duci et praefecto militum inscripta esset, tamen subjectum haberet argumentum ex cosmogonia et mythologia petitum: quid tandem hoc ad ducem militum, cujus gratiam et tutelam hoc carmine promereri voluit Virgilius? Si vero statuimus, poetae Mantuano Romae olim fuisse commilitium quoddam et studiorum communionem cum illo Varo, Octaviani in Gallia Cisalpina tum legato, illius argumenti tractatio minus, credo, habebit mirationis. Quapropter in Donati Vita Virgil. l. c. pro vulg. *Varium* reponendum censeo *Varum* et intelligendum *Q. Attium Varum*, de quo in Excurs. I. copiosius dictum est; sed *Varium* poetam nego umquam fuisse Virgilii condiscipulum. Nam falluntur, qui cum Donato consentire opinantur Phocam Grammaticum in Virgilii Vita v. 63.

Tum tibi Syronem, Maro, contulit ipsa magistrum
Roma potens, proceresque suos tibi junxit amicos.
Pollio, Maecenas, Varius, Cornelius ardent,
Et sibi quisque rapit, per te victurus in aevum.

Ita edidit Burmannus Sec. in Anthol. Lat. Libr. II. Epigr. 186. Vol. I. p. 369. eumque secutus est Heynius in Testim. d. Virgilio Vol. I. p. CCLVII. Burmannus intelligi hic voluit Alphenum Varum et Cornelium Gallum poetam: de hoc assentior, non item de Alpheno Varo, licet hoc quoque qualecumque Phocae testimonium ad P. Alphenum Varum Ictum cupide traxerit Ever. Otto l. c. Cap. IV. §. 2. p. 1649. At vero, ut inde ordiar, hic minime sermo est de iis, qui simul cum Virgilio Romae Syronis disciplina usi fuerint, sed de proceribus et civitatis principibus, quos Roma Virgilio adjunxerit amicos. Proinde aut magnopere fallor, aut Pollio, Maecenas et Cornelius Gallus a Phoca hic conjunguntur, quod de servandis Virgilii agris promeriti fuerant, eisque ideo non L. Varius poeta, sed Varus, ille belli dux, cui Ecloga VI. inscripta est, adjungendus erat. Qua de caussa item apud Phocam *Varus* pro vulg. *Varius* scribendum et de eodem *Q. Attio Varo* cogitandum esse arbitror.

§. 6.

Quae cum ita sint, non temere nobis videmur Virgilii condiscipulatu excludere L. Varium poetam, de cujus juventute et disciplina nihil omnino nobis constat. Id modo compertum habemus, a. U. C. 714. Varium et Virgilium sibi jam notos fuisse et familiares, ita tamen, ut hic, poeta adhuc juvenis et tenui avena modulans carmina, Varium aeque ac Cinnam, ut poetas et majores natu et praestantiores se, venerabundus suspiceret. Quaerentibus autem nobis, quo in carminum genere illos se superiores judicarit Virgilius, de Vario Scholiastae Horatii ad Libr. I. Od. 6. haec produnt: Porphyrion,

„*Fuit autem*, inquit, *L. Varius et ipse carminis, tragoediarum et eclogarum auctor, Virgilii contubernalis*[22]).“ Schol. Cruq.: „*Fuit autem Varius tragoediographus nobilis, nec non eclogarum scriptor, Horatii Virgiliique contubernalis.*“ Porphyrionis auctoritatem secutus Wernsdorfius in P. L. M. Vol. IV. P. 2. p. 804. nihil dubitat, L. Varium poetis bucolicis accensere: id quod temere factum puto. Nam ab hoc Scholiastarum testimonio si discesseris, non alibi quidquam de Varii Eclogis memoriae traditum reperias. Quapropter etiam illorum fidem merito dubius amplectitur J. H. Vossius ad Virgilii Eclog. VI. p. 288., nec mihi improbabile videtur, Scholiastas illos, quidquid est hujus testimonii, levissima conjectura duxisse ex illo, de quo cum maxime quaerimus, loco, quo Virgilius se bucolica scribentem carmina cum Vario et Cinna componit. At eam argumentandi rationem si sequimur, non absurdum foret ex Martialis Libr. VIII. Epigr. 56. v. 21.

Quid Varios Marsosque loquar ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor;

colligere, eumdem Epigrammata quoque composuisse[23]). Accedit Servii et Philargyrii silentium. hac in caussa minime rejiciendum. Nam Varius si

---

22) Sic scriptum hoc Scholium legitur in Horat. Edit. Basil. 1555. Petr. Scriverius in Testim. de vett. Tragicis et Fr. H. Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 257. referunt, Porphyrionem dare *Elegorum* pro *Eclogarum*: id ex quo fonte fluxerit, me fugit.

23) Etiam in hoc Martialis loco pro vulg. *Varos* legendum esse *Varios*, ut vidit jam Meibomius in Maecenate c. 18. p. 109., ita jure contendit Osannus ad Apulejum d. Orthogr. p. 69. Qua ratione *Varius* cum Marso h. l. componatur a poeta Bilbilitano, docui in Comment. *de Domitio Marso* §. 4. N. 17.

illo tempore scriptis Eclogis nomen et laudem adeptus fuisset, quis non permirum dicat, nihil de eis adnotatum esse ab istis Commentatoribus? Etiam de Cinnae Eclogis tacent. Neuter igitur in hoc carminum genere ingenii vires periclitatus esse videtur, ita ut Virgilius salva modestia scribere posset Eclog. VI. v. 1.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, neque erubuit silvas habitare Thalia.

Nam, etiamsi hunc locum cum J. H. Vossio ita interpretemur, ut v. *prima* indefinite dictum accipiamus[24]); tamen quilibet fatebitur, non potuisse a. U. C. 715., quo anno Ecloga VI. composita est, a Virgilio dici, suam Thaliam primum Syracusio versu ludere ausam esse, si Varius et Cinna jam anno U. C. 714., quo anno scriptam esse vidimus Eclogam IX., tantam in bucolica poesi consecuti fuissent gloriam, ut Virgilius diffideret scribere se posse Eclogas, Vario et Cinna dignas. Neque huc retulerim verba Apuleji de Orthogr. §. 58. „*Varius Cinnae contubernalis in primo poemate:*“ ubi de minoribus cogitandum arbitror poematis, quibus Varium juvenem vacasse et sublimioris spiritus carminibus praelusisse verisimile est.

Haec quum mecum reputo, in eam deducor sententiam, ut Varium in poesi bucolica quidquam scripsisse audacter negem. Et quis non videt utrumque illum poetam, Varium et Cinnam, commemoratum esse a Virgilio, non quo suas Eclogas cum Varianis et Cinnanis contenderet, sed ut, quantum

---

24) Similiter Virgilius Georg. Libr. III. v. 10.
Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas.
ibique J. H. Vossius p. 520. Cf. Prolusio I. *de Q. Horatii Flacci Epistolis* §. 4. N. 7.

sua nascentis poetae facultas adhuc abesset ab illorum, nobilium jam poetarum, praestantia verecunde declararet. Tantum enim abesse ait, ut in scribendis carminibus Varii et Cinnae virtutem aequet, atque, quae digna sint utriusque auribus, canat, ut similis sit anseri, qui canoris obstrepat oloribus: quibus verbis tecte pungi *Anserem*, malum istius aetatis poetam, docui in Comment. de C. Helvio Cinna Cap. I. §. 4.

Quae hactenus disputavi, eo spectabant, ut probarem, L. Varium poetam et aetate grandiorem et poetica laude superiorem fuisse Virgilio, eumque jam a. U. C. 714. in principibus Romanorum poetis numeratum esse. Jam quum viderimus, nihil caussae esse, ut de Eclogis, quas ediderit, cogitemus; inquirendum est, quo carminum genere in tantam, quantam ei Virgilius tribuit, laudem venerit. Hac in quaestione facem nobis praefert Macrobius, qui Saturn. Libr. VI. c. 2. p. 585. Z. adnotavit, Varii esse versum octogesimum octavum Eclogae VIII., quem Virgilius ex illius carmine *de Morte* mutuum sumpserit. Atqui haec Ecloga quum unanimi fere Virorum Doctorum consensu [25]) per autumnum a. U. C. 715. scripta et C. Asinio Pollioni,

---

25) Heynius in Virgilii Vit. per annos dig. a. U. C. 714. Vol. I. p. CIX. hanc Eclogam Pollioni in Parthinos proficiscenti missam, ideoque per autumnum a. U. C. 714. compositam esse contendit contra Ruaeum, qui eam in Pollionis reditu scriptam putabat. Cum Heynio facit Thorbeckius *de C. Asinii Pollionis Vit. et Stud.* p. 31. Sed Ruaei sententiam denuo examinavit confirmavitque J. H. Vossius p. 591. sq., eamque probavit etiam Jahnius in Introd. in Virgil. p. XIX. cf. Spohnius in Prolegomenis p. 48., ubi novis illa argumentis communita est. — Asinius Pollio ex illa expeditione Illyrica rediit mense Octobri et a. d. VIII. Kal. Novembr. a. U. C. 715. triumphavit: cf. Thorbeckius l. c. p. 33.

redeunti de Parthinis victori, missa sit; consequens est, ut illud Varii carmen jam tum publici juris factum celebratumque esse statuamus. Et quum illud Varii poema heroicis versibus compositum fuerit; non veremur, ne conjectura fallamur, si eum epicae poesis ratione a Virgilio Eclog. IX. laudatum cum Cinna ornatumque fuisse suspicamur. Nam Varium jam ante a. U. C. 714. carmen *de Morte* edidisse, mihi quidem veri est simillimum. Mirum sane quemvis habeat necesse est illius operis inscriptio, de qua suo loco dicemus; sed quam modo cumque amplectimur de ea sententiam, fragmenta, quae supersunt, dubitare nos non sinunt, quin in eo de C. Julii Caesaris caede fuerit expositum. Id si animum advertimus, de Varii vita rebusque plurimum lucis lucramur. Virgilius enim hanc Eclogam a Pollione rogatus scripsit, ut ipse ait v. 11. et, quemadmodum hoc in carmine plures versus ex Cornelii Galli Ciri suos fecit, ut et huic ipsi rerum suarum tutori ac patrono reverentiae et admirationis sensum testatum faceret, et Pollioni, illius amico et commilitoni, gratificaretur[26]); ita mihi non dubium est, quin iisdem ductus rationibus et caussis Varii versu usus sit. Pollioni enim non poterat non blandus lectuque gratus esse versus, ex eo mutuatus carmine, quod scriptum esset in C. Julium Caesarem, a quo, ut Ciceroni scribit Libr. X. ad Divers. epist. 31., vetustissimorum familiarium loco habitus fuerat et quem summa cum pietate ac fide dilexerat. Adde, quod jam supra

26) Id acute observavit J. H. Vossius in Argum. Eclog. VIII. p. 392.: *„Auch in diese Idylle nahm Virgil mehrere Verse aus der Ciris des Gallus auf, um seine Achtung dem Freunde des Pollio und dem seinigen zu beweisen.“*

§. 5. conjectando posuimus, Varium non minus, quam Cinnam in Pollionis si non amicitia, certe gratia fuisse. Cinnae cum Pollione necessitudinem satis testatur Propempticon, quod ab eo a. U. C. 714. scriptum esse docui in Comment. de C. Helvio Cinna Cap. I. §. 3. Quidni suspicemur idem de Vario, Cinnae contubernali? Nihil dicam de aetate, qua pares fere erant; nihil de studiorum, quibus uterque deditus erat, similitudine, cum, quo non facile fortior in libera civitate reperiatur animorum conciliator, idem partium publicarum amor Pollionem et Varium junxisse junctosque tenuisse videatur. Nam sicut Pollionem Julianis partibus fidum, Pompejanis adversum fuisse novimus; ita Varium poetam quoque C. Julio Caesari ejusque caussae favisse, nonnulla sunt quae credere nos jubeant. Hoc quum dico, non ita intellectum volo, ac si Varium pariter atque ipsum Pollionem, Cornelium Gallum aliosque viros ingenio scriptisque illustres, in Dictatoris illius castris meruisse putem; sed hoc contendo, Varium mihi videri fuisse inter eos, qui C. Julium Caesarem et vivum cum admiratione amarent, et mortuum summo cum dolore deplorarent. Hoc Varii poetae in C. Julium Caesarem studium contestantur vel ea, quae scripsit Joannes Saresberiensis in Policrat. Libr. VIII. c. 14. p. 609. (Lugd. Bat. 1639.) „*Laudibus Caesareis plus Virgilius et Varius, Lucanusque adjecerunt, quam immensum illud aerarium, quo urbem et orbem spoliavit.*“ Pro vulg. *Varus* confidenter *Varius* correxi. Habet vero hic locus ambiguitatem quamdam. Virgilii et Varii mentio nos de Augusto cogitare jubet; sed obstat cum Lucani tum aerarii commemoratio, qua, quae praecedunt, ad unum C. Julium Caesarem ut refe-

ramus, paene cogimur. Neque alienum erat, Virgilium et Varium commemorari inter illius Dictatoris praecones. Virgilius enim in Divi Julii festum, quod Triumvirorum decreto d. IV. Id. Jul. a. U. C. 712. primum actum est, composuerat Eclog. V. et Caesaris, quem, prout carminis bucolici ratio ferebat, Daphnidis nomine appellavit, obitum, apotheosin et laudes cecinerat[27]). Sicut igitur Virgilius hac Ecloga animum prodit Caesaris studiosissimum, ita Varius illo, de quo loquimur, carmine declarat, quam addictus illi et vivo et mortuo fuerit et quam infensus ejus adversariis; id quod illius carminis reliquiae docent. Vehementer enim dubito, num is animum induxisset, de Julii Caesaris obitu publice queri et in ejus inimicos graviter invehi, nisi jam prius ab ejus partibus stetisset ejusque caussae favisset. Nondum enim tum temporis ita fractae prostrataeque erant Pompejanorum vires, ut omnis pristinam libertatem recuperandi spes fuisset praecisa. Id quam verum sit, documento est Horatius, qui, adversariae partis fautor, suis in Satiris per annos U. C. 713 — 716. scriptis cum alios Caesarianos aperte, tum ipsum Octavianum et Maecenatem tecte perstringebat. Itaque pro certo paene affirmaverim, illud carmen a Vario si scribi, certe evulgari non facile potuisse, priusquam pugnatum esset ad Philippos, et summa rerum ad Triumviros venisset. Pugna autem illa commissa est exeunte autumno a. U. C. 712., ut probat Norisius in Cenotaph. Pisan. Dissert. II. c. 6. p. 133. sq., ita ut cre-

---

27) Conferatur, praeter Heynium in Vit. Virgil. p. an. dig. a. U. C. 712., Jahnius in Introd. in Virgil. p. XIII. et Spohnius in Prolegomen. p. 29. sqq. cl. Phil. Wagner. ad Ecl. h. v. 66.

dibile sit, Varii carmen de Morte scriptum et editum esse per annos U. C. 713. et 714.

Conjecturae qualicumque nostrae de L. Varii poetae in Julianas partes studio favet etiam, ut jam J. H. Vossius ad Virgilii Eclog. IX. v. 35. p. 475. monuit, illud, quod is non multo post pugnam Philippensem in Maecenatis convictu fuit, tantaque apud eum polluit gratia et auctoritate, ut Horatium, Caesarianorum osorem acerrimum, cum illo patrono, quamvis offenso, conciliaret inque ejus familiaritatem adduceret. Cujus quidem rei testis locupletissimus cum sit ipse poeta Venusinus, in medium proferantur necesse est ejus carminum loci, quibus sententia mea innititur, et, quantam quisque habeat ea in caussa vim ac fidem, cum cura a me declaretur. Atqui inter omnes constat, singula Horatii carmina non eo, quo in libris scriptis editisque leguntur, ordine scripta esse atque edita. Itaque in tota hac disputatione diligenter habenda nobis est ratio temporis, quo singulum quodque, cujus testimonio uti placet, poema probabiliter compositum sit [28]). Est autem haec quaestio artissime conjuncta

---

28) Quae hac de re ante hos ipsos quinque annos *L. Varii* caussa et jam prius in Commentatione *de Iarbita Timagenis aemulatore* §. 7. p. 453. sq. strictim a me disputata sunt, eorum, ut fieri assolet in re tam disputabili et opinabili, alia alii vel approbarunt vel improbarunt. Inter eos prae caeteris commemorandi mihi sunt Duumviri doctissimi, Car. Passovius in *Dissertatione de Vita et Aetate Q. Horatii Flacci* perdocte et eleganter scripta, quam Epistolarum Horat. Editioni (Lips. 1833.) praemisit, et Car. Kirchnerus, qui nuperrime in *Quaestionibus Horatianis* (Numburgi 1834.) controversam illam rem non minori doctrina quam sagacitate tractare coepit. Quamquam uterque Vir Doctus effecit, ut nunc de nonnullis aliter sentiam quam olim; tamen in iterata hac commentationum mearum editione nihil eorum, quae illa de re scripta sunt a me, mutavi, non quod pudore quodam subrustico simplicem sententiae mutatae erroris ve confessionem per-

cum vita Poetae Venusini ejusque fatis. Quare de his nonnulla sunt praemittenda, quibus tamen commodum erit attexere, quidquid de L. Vario compertum habemus.

§. 7.

Horatius Athenis, quo haud dubie a. U. C. 709. profectus fuerat, studiorum caussa commoratus, a Marco Bruto ad arma vocatus est et, ut ipse Libr. II. Epist. 2. v. 47. ait, a belli civilis aestu ablatus pugnae ad Philippos interfuit tribunus militum, et pro patriae libertate contra M. Antonium et Caesarem Octavianum pugnavit. Pugna Philippensis duplex fuit: vid. Sueton. Aug. c. 13., Vellej. Paterc. Libr. II. c. 70. In priore praelio utraque pars et vicit et victa est, ut ait Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 46. Nam Brutus victor Octaviani castra cepit; Cassius vero ab Antonio fugatus et castris exutus in Philipporum tumulum se recepit et ex sua fortuna eventum collegae aestimans atque infelici errore delusus lacerna caput circumdedit extentamque cervicem Pindaro liberto praebuit: vid. Plutarch. in Brut. c. 43. Brutus bellum cum magno hostium detrimento per viginti dies ducens, tandem a militibus coactus iterum conflixit et, fugae initio a Cassianis facto, acie victus est: vid. Plutarch. in Brut. c. 44. Dio Cass. Libr. XLVII, c. 48. sq. et Appianus B. C. Libr. IV. c. 123. et 128. sq. Post hanc

---

horrescerem, sed quia disputationis a multis jam lectae et sive probatae sive impugnatae tenorem nolebam interrumpere. Accedit, quod iste dissensus de anno, quo hoc illudve carmen ab Horatio compositum sit, non nimis magnus est neque eam habet vim, ut constituta a nobis vitae Varianae ratio et cursus magnopere disturbetur.

cladem Brutus, militum animis ad pugnam frustra excitatis, in gladium Stratonis Aegeatae, familiaris sui, se impellens uno ictu transfixus protinus exspiravit, ut refert Plutarchus in Brut. c. 52.

Jam Bruto etiam amisso cum, Messala ducis partes detrectante, nemo amplius dubiam armorum spem tentare vellet; alii, quos acies non abstulerat, victoribus ultro se dederunt, alii manus sibi intulerunt, alii salutem fuga petierunt sic, ut vel bellum persecuturi ad Sext. Pompejum in Siciliam evaderent, vel abjectis armis domum ad suos abirent. Eorum, quos postremo loco commemoravi, in numero fuit etiam Horatius, quem recta Romam contendisse probabile est. Poeta igitur ultimae necessitati cedens cum aliis domum rediit: atque reditum quo tutiorem per hostes haberet atque expeditiorem, parmulam reliquit, cujus nullus nunc amplius usus esset. Falluntur enim, qui Horatium, abjecto scuto, ex ipsa pugna ignavum ac timidum fugisse dicunt[29]). Hunc reditum suum, quem festinaverat, poterat, salvo pudore, appellare *celerem fugam* in Libri II. Oda 7., quam Pompejo Varo cuidam, suo quondam in Bruti castris commilitoni, inscripsit[30]). Ille ipse post alterum praelium Bruto funestum fugerat ex Macedonia, sed ad bellum

---

29) Conferas Fr. Jacobsii Lectiones Venus. XV. in Script. Miscell. Tom. V. p. 325. sq. *„Auch Brutus floh, und nachdem er seine Freunde dringend ermahnt und gebeten hatte, auf ihre Rettung bedacht zu seyn, gab er sich selbst, an der Tugend verzweifelnd, mit eigner Hand den Tod. An weitern Widerstand an dieser Stelle dachte Niemand. Die Besiegten, der Führer beraubt, zerstreuten sich, und liessen, nach bildlichem Ausdrucke, das Schild zurück, weil es ihnen jetzt eine unnütze Bürde gewesen wäre.“*

30) De hoc *Pompejo Varo* exposui in Excurs. I.

persequendum in Sext. Pompeji castra transierat. Hujus igitur amici fortitudini et militiae Horatius suum reditum veluti fugam festive opponit et pulchre scribit v. 13.

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre:
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

Sospes enim et ab hostibus inviolatus Romam evaserat otium secuturus. Ista igitur fuga minime turpis fuerat. Neque etiam erat quod ipsum relictae parmulae puderet, cum eam non ex ignavia, sed prudenti ductus consilio abjecisset. Minime igitur, ut mihi quidem videtur, rem de abjecto scuto confinxit Poeta; at ea utique mente eam hic commemoravit, ut Alcaeum et Archilochum factis quoque imitatus esse videretur[31]). Istius fugae non pudendae iterum mentionem facit Libri II. Epist. 2. v. 49.

Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi, paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.

Romam videtur pervenisse anno U. C. 713. ineunte, ubi, cum patrem vita defunctum invenisset spoliatumque per belli civilis calamitates macro agello, quem Venusiae reliquerat a. U. C. 696. cum filio septenni Romam profectus, summa rerum inopia pressus vitam degebat miseram. Quibus ex vitae miseriis nulla ei alia, ut tum tempora erant, patebat emergendi via, quam ut se quocumque modo

31) Haud inscite de hac famigeratissima Horatii fuga nuper disputavit Car. Passovius in *Vit. Horat.* p. XXXIII. N. 95.

in virorum potentium gratiam insinuaret. Atque mihi illorum temporum rationem accurate consideranti et conjecturae ope persequenti vix dubium est, quin Horatius per annum U. C. 713., quem ex pugna Philippensi primum Romae transegit, aut primum in Virgilii notitiam ac consuetudinem venerit aut pristinam cum eo necessitudinem, qua jam a. U. C. 707., ubi Virgilius, ut supra §. 5. ostendimus, Romae commoratus Syroni Epicureo operam dedisse traditur, usus fuerat, renovaverit, cum Mantuanus ille eodem circiter tempore agrorum recuperandorum caussa in Urbe versaretur. Quidquid ejus conjecturae est, id saltem nemini improbabile videbitur, Horatium Romae delitescentem potuisse inaudire de Virgilio, qui ob Eclogas ab Asinio Pollione in gratiam ac tutelam receptus et per eumdem Maecenati et Caesari Octaviano commendatus amissos agros recuperavisset. Maronis igitur aut monitu aut exemplo incitatus Horatius primum cepit non tam impetum, quo natura ferebatur, quam consilium carmina scribendi, quibus, conciliato sibi nobilium virorum favore, suarum quoque rerum afflictam conditionem levaret.

Atque Horatio id consilii animo agitanti non tam Caesar Octavianus aut Maecenas, quam idem ille Pollio, Virgilii patronus, obversatus esse videtur, in cujus gratiam se insinuaret. Hanc suspicionem qualemcumque habeo quo stabiliam. Pollionis ingenium et animum ut jam dudum perspicere potuerat Horatius, ita item magni facere et admirari debuerat. At Octavianum, juvenem illo tempore non nisi calliditate et perfidia insignem nullisque dum virtutibus ingenii animique commendabilem, eumque M. Bruti victorem non poterat

quin odio haberet ejusque patrocinium aversaretur. Idem, qui erat ejus animus priscae simplicitatis ac severitatis studiosus, non magis Maecenati, solutis obambulanti tunicis, poterat favere. Cujuslibet igitur alius Romani potentis gratiam scribendis carminibus expetere studuit, quam Maecenatis aut Octaviani: id quod etiam primae, quas scripsit, Satirae perspicue nos docent. Accidit vero contra ac speraverat et fortasse optaverat, ut Maecenatis maxime patrocinio et liberalitate ex tenebris in lucem velut emersus mox beatiore frueretur vitae rerumque statu.

§. 8.

Jam si quaeritur, quo in carmine scribendo Horatius, qui se poesi natum sentiret, primum virium suarum periculum fecerit atque ediderit; nemo facile, credo, dubitabit accedere Massono in Vit. Horat. p. 69. non temere suspicanti, Satiram *septimam* Libri I. omnium, quae umquam Venusinus ille scripserit, carminum primum esse. Huic carmini, quod videtur ineunte anno U. C. 714. evulgatum esse, subjecerat rem quamdam, quae in castris Bruti Asiam provinciam pro Consule a. U. C. 711. tenentis acciderat, levem quidem, at perridiculam profecto et idoneam, in qua exponenda poeta juvenis, Lucilium aemulaturus, primum ingenii sui specimen daret[32]). Hanc Satiram sine dubio Horatius, priusquam publici juris faceret, Virgilio tradidit legendam. Is cum L. Vario, suo jam

32) Horatium in Asia ipsum fuisse, argumentis tam evidentibus et ad persuadendum accommodatis demonstravit Theod. Schmidius ad Libr. I. Epist. 11. v. 7. sqq., ut non dubium sit quin ridiculae istius rixae, quam Libr. I. Sat. 7. describit, testis fuerit αὐτόπτης. In eadem sententia est Car. Passovius in *Vit. Horat.* p. XXXII. Not. 92.

amico et apud Maecenatem convictore, eam communicavit: uterque eam probarunt. Hoc ipso demum tempore orta mihi videtur Horatii cum Vario familiaritas, i. e. a. U. C. 714., quo anno Varius circiter quadraginta annos natus fuit, Virgilius autem annum aetatis egit trigesimum primum et Horatius nondum quinque peregerat lustra. Neque etiam a vero abhorret, idem carmen, Luciliana scriptum festivitate, ad Maecenatem esse perlatum a Virgilio, ut nascentis poetae Venusini suique amici rebus quam primum consuleret. Ita Horatius Maecenati primum innotuit poeta, novum carminum genus exorsus et in vitam veluti revocans. At quum ista aetas Luciliani styli impatiens esset, non est quod miremur, si hujus generis carmen, quamvis festivum nec valde mordax, Maecenati non magnopere placuerit, neque apud eum laudando commendandoque amico quidquam profecerit Virgilius, ipse in illius principis gratia novitius.

Cum autem prima illa Satira publici facta juris incurrisset in nasutulas cum aliorum reprehensiones, tum inprimis Hermogenis Tigellii, hominis istius apud Julium Caesarem nuper gratiosissimi, Horatius vehementer exacerbatus per autumnum a. U. C. 714. scripsit Satiram *secundam*, in qua primum de Hermogenis Tigellii morte cum acerba irrisione exsultavit, deinde in depravatos aequalium mores, inprimis nobilium virorum mollitiem et adulteria tam acriter ac libere invectus est, ut nonnullos Caesaris Octaviani amicos recto, ipsumque Maecenatem ficto *Malchini* nomine pungeret[33]). Haec Satira testis est

33) Maecenatem nomine *Malchini* ab Horatio tecte perstringi, copiosius probare studui in Commentatione *de Iarbita Timagenis aemulatore* §. 7. p. 423. sqq.

admodum diserta, quam alienus illo adhuc tempore Horatius fuerit a Caesarianis, et quam parum curaverit, ut Maecenatis aut Octaviani, quem tum turpis amoris et adulteriorum infamia flagrasse scimus[34]), gratiam et patrocinium sibi pararet.

Per quos vero homines et qua via in Maecenatis, quem ab initio non tam odio, quam despicatui habuisse videtur, familiaritatem et convictum fuerit receptus, ejus rei testem habemus ipsum Poetam Libr. I. Satir. 6., ubi ad Maecenatem scribit v. 52. sqq.

Felicem dicere non hoc
Me possum, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus; —
Infans namque pudor prohibebat plura profari —
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Saturejano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca; abeo, et revocas nono post mense jubesque
Esse in amicorum numero[35]).

---

34) Octavianum in adulteriorum crimine tum temporis fuisse, testantur Suetonius c. 68. 69. et 71. et Dio Cass. Libr. LIV. c. 19. Hunc praepotentem Romae triumvirum Horatius ipsa rei turpissimae descriptione tecte carpit, sed ejus amicos, ut Cupiennium v. 36., aperte perstringit.

35) Torrentius quum tribus in libris Mstis v. 55. *Varus* reperisset, cogitavit de *P. Quintilio Varo*, qui in Germania cum tribus legionibus caesus periit. Refutavit eum jam Heindorfius ad h. l. p. 148., qui tamen non debebat commemorare *L. Varum Epicureum*, nec *Alphenum Varum*, quem h. l. intelligendum esse censet Vinc. Lancettius in libr. *Di P. Alfeno Varo Cremonese*

Quo in loco si animum advertimus ad ea, quae v. 54. scribit Horatius, se olim primum ab optimo Virgilio, et post hunc a Vario Maecenati commendatum esse; non veremur, ne conjectura fallamur, si inde colligimus, vetustiorem fuisse ejus cum Virgilio quam cum Vario necessitudinem. Quorsum enim dicit, prius Virgilium et post hunc demum Varium Maecenati dixisse, quid esset? Sed, ut jam supra monui, Virgilius vetere amicitia junctus cum Horatio primum L. Varii animum et voluntatem ei conciliaverat; deinde eum Maecenati, tradita Satira septima, commendare coeperat. Atque Horatius, cum Satiram secundam evulgasset, procul dubio ipse impedimento fuit, quo minus Maecenas, quippe quem Malchini nomen pungeret, Virgilio laudanti amicum suum commendantique faciles praeberet aures. L. Varius autem, qui primo statim illo Horatii carmine lecto haud dubie ejus amore captus est, in dies familiarior ei fieri coepit. Hinc Virgilius et Varius conjunctis precibus apud Maecenatem pro communi suo amico intercessisse videntur nullique pepercisse operae, ut suum patronum, Satirae secundae acrimonia offensum et subiratum, placarent. Igitur Varii demum intercessione et precibus Maecenas permotus est, ut mordacem istum libertini Venusini filium commodus ad se admitteret: id quod factum esse videtur circa initium a. U. C. 715. Hac ratione primum Virgilius, qui ob veterem amicitiam *optimus* appellatur, et post hunc Varius, qui utpote Caesarianus et interiore conjunctus necessitudine plurimum pollebat apud Mae-

---

Console Romano. (Milano 1818.) p. 40. — Librariorum error nullius hic est momenti, et recte jam Lambinus edidit *Varius.*

cenatem, huic male sentienti de Horatii animo persuaserunt, ut primum ei aditum concederet[36]).

Ex hac prima congressione, quam tam veris pulchrisque hic depictam legimus coloribus, tametsi Horatius abiisse videtur majoris, quam quo venerat, studii in Maecenatem plenus, neutiquam tamen desiit, quocumque poterat loco ac tempore, vellicare Caesarianos ac nonnumquam petulantius illudere. Illi, quos Satira secunda perstrinxerat, Venusinum Lucilii aemulatorem aegerrime ferebant ejusque laudi poeticae ita obtrectabant, ut illum Suessanum Auruncanum, qui primus condiderat styli nasum, potiorem dicerent ac longe praeferrent. De his insulsis pariter atque injustis indignatus judiciis scripsit Horatius per aestatem a. U. C. 715. *quartam* Satiram, in qua de carminum suorum ratione et consilio exposuit, istos Lucilii laudatores redarguit et velut aliud agens Caesarianos, in his Petillium Capitolinum, Octaviani gratia potentem, salibus perfricuit. Hanc Satiram proxime secuta est *tertia*, per hiemem anni U. C. $7\frac{15}{16}$. composita. Ex utroque carmine, perpolito et accurate scripto, quum Maecenas vidisset, Horatium in scribendo plurimum quidem et salis habere et fellis, nec minus tamen candoris, eum nono post primum congressum mense revocavit et, deposita simultate, in amicorum numero esse jussit. Hoc Virgilii et Varii potissimum opera et studio factum esse, dubitari nequit. Coepit autem Horatius esse Maecenatis convictor et fa-

---

36) Mecum consentire ea in re video Car. Passovium, qui in *Vit. Horat.* p. XXXIX. sqq. de mutua necessitudine, qua Poeta Venusinus cum Virgilio et Vario conjunctus vixerit, pulcherrime scripsit.

miliaris ineunte anno U. C. 716. Nam ejusdem anni mense Aprili, quo Maecenas ab Octaviano Brundisium missus est, ut cum M. Antonio colloqueretur, Horatius in illius comitatu erat [37]). De hoc itinere per aestatem ejusdem anni composuit Lucilii exemplum secutus Satiram *quintam*, in qua felicitatis, quam Virgilio Varioque acceptam ferebat, sensu perfusus scripsit v. 39. sqq.

Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque
Occurrunt, animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque quîs me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.

Ex quo loco simul discimus, duobus illis amicis, quibus se magnopere devinctum profitetur poeta, accessisse Plotium Tuccam [38]). Haec Satira, in qua Maecenas blande *optimus* appellatur v. 27., haud dubie majoris inter patronum illum et Horatium familiaritatis atque interioris necessitudinis exstitit conciliatrix. Quanti autem fecerit ista amicorum

---

37) Conferas Jahnii Introduct. in Virgilium p. XIX. Pax enim cum Sext. Pompejo superiore anno facta, per Menam seu Menodorum, Cn. Pompeji M. libertum, ejusque perfidiam rupta erat: cf. Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 45. sq. et Appianus B. Civ. Libr. V. c. 77 — 92. Octavianus igitur bello imminente M. Antonium, Athenis commorantem, Brundisium invitavit, teste Appiano l. c. cap. 78. Antonius venit ineunte anno U. C. 716., sed cum Octavianum ibi non inveniret, vela solvit rediitque. De caeteris Maecenatis in illo itinere comitibus accurate egit Jahnius ad h. l. v. 32. p. 256.

38) De *Plotio Tucca* quaecumque ap. scriptores veteres leguntur, collegi in Comment. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 6. p. 217. Spohnius in Prolegom. p. 48. suspicatur, Virgilium cum Plotio et Vario tum egressum esse Neapoli, quo se contulisset scripturus propediem Georgica.

cohors Varium, eumque quam tenero complexa sit amore docet v. 93.

Flentibus hic Varius discedit moestus amicis.

§. 9.

Quemadmodum studiorum similitudo Varium, Virgilium et Horatium conjunxerat, ita eosdem consiliorum in eis tractandis consensus et ratio, qua poetarum Graecorum vim et virtutem quam poterant maxime aequare connitebantur, per omnem vitam conjunctos tenebat. Erat haec triumvirorum amicitia studiorum poeticorum feracissima, neque ullius malevolae obtrectationis aut invidiae labe contacta, quam pulchre descripsit Martialis Libr. VIII. Epigr. 18.

Si tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vel mecum possis, vel prior ipse legi;
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior ut mea sit, quam tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos nosset cum superare modos.
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Quum posset Tragico fortius ore loqui.
Aurum et opes et rura frequens donabit amicus;
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Horatius ab hoc inde tempore lyricae poesi operam dare coepit. Primus Latio ostendit Parios iambos, Archilochi animos numerosque secutus, itemque Sapphus et Alcaei Musam Latinus fidicen vulgavit, ut ait Libr. I. Epist. 19. Epodos enim et lyrica carmina jam inde ab anno U. C. 716. scribi ab eo et vulgari coepta esse, singula, quae supersunt, carmina evincunt. In his lyricae poesis veluti rudimentis studuit aequalibus probare, quo

successu Latium Graeciae hac in arte laudem et praestantiam posset adaequare. Interea tamen perrexit, more Luciliano, Satiris Musaque pedestri suae aetatis vitia notare. Ita per hiemem anni U. C. $7\frac{17}{18}$. composuit Satiram *primam* Libri I., eamque Maecenati inscripsit. Haec Satira mihi omnium primum videtur esse carmen Horatii, quod patrono suo inscriptum exstare voluit publicum monumentum necessitudinis, quae biennio abhinc ipsi cum illo civitatis principe intercedebat[39]). Illam severo exaravit stylo, in eaque cum alia aequalium vitia perstrinxit, tum maxime avaritiam, a qua Maecenas, si quis alius, alienus erat.

Quo magis autem omnibus apud Maecenatem amicitiae necessitudinibus uti coepit Horatius, hoc majorem incurrebat in aliorum invidentiam, utpote cupientium illius patroni convictu frui et poetam urgentium, ut sua auctoritate apud illum intercederet ipsosque commendaret. Jam ut repelleret hujuscemodi hominum importunitatem, scripsit per vernum tempus anni U. C. 719. *nonam* Satiram Libri I., in qua, quae esset suae cum Maecenate familiaritatis ratio, exposuit ficta, ut equidem puto, narratione de homine, qui ipsum in via sacra obambulantem permolesta garrulitate paene enecaverat. Hunc hominem inter alia etiam jactantem inducit v. 23.

Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies[40]);

---

39) De Epodo *tertia*, quae prius, quam Satira prima videtur scripta esse, videsis, quae in Comment. *de Iarbita Timagenis aemulatore* §. 7. N. 42. p. 454. disserui.

40) De *Visco* illo quae sit mea sententia, exposui in Comment. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 6. p. 221. sqq.

quo loco simul blande testatum facit, quanti aestimet Varium amicum, cujus potissimum intercessione et opera factum erat, ut ea, cui invidebatur, vitae conditio ipsi obtingeret.

Quidquid otii Horatio suppetebat, id excolendae arti poeticae impendit. Pauca scripsit et summa cum cura; multa e Graecis convertit: id quod inprimis dictum volo de carminibus, in quibus amores celebrantur. Perrexit componere iambos, quibus, Archilochici fellis plenis, per illud tempus veneficam quamdam mulierem, Canidiam, exagitavit. Maecenas enim in monte Esquilino, quem acceperat, aedes condidit et hortum. In quo cum ad Priapi statuam Canidia cum Sagana veneficium exercuisset, id Satirae *octavae* Libri I. argumentum fecit, quae non multo post nonam scripta esse videtur. Serius autem exaratae sunt si non omnes in istam mulierem Epodi, certe Epodos XVII., in cujus versu 56. res respicitur illa, de qua Satiram octavam scriptam esse diximus. Haec igitur carmina, in quibus omne acerbitatis virus evomuerat, per annos U. C. 719. et 720. scripta videntur et singulatim publicata.

Haec acerbitas carminum et aucta in dies Maecenatis gratia non poterant quin multorum ei conflarent malevolentiam ipsi natalium ignobilitatem et ambitionem exprobrantium. Hujusmodi criminationes permoverunt eum, ut Satira Libri I. *sexta*, quam anno U. C. 721. ineunte scripsisse videtur, haud minori candore quam urbanitate non tantum suam ipsius vitam moresque exprimeret, sed etiam, qui esset Maecenatis in eligendis amicis animus et modus, cum summa patroni sui laude exponeret. In hoc egregio carmine, quod prudens ipsi Maecenati inscripsit, veluti in tabula depictam videbant

malevoli isti et invidi homines utriusque viri vitam nullis infucatam coloribus, quam intuentes discere poterant, quam cautus esset Maecenas in deligendis convictus sui sociis, et quam alienus ipse Horatius fuisset a prava ambitione et servili adulatione. Neque enim ipse ambierat et importune quaesierat Maecenatis gratiam, sed eam ultro sibi oblatam acceperat cum a Virgilio, tum inprimis a Vario, utqui apud illum civitatis principem et vetere amicitia et auctoritate plurimum polleret.

Horatius aliquamdiu otium secutus Maecenati et amicis videtur vixisse, et nihil respondisse obtrectatoribus, quamvis numero et audacia auctis. Jam cum sive suapte ductus voluntate sive amicorum monitis incitatus constituisset, quas adhuc scripserat Satiras, uno volumine publici juris facere, in secessu ruris sui per aestatem anni U. C. 723. Satiram *decimam* Libri I. exaravit. Hoc carmen sicut est Epilogus Libri I., ita dici haberique potest Apologia studiorum poeticorum, in quae adhuc incubuerat. Nam hac in Satira obtrectatoribus, stupidis istis Lucilii admiratoribus et novae poesis osoribus, summatim respondet, eosque acerbo cum contemptu tractat. Nihil se moveri ait insulsis istorum homuncionum vellicationibus et ineptiis, seque lubenter acquiescere in virorum, ut Pollionis, Messalae, Bibuli et Serviorum applausu, et operam tantum se daturum esse profitetur, ut sua carmina qualiacumque amicis, Plotio, Vario, Virgilio, Valgio, Octavio, Fusco et Viscis fratribus placeant. Hos inter amicos verecunde ponit etiam Maecenatem, quippe cui jam ita carus factus esset, ut eum non tam patroni, quam amici nomine appellare publice auderet. Quamquam sedatiori animo hanc

Satiram composuit, tamen, pertaesus istorum hominum obtrectationes, non ita sibi imperavit, quin e mortuis poetis Laberium, Calvum et Catullum oblique tangeret et ex vivis M. Furium Bibaculum acerbe irrideret.

Atque Horatius ut jus sibi quodam modo adsereret scribendi Satiras, frustra ab aliis tentatas, in quibus Lucilium, Satiricae apud Romanos poesis principem, acumine et facetiis aequare et arte superare studebat, commode adjecit, in quo carminum genere aequales poetae, quibuscum conjunctissime vivebat, pro suo quisque ingenio, tum maxime elaborabant. Lepide professus, se sibi tantum neque aliis, qui legant carmina audiantve, versus ludere, pergit v. 40. sqq.

Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
Eludente senem comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camoenae.

Qui locus multis de caussis dignus est qui accuratius a nobis examinetur.

Fundanium, qui hic memoratur, Meibomius in Maecenate Cap. XVIII. §. 10. unum ex Maecenatis familiaribus fuisse non temere colligit ex h. l. et Libr. II. Sat. 8., ubi idem ab Horatio inducitur describens ordinem, quo convivae cum Maecenate apud Nasidienum in epulo accubuerint v. 20.

Summus ego et prope me Viscus Thurinus, et infra,
Si memini, Varius: cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.

Praeterea de hoc Fundanio nihil quidquam alibi me-

moriae proditum legimus. Sed vel hoc unum Horatii testimonium satis docet, non ignobilem eum fuisse Comicum[41]). Neque mirum quemquam habere potest, quod inter poetas comicos ne verbo quidem ejus meminit Quintilianus, qui Asinium Pollionem quoque poetarum tragicorum numero et ordine excluserit. Nihilo tamen secius certum est atque indubitatum, a Pollione arti poeticae non illaudabilem operam navatam esse. Qua in re innitor non tam testimonio Senecae Rhetoris Suasor. II. p. 16. Bip. „*ut poeta Pollio Asinius ajebat*[42])," quam dictis Horatii et Virgilii, quorum hic Eclog. III. Menalcam pastorem inducit canentem v. 86.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.

---

41) Torrentius ad h. l. monuit, *Caji Fundanii* cujusdam sub Augusto viventis memoriam servatam esse in Numis, nihil tamen de ejus facultate poetica constare. Gentem *Fundaniam* consularem esse, probant Fasti Capitolini a. U. C. 510. Plures Fundanii memorati inveniuntur in Inscript. ap. Gruter. Ind. p. 183. Sunt qui hunc poetam comicum esse putent amicum illum Ciceronis, *C. Fundanium*, cujus mentio fiat in Libr. I. ad Q. Fr. Epist. 2. Huic autem sententiae vereor ne ratio temporis adversetur. Nam is erat socer M. Terentii Varronis, qui Fundaniam, C. Fundanii illius filiam, in matrimonio habebat: vid. de R. R. Libr. I. c. 1. §. 1. c. 2. §. 1. Atqui vehementer dubito, num Fundanius, Varronis socer, anno U. C. 723. id aetatis adhuc esse potuerit, ut unus vivorum comes garriret libellos. Fortasse poeta comicus illius filius erat: quae tamen conjectura tantidem est habenda, quanti suspicio Jahnii ad h. l. p. 261., qua is fuerit filius M. Fundanii, pro quo Cicero dixit a. U. C. 688. Nihil etiam, ariolari si placet, obstabit, quo minus statuamus, hunc Comicum esse illum *C. Fundanium* equitem, quem a Sext. Pompejo ad Caesarem transfugisse a. U. 709. narrat Auctor d. B. Hispan. c. 11. Hanc conjecturam aliquatenus firmat conjuncta Pollionis mentio, qui, ut ille, finitis belli laboribus, in otio Musis vixit.

42) Hunc Senecae locum male tentatum esse a N. Fabro, A. Schotto, Grutero, J. F. Gronovio, aliis, qui v. *poeta* vel corrigere, vel delere voluerint, docuit Thorbeckius in Comment. *de Asinii Pollionis Vit. et Studiis Doctr.* p. 127. sq.

cui Damoetas respondet v. 88.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

Haec Ecloga composita est aestate exeunte a. U. C. 712. et vix dubitari potest, quin *nova carmina* explicanda sint de tragoediis, in quibus scribendis Pollio tum temporis, provinciae licet administratione districtus, versaretur. Idem poeta Eclog. VIII., quam anno U. C. 715. scriptam esse constat, ait v. 9.

En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?

ex quo loco intelligitur, Virgilio scriptas editasque a Pollione Tragoedias jam tum innotuisse, easque ore et fama aliorum celebratas esse[43]). Neque tamen ab J. H. Vossio ad h. l. p. 396. mihi persuaderi patiar, ut omnino multas a Pollione, qui ab anno U. C. 705. continuis belli laboribus occupatus fuisset, scriptas esse Tragoedias credam, aut umquam in unum veluti corpus collectas. Id enim si factum esset, majorem utique faceret mirationem ingens Fragmentorum paucitas et altum Grammaticorum de titulis illarum silentium. Nam quae Horatius, excitaturus Pollionem, ut bellorum civilium historiam pertexat, Libr. II. Oda 1. scribit:

---

43) Male h. l. interpretatus est Servius; pejus etiam Pseudo-Servius, *Alii*, inquit, *ideo hoc de Pollione dictum volunt, quod et ipse utriusque linguae tragoediarum scriptor fuit.* Quam interpretationem nequeo satis mirari unice veram dictam esse a Thorbeckio l. c. p. 127. Quis non videt, Pollionis carmina dici *digna Sophocleo cothurno,* utquae ad Sophoclis gravitatem et sublimitatem proxime accederent?

Paulum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

ea nemo non videt blandius a Venusino poeta esse dicta, neque inde certi quid colligi posse de Pollione, multarum scriptore tragoediarum. Id tamen etiam hic locus docet, illum virum apud aequales poesis tragicae laude floruisse[44]). Haec autem Oda serius scripta est, quam Satira decima, ex qua discimus, Fundanium comoediis et Pollionem tragoediis jam anno U. C. 723. nomen et gloriam adeptos esse. At idem locus perspicue nos docet, L. Varium illo tempore epicis tantum carminibus, et Virgilium non nisi bucolicis suis poematis inclaruisse.

Quaerentibus nobis, cur Horatius quatuor illos poetas eo, quo legimus, ordine commemoraverit, diversae excogitari possunt rationes et caussae. Poterat enim aut dignitatis aut aetatis ab eo haberi ratio: ut Pollio vir consularis et rebus in bello gestis clarus, ita fortasse etiam Fundanius; contra Varius et Virgilius homines erant privati. Sed potior mihi, fateor, videtur ratio aetatis, qua grandiorem quemque praeposuerit juniori: qua suspicione qualicumque confirmatur id, quod supra §. 5. dixi, Varium Virgilio fuisse natu majorem et Pollionem Vario. Itaque fortassis Fundanius quoque Pollionem aetate antecessit.

Sed haec mittamus: id autem in aperto est, poetam Mantuanum illo anno non nisi Eclogis innotuisse, necdum Aeneidos scribendae consilium fuisse evulgatum, alioquin Horatius ejus mentionem fe-

44) Conferatur de illis Virgilii Horatiique locis Excurs. III.

cisset, ut recte censet Vanderbourgius ad Horatii Vol. I. p. 329. Quo tempore Horatius illam Satiram exarabat, Virgilius desierat Eclogas scribere, quas a. U. C. 717. uno junctas volumine ediderat, et jam intentus erat Georgicis, quae absolvisse putatur a. U. C. 724[45]). Atque hoc perpulchrum opus, quod Maroni gaudentes rure Camoenae jure adnuisse dicuntur, quin hic ab Horatio intelligatur, nemo dubitabit. At Varius eodem illo tempore ut princeps poetarum *epicorum* celebratur: nam *ut nemo* aequalium, inquit Horatius, *acer ducit forte epos.* Ostendimus autem supra §. 6., jam anno U. C. 714.

---

45) Conferatur Massonus in Jano Reserat. Sect. III. c. 1. p. 67. et Sect. III. c. 5. p. 121. et, qui totam hanc quaestionem inprimis accurate et perspicue tractavit, Jahnius in Introduct. in Virgil. p. XX. sqq. Hanc de editis Georgicis sententiam rationibus non sat idoneis impugnans J. H. Vossius ad Virgil. Georg. p. 48. et 528. sqq. in ea est sententia, ut ante annum U. C. 734. illud opus absolutum expolitumque esse neget. Mihi verisimile videtur, Virgilium de scribenda Aeneide non prius cogitasse, quam Georgica absolvisset: illud autem consilium et captum et vulgatum fuisse scimus a. U. C. 728. seu 729., quo anno Propertius Libr. II. Eleg. 25. v. 61. scripsit:

Actia Virgilium custodis littora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates.
Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis moenia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji:
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Vide Heynium in Virgil. Vit. per a. dig. ad a. U. C. 735. p. CXXV. Quae Donatus in Vit. Virgil. c. XIII. §. 50. de Georgicorum emendatione memorat, ea neutiquam a vero abhorrent, eisque facile tolli posse videntur difficultates, quas J. H. Vossius movet ex nonnullis Libri III. et IV. partibus repetitas. Illud autem certum est atque evidens, Horatio Satiram Libri I. *decimam* scribenti nihildum de Aeneide amici sui innotuisse. Contra Ovidius Amor. Libr. I. Eleg. 15., quod opus ab illo inde anno U. C. 732 — 746. compositum esse docet Jahnius in Introduct. p. 225. sq., Virgilium ob triplicis generis carmina poterat laudare v. 25.

Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

editum fuisse a Vario carmen epicum *de Morte* inscriptum; quod forte epos duxerit anno U. C. 723., id me conjectura assecutum esse puto. Ego enim suspicor, intelligendum esse Panegyricum in Caesarem Octavianum, ex quo Horatius, ut Scholiastae veteres testantur, aliquot versus mutuo sumptos Libr. I. Epistolae 16. v. 27. sqq. inseruit: unde simul patet, illud carmen jam publici juris factum fuisse a. U. C. 727.[46]).

§. 10.

De aliis, quae L. Varius scripserit, epici generis carminibus nihil certi traditum legimus. Atque apertum est, vehementer falli G. Fabricium ad Ovidii ex Pont. II. Epist. 10. v. 13., qui ex Horatii Libr. I. Oda 6. v. 2., ubi Varius *Maeonii carminis ales* appellatur, conjici posse putet, res Trojanas ab illo scriptas esse aut Homeri carmina Latine conversa[47]). Nihil enim illis verbis continetur

46) Illam enim Horatii epistolam non scriptam esse ante annum U. C. 727., discimus ex v. 29. „*Augusti laudes noscere possis.*" Octavianus *Augusti* cognomen tulit d. XVI. Kal. Febr. a. U. C. 727., auctore Dione Cass. Libr. LIII. c. 16. Kirchnerus V. Cl. in Tabul. chron. Horat. eam epistolam assignat anno U. C. 738., licet in Quaest. Hor. p. 34. candide confiteatur, externis quidem indiciis haud facile evinci posse ullam Libri I. epistolam post annum U. C. 735. scriptam esse.

47) Non diffiteor, exquisite *Varium* poetam heroicum dictum esse *Maeonii carminis alitem.* A Theocrito Idyll. VII. v. 47. poetae universe appellantur *Μοισᾶν ὄρνιχες*. Utrum Horatii haec scribentis animo obversata sit cycni, an aquilae imago, difficile dictu est. Quaeritur, volucritne cantus suavitatem, an sublimitatem declarare. Si comparaveris v. 9. *Nos — conamur, tenues grandia*; patebit, Horatium voluisse indicare carminis Variani majestatem et sublimitatem, cui se imparem esse dicit. Fortasse ei succurrebat locus Pindari Olymp. II. v. 95. B. *μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.* Attamen etiam *cycnus* inservit imagini altitudinis et subli-

nisi magna laus Varii, poetae epici, qui Homeri sublimitatem aequet, ut jam recte monuit Wernsdorfius in Poet. Lat. Min. Vol. IV. P. 2. p. 586. Et quum pergit Horatius l. c. v. 5.

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
Nec saevam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia; dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni;

his verbis nihil aliud significat, quam Agrippae laudes scribi debere a Vario, Maeonidae aemulo, se neque parem esse scribendis carminibus epicis, qualia jam scripserit Varius, neque componendae tragoediae alicui, quae *saevae domus Pelopis* mentione indicatur[48]). Nam, ait Porphyrio Scholiastes ad

---

mitatis, ut ap. Horat. Libr. IV. Od. 2. v. 25. et Libr. II. Od. 2. v. 7. sq. neque tanti est, *alitem* de aquila an de cycno hic explices: id enim liquet, Horatium utravis imagine Vario summam tribuere in poesi epica laudem. Accommodate contulit Mitscherlichius Ovidii ex Pont. Libr. III. Ep. 3. v. 31. „*Nec me Maeonio consurgere carmine, nec me Dicere magnorum passus es acta ducum.*“

48) Et Nicol. Ciampittius in Praefat. c. apud Kreyssig. p. 124. refert, esse, qui ex principio hujus Odae colligant, victoriam Actiacam quoque, quam singulari Agrippae virtute reportatam esse constat, a L. Vario celebratam esse versibus epicis. Sed recte Ciampittius, „Nos quidem,“ inquit, „si vera licet ingenue fateri, non idoneo testimonio fulciri eam sententiam existimamus. Primum enim Venusinus poeta Agrippae eo loci confirmat, Varium bellicam ipsius fortitudinem et relatas ex hoste terra marique victorias carminibus descripturum. Quis autem praestare in tanto veterum silentio poterit, Varium reapse manum operi admovisse et Caesaris Agrippaeque res gestas ingenii sui monumentis honestasse? Praeterea si quis attente illud Flacci carmen considerateque expenderit; is certe intelliget, nihil aliud sibi poetam voluisse, quam Agrippae persuadere, se, pro ingenii tenuitate, jocis, amoribus conviviisque

h. l., „*notae historiae sunt de Tantali genere, ex quo Pelops ortus, deinde Atreus et Thyestes, deinde Orestes, de quorum sceleribus Tragoedias compositas scimus, quarum stylus non nisi sublimitate fertur cui se negat hic poeta sufficere.*“ Ibidem Acron adnotavit: „*Atreum et Thyestem, a quibus diis epulae humanae carnis appositae sunt, unde et Thyestem tragoediam Varius scripsit.*“ Ab utroque pendens Scholiastes Cruq. haec scripsit: „*Notae sunt fabulae de Tantali genere, ex quo Pelops ortus est: deinde Atreus et Thyestes, postea Orestes: quorum scelera in Tragoedia descripta sunt a Vario, stylo sublimi.*“ Hanc Scholiastarum veterum narrationem et fidem merito secutus Jan. Rutgersius in Venusin. Lection. Cap. III. p. 246. monuit, ab Horatio hic significari *Thyestem*, nobilissimam illam L. Varii tragoediam.

Jam ex his evidentissimum est ac certissimum, anno U. C. 723., quo anno Satiram decimam ab Horatio scriptam esse novimus, nondum editam fuisse a Vario Thyestem, alioqui ille non Pollionem ut nobilissimum poetam tragicum, sed Varium nominasset[49]). Sed quo tempore Horatius hanc

---

concinendis unice aptum: nec magna et praeclara facinora, quae vel Caesar, vel ipse terra marique gesserat, quemadmodum rerum dignitas postulabat, posse heroico carmine celebrare: eam provinciam Vario deferendam esse, qui tanta in re poetica, maximeque in carmine epico erat praestantia, ut cum Homero, cujus vestigia sectabatur, non immerito compararetur. Ecquis autem ex hoc Venusini vatis loco colliget, Varium Octaviani bellum, quo M. Antonius victus est, persequutum reapse fuisse?“ — Nil nisi magnificam L. Varii laudem epicis partam carminibus indicari illis Horatii versibus pervidit jam Tiraboschius in *Storia litteraria d'Italia* P. III. L. 3. p. 209.

49) Philargyrius ad Virgilii Eclog. VIII. v. 10.: „*Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.*“ scribit haec: „*Asinium Pollio-*

Odam Libri I. *sextam* composuit, magnae, quam epicis carminibus dudum sibi pepererat, laudi adjecerat ille Thyeste edita illustrem tragici poetae gloriam: utroque enim nomine eum hic celebrat amicus Venusinus. Quum J. H. Vossius ad Virgilii Eclog. IX. v. 35. p. 475. dicit, eam fabulam paulo post pugnam Actiacam h. e. prid. Nonas Septembres a. U. C. 723. evulgatam esse, liquet, ejus verba non esse premenda, si quidem de tempore, quo Oda illa composita sit, non nisi hoc verisimile reddi potest, scriptam eam esse intra annos U. C. 727. et 734.[50]).

---

nem intelligit tragoediarum scriptorem; aut Varium, cujus exstat Thyestes tragoedia, omnibus tragoediis (ita leg. pro *tragicis*) *praeferenda.*" Sed de Vario vehementer fallitur. Illa Ecloga scripta est anno U. C. 715., quo ânno fortassis Vario ne in mentem quidem venerat scribere tragoediam. Rectius J. H. Vossius ad h. l. p. 396.: „*Des Varius Thyestes, welchen Quinctilian jedem der Griechen entgegensetzt, ward erst lange nachher bekannt: da ihn einige für einen Nachlass des nach der aktischen Seeschlacht ermordeten Cassius von Parma ausgeben konnten.*"

50) Satis certa temporis, quo haec Oda composita sit, indicia desunt, ut jam monuit Massonus in Vit. Horat. p. 350. Agrippam illo tempore rebus terra marique gestis illustrem jam fuisse, patet ex v. 3. sq. Cum Gallis prospere bellum gesserat Consul a. U. C. 717. et triumphi honore affectus fuerat, teste Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 49. Eodem anno eum Caesar Octavianus orae maritimae et classi apparandae praefecit contra Sext. Pompejum, quem anno sequente U. C. 718. devictum esse Agrippae potissimum virtute, tradit Dio Cass. Libr. XLIX. c. 4. Sed quominus hoc carmen ante annum U. C. 727. scriptum putem, obstat v. 10., ubi Caesar Octavianus *egregius* appellatur. Hoc nomine tam honorifico istum libertatis publicae oppressorem Horatius, M. Bruti commilito, non facile ornavit prius, quam ille a. U. C. 726., assumpto Agrippa socio, res prudenter componere et sapienter moderari coeperat: quo facto *Augusti* cognomen principio anni sequentis tulit. Accedit aliud argumentum ex fine hujus carminis repetendum, quo Poeta juvenem se prodit amoribus adhuc deditum. Atqui Libr. II. Od. 4. v. 21. Xanthiae Phoceo scripsit: *Brachia et vultum teretesque suras Integer laudo: fuge suspicari, Cujus octavum trepidavit aetas Claudere lustrum.* Clausit

Cum L. Varius ob epica carmina tam splendidis laudibus ab Horatio ornatus fuerit, mirari nos utique subit, quî factum sit, ut, si quis seriorum scriptorum mentionem ejus injecit, de hoc carminum genere aut plane tacuerit, aut unam illam Tragoediam, ut infra videbimus, cum laude commemoravérit. Quid? quod sunt, qui Varium inter illustres illius aetatis poetas prorsus silentio praetermittant. Sic, ut hoc utar, Vellejus Paterculus Libr. II. c. 36. §. 3. in enumeratione ingeniorum, „*inter quae*, inquit, *maxime nostri aevi eminent princeps carminum Virgilius Rabiriusque, et consecutus Sallustium Livius, Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui.*“ Qui quidem locus Viris Doctis non immerito suspectus fuit de lacunis vel corruptelis gravissimis. Atque inesse videntur vulnera nullo ingenio sanabilia. Quem enim non mirum teneat, ex poetis illius aevi praeteritos esse Propertium, Horatium et L. Varium, qui, si quis alius propter epica carmina conjungendus fuisse videatur cum Virgilio? Contra offendit mentio *Ra-*

---

octavum lustrum a. U. 728. Neque obstat, quod Libr. IV. Od. 1., quam, ut v. 6. doçet, annos quinquaginta natus h. e. a. U. C. 738. scripsit, queritur, sibi a Venere rursus bella moveri. Poterat Venus *diu* i. e. decennio ante *intermissa* v. 1. redire ad virum quinquagenaríum, qui tamen eam abire jubet. In Oda ad Agrippam v. 29. fatetur, se non praeter solitum levem adhuc esse et malle convivia et praelia virginum canere, quam facta ducum. Quare hoc carmen compositum videtur ante Libri I. Odam 19., ubi dicit v. 1. „*Mater saeva Cupidinum, Thebanaeque jubet me Semeles puer, Et lasciva Licentia, Finitis animum reddere amoribus;*“ et v. 9. „*In me tota ruens Venus Cyprum deseruit; nec patitur Scythas Et versis animosum equis Parthum dicere:*“ quae postrema verba non dubito referre ad signa a Parthis Augusto reddita: id quod factum est a. U. C. 734. Quae cum ita sint, non vereor, ne fallar opinans, illud carmen Agrippae inscriptum compositum esse intra annos U. C. 727. et 734.

birii, de cujus ingenio scriptisque non nisi levis ad nos fama perlata est. Hinc fuerunt, qui ejus nomen ex hoc Velleji loco exterminandum putarent. Ita Puteanus pro *Rabiriusque* legi mavult *Variusque*, et Perizonius in Epist. ad Heinsium 2. conjecit: *Horatiusque*. Puteani correctionem probat Marklandus in Epist. Crit. p. 14. Ego autem vehementer dubito, num huic loco correctionibus sit medendum. Poterat enim Vellejus suas habere rationes, ob quas omitteret illos poetas[51]). Id sane verum est, si hic Augustae domus et admirator et adulator spectasset, prout quisque illorum poetarum apud Augustum gratia plus minusve floruisset, aut hujus Imperatoris exstitisset laudator, debuisse eum praeterire Ovidium, commemorare vero Hora-

---

51) Quod Virgilio contigisse novimus, ut carmina, si non viventis adhuc, certe haud ita pridem defuncti, in scholis a Grammaticis praelegerentur, ut a Q. Caecilio Epirota factum esse legimus ap. Suetonium de Illustr. Gr. c. 16.; id num Horatio, dum in vivis erat, et per proximas deinceps aetates tributum sit honoris, valde dubito. Serius demum id factum esse videtur. Sed, licet Juvenalis Sat. VII. de misera Grammaticorum vitae conditione loquens scribat v. 225.

Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, quum totus decolor esset
Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni:

unde discimus, etiam Horatii carmina in scholis enarrata esse; tamen Quintilianus Inst. Or. Libr. I. c. 8. §. 5. valde commendans Homeri et Virgilii lectionem, cum carminis heroici sublimitate animus assurgat, et ex magnitudine rerum spiritum ducat et optimis imbuatur, subjicit §. 6. „*Utiles Tragoediae: alunt et Lyrici; si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris; nam et Graeci licenter multa, et Horatium in quibusdam nolim interpretari.*“ Neque poterant non displicere Horatii carmina, inprimis Satirae, Tiberio ejusque adulatoribus, quos inter haud ultimum locum tenet Vellejus Paterculus. Is igitur, quamvis Horatium senem de facie nosse posset puerulus, quippe natus a. U. C. 735., ut Dodwellus in Annal. Vellej. §. 8. docuit, hunc sive communi quodam contemptu sive animi quadam a lyricis et satiricis carminibus alienatione ductus omisisse censendus est.

tium et omnium maxime Varium, quem novimus Panegyrico celebrasse Augustum ejusque avunculum majorem, C. Julium Caesarem, singulari carmine deplorasse. Thomas Crenius ad Casauboni de Satyrica Graec. Poesi et Romanor. Satira Libr. II. c. 3. p. 239. ed. Ramb. suspicatur, Vellejum amicitia ductum extulisse Rabirium, et invidia omisisse Varium. Mera est et ne probabilis quidem conjectura! Equidem, qui lectionem vulgatam tuendam duco, ita hoc de loco statuo. Vellejus Paterculus aperte hic epicos tantum poetas ut principes omnium poetarum primo posuit loco. Hinc Virgilius, cui communis omnium consensus in epica poesi principatum apud Romanos deferebat, *princeps carminum* audit[52]). Huic autem non subjunxit Varium, quoniam is, partum sibi antea epici poetae nomen et gloriam Thyeste edita apud aequales posterosque obscuraverat, ut jam supra §. 1. monitum est. Huc accedit, quod Rabirius, cui fati quaedam invidia nocuit, nequaquam contemnendus fuit poeta et ob epica inprimis carmina haud indignus, qui cum Virgilio conjungeretur eumque longo quidem inter-

---

52) Quamquam Aeneis impolita et Virgilio ipso invito publici juris facta erat, tamen ipsius argumenti, heroicis tractati versibus, natura et ratio haud parum videtur contulisse, ut Romani unanimi consensu uni Virgilio in epica poesi principatum deferrent. Itaque Ovidius, in elegiacae poesis gloria jactabundus circa a. U. C. 754. in Remed. Amor. v. 395. scripsit:

Tantum se nobis elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet epos.

ut equidem oppositorum vi inductus h. l. legendum censeo cum Marklando ad Statii Sylv. I. 2. 250. p. 183. et ad IV. 7. v. 3. p. 334. ed. Sillig. Verissime enim Heynius ad Virgilii Vit. per a. dig. a. U. C. 735. p. CXXV. monet, *nobile opus*, ut vulgo hic editur, esse quidem carmen epicum, nec tamen *poesin epicam:* ea autem hic ab Ovidio indicatur. Hanc lectionem amplectitur etiam Massonus in Vit. Horatii ad a. U. C. 724. p. 158.

vallo, proximus tamen sequeretur. Nam Ovidius ei *magnum os* tribuit ex Pont. Libr. IV. Epist. 16. v. 5.

Quum foret et Marsus, magnique Rabirius oris
Iliacusque Macer, sidereusque Pedo;

quod *os magna sonaturum* de poetae epici nomine et honore accipiendum esse cum per se patet, tum maxime perspicitur ex Quintiliano, qui in epicorum recensu poetarum ait Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 90. „*Rabirius et Pedo non indigni cognitione, si vacet*[53])." Sed Varium non magis Quintilianus, quam Ovidius epicorum carminum caussa commemorant: uterque vero ejus Thyestem exquisitissimis verbis laudant. Virgilius semel, et unus omnium maxime ac saepissime Horatius Varium praedicant epicum poetam illustrem et Homericae sublimitatis aemulum. Contra idem Horatius amici sui Thyestem uno tantum loco et fortasse illo ipso, quo scribebatur tempore, tecte significat, non quod eam Tragoediam minoris faceret, quam epica carmina, sed quia frequentior haec quam illam laudandi offerebatur occasio. Falluntur enim, qui ab Horatio in Epist. ad Pisones v. 90.

Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae;

blande respici putant illam Varii tragoediam. Ut verum sit, poetae Venusini animo hic obversatam esse aliquam hujus tituli fabulam invita Minerva et versibus socco dignis scriptam sive Ennii, ut ob Ciceronis Orat. c. 55. opinatur Hurdius, sive alius cujuspiam poetae ex aequalibus: tamen haec lau-

53) De *Rabirio* et *Pedone* poetis copiosius expositum est in Excurs. IV.

dandi ratio vereor ut blanda satis sit atque honorifica. Et *coenam Thyestae* sive *prandia regum* a tam multis poetis tragicis tractata esse constat, ut in genere pro quovis tragoediarum argumento dicerentur, uti copiose docebo infra §. 13. N. 67. Veri etiam est simillimum, a Vario observatum esse in Thyeste, quod ille Pisonibus praecipit v. 182.

Non tamen intus
Digna geri promes in scenam multaque tolles
Ex oculis, quae mox narrat facundia praesens:
Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem[54]).

Sed ne in his quidem scribendis puto succurrisse Horatio illam Varii tragoediam, quam, ut jam dixi, semel tantum Oda Libr. I. sexta commemoravit: unde colligimus, dramaticum illud opus a Vario si non editum, certe scribi coeptum esse ante annum U. C. 734.

§. 11.

Horatius initam cum Virgilio et Vario amicitiam in Maecenatis domo ac patrocinio per omnem vitam colebat. Hinc pulchre de illis Martialis Libr. XII. Ep. 4.

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Maecenas atavis regibus ortus eques;

---

54) Hunc postremum versum 187. ad Varium referat is, qui sibi ab Heerkensio l. c. p. 49. producente Priscianum persuaderi passus est, in tragoediis XLVI., quas ab illo scriptas refert, fuisse etiam *Tereum* seu *Prognen*, cujus reliquias se reperisse gloriatur. Sed Priscianus illa de re ne γρῦ quidem!

et, quod Poeta Bilbilitanus ibi de Prisco, patrono suo, praedicat,

Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur;
Tu das ingenuae jus mihi pigritiae[55]);

idem trium quisque illorum poetarum de Maecenate quin dicere potuerit, non est dubium. Nam verissime Auctor Panegyrici ad Calpurnium Pisonem v. 218. sqq.

Ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum,
Maeoniumque senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, et sterili tantum cantasset avenas,
Ignotus populis, si Maecenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit numina soli.
Maecenas tragico quatientem pulpita gressu
Evexit Varium; Maecenas alta tenebris
Eruit et populis ostendit nomina Grajis.
Carmina Romanis etiam resonantia chordis,
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati[56]).

---

55) Martialis *ingenuam pigritiam* illustravit Wyttenbachius in Adnot. ad Eclogas Historicas p. 293. (Lips. 1827.)

56) Carmen illud Panegyricum, quod olim Virgilio aut Ovidio aut Statio, a plerisque Lucano adjudicatum est, recentiori aetate *Salejo Basso*, de quo in Excursu II. scripsi, vindicatum ivit Wernsdorfius in P. L. M. T. IV. P. 1. p. 36. sqq., multisque, ut Mitscherlichio ad Horat. Libr. II. Od. 1. v. 11. p. 356. et Langio in Vindic. Trag. Rom. p. 5. persuasit, non item mihi. Secundum hunc, quisquis fuit, poetam Maecenas Varium v. 227. *evexit*, pro quo alii minus recte *erexit*. Jam Varius dicitur *quatere pulpita tragico gressu* i. e. cothurno tragico. Sic de Dossenno, poeta comico, Horatius in Epist. ad Pison. v. 174. „*Quam non adstricto percurrat pulpita socco.*" Vulgo sine sensu legitur *tragico quatientem pulpita caestu:* pro quo alii *gestu*, quod retinuit Langius, itemque Enn. Quir. Visconti in *Iconografia Rom.* Vol. II. §. 7. p. 391. Sed quid est *gestu pulpita quatere?* Primus,

Hoc etiam loco Codices et Editiones veteres *Varum* habent; pro quo dudum Viri Docti reposuerunt *Varium*, quem cum Maecenas evexisse dicitur, nil nisi ejus favor declaratur, quo hunc quoque poetam prosecutus fuerat ejusque studia foverat. Cae-

---

ut videtur, Dan. Guil. Trillerus in Notis Mstis, quas cum Cortio communicaverat, auctore Car. Fr. Webero in Praefat. in Lucanum Vol. I. p. XX., pro *caestu* conjecerat *gressu:* in quam conjecturam inciderunt etiam Heynius in Not. ad Donati Vit. Virgil. c. XIV. §. 53. et Mitscherlichius ad Horat. Libr. II. Od. 1. v. 11., qui eam loco Ovidii Amor. Libr. III. Eleg. 1. v. 11. „*Venit et ingenti violenta Tragoedia passu*" apte communivit. Hanc igitur triumvirorum emendationem sine haesitatione reposui. Haud levius vulnus insidet v. 227., ubi vulg. *alta Thoantis* seu *Toantis* legitur, quod sensu carere recte observavit Langius, qui l. c. N. 6., donec melius quid reperiatur, nonnullorum librorum lectionem *alta tonantis* praeferendam duxit. Sed ut concedam, *alta tonare* de poeta tragico eoque grandiloquo recte dici, ut Propertius Libr. III. Eleg. 15. v. 39. „*Haec ego non humili referam memoranda cothurno, Qualis Pindarico spiritus ore tonat;*" tamen duriuscule dictum videtur: Maecenas eruit Varii alta tonantis sc. *nomen*, quod ex seq. *nomina* esset eliciendum. Eodem redit Wernsdorfii tentamen *sonantis*, sive cum eo Virgilium intelligis sive Varium; praestaret altera ejusdem Wernsdorfii correctio, si vulgatae lectionis ductibus adjuvaretur, *alta sonantum* sc. poetarum *nomina eruit et ostendit Maecenas.* Visconti l. c. N. 2. pro *Thoantis* substituendum conjecit *Thyestae* sive *Thyestis*, nomen tragoediae Varianae: quae conjectura mihi videtur neque hilum praestare lectioni vulgatae. Concedo quidem Langio dicenti, nihil infelicius esse conjectura C. Barthii, qui in Advers. Libr. XXIV. c. 14. et ad Statii Theb. VIII. v. 239. legendum proposuit: *ulta Latinos;* sed item ego contendo, a nemine rectius totius loci sensum esse intellectum, quam a Barthio. Poeta enim neque de Virgilio hic loquitur, neque de Vario, sed ad Horatium sibi viam quasi muniturus in universum dicit, Maecenatis patrocinio effectum esse, ut Romae prodirent poetae, qui sese opponere possent Graecis. Et cum Horatius obscuro loco natus et paupertate pressus per Maecenatem in lucem emersisset, hic patronus dicitur *alta nomina* sc. poetarum eruisse et populis Grajis ostendisse. Quae cum ita sint, mihi videor si non manum, certe sensum poetae istius restituisse ea, quam recepi, correctione, quae etiam a vulg. *Thoantis* non nimis longe discedit.

terum ab hujus etiam carminis scriptore Varium non propter epica, sed dramatica laudatum videmus carmina, quorum gravitatem et grandiloquam sublimitatem haud invenuste exprimit.

Sed revertor ad Horatium, qui ingenium doctrinamque Varii et Virgilii quam magni fecerit, etiam in Epistola ad Pisones testatum reliquit, ubi contra Grammaticos et Criticos novandae orationis studium et nova verba faciendi licentiam sibi amicisque suis vindicans scripsit v. 53.

Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit? [57])

Nam hoc in loco Caecilius et Plautus pro antiquissimis quibusque poetis magnam laudem atque auctoritatem adeptis ponuntur, quibus Virgilius Variusque opponuntur in genere pro eis, qui cum maxime in arte poetica principatum teneant et summa laude et auctoritate merito suo floreant. Scripta autem est haec ad Pisones epistola circiter a. U. C. 731., certe post annum U. C. 730., Quintilio Cremonensi fatalem, et ante annum U. C. 735., quo

57) Manifesta hoc in loco inest Grammaticorum et Criticorum reprehensio, quos, cum in scriptis Caecilii Plautique comoediis nova verba non offenderent, iniquitatis accusat, quod, si quid a Virgilio et Vario, quibus tacite semet ipsum adjungit, novatum esset, aegre ferrent et stomachosi ac fastidiosi vellicarent et vituperarent. Cum igitur hic sermo sit non de Caecilio et Plauto viventibus, sed de residuis eorum operibus, apertum est, unice veram esse lectionem v. 54. *dabit*, pro qua alii Codd. Msti *dedit* sive *dabat*, quod expressit Regelsbergerus sequentibus Haberfeldto et Schellio. Male!

anno Virgilium obiisse constat[58]. Hoc igitur tempore Varius in vivis adhuc erat et poetae laude florebat. Virgilio autem in Graeciam proficiscenti, ut, auctore Donato in Vit. Virgil. c. XIII. §. 51., Aeneidi ultimam manum imponeret, dubitari vix potest quin inscripserit Horatius Libr. I. Odam *tertiam*[59]. Sed cum ille iter ingressus Athenis occurrisset Augusto ex Oriente Romam revertenti, una cum Caesare rediit et morbo oppressus Brundisii decubuit. Jam morti proximus dicitur impense rogasse amicos suos, ut si non omnia scripta, saltem Aeneidem, utpote nondum satis elimatam, comburerent. Hujus narrationis fidem praestant Plinius N. H. Libr. VII. 30. S. 31. Vol. III. p. 144. Frz., A. Gellius N. A. Libr. XVII. c. 10. et Macrobius Sat. Libr. I. c. 24. *„qui enim,* inquit, *moriens poema suum legavit igni, quid nisi famae suae vulnera posteritati subtrahenda curavit? Nec immerito. Erubuit quippe de se futura judicia"* etc.; sic enim hic locus distinguendus est. Cum his auctoribus facit Donatus in Vit. Virgil. c. XIV. §. 53., qui Virgilium, amicorum precibus victum, ab isto consilio destitisse et scripta sua Plotio Tuccae et L. Vario sub ea conditione legasse refert, ne quid adderent, quod a se editum non esset, et versus etiam imperfectos, si qui essent, relinquerent[60]. Justo morosior sit in exploranda

58) Secutus sum Jac. Henrici van Reenenii sententiam docte et subtiliter expositam in *Disputatione Philologico-critica de Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones.* (Amstelodami 1806, 4.) Cap. III. p. 57., quamvis in dubium nuper vocatam a Kirchnero in Quaest. Horat. p. 39., cujus plenam ea de re disputationem cupide exspecto.

59) Conferatur Heynius in Vit. Virgilii per annos digest. ad an. 735. p. CXXIII.

60) Quae contra hanc narrationem disputavit L. A. Bartenstein in Prolusione: *Cur Virgilius moriens Aeneida comburi jus-*

antiquitatis fide et suspicacior necesse est, qui hanc Donati narrationem in dubium vocet, quae aliorum quoque Grammaticorum quantocumque assensu constabiliatur. Ipse Donatus in Vit. Virgil. c. XV. §. 57. ea de re attulit Sulpicii Carthaginiensis Grammatici testimonium his conceptum versibus:

Jusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul; tu, maxime Caesar,
Non sinis et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamos igni,
Et paene est alio Troja cremata rogo.

Quo in epigrammate Scaliger in Catal. p. 140. et Burmannus in Anthol. Lat. Libr. II. Epigr. 174. Vol. I. p. 352. male ediderunt *Varusque simul.* Iidem Viri Docti mendum retinuerunt in Phocae Grammatici epigrammate:

Carmina Virgilius Phrygium prodentia Martem
Secum fatali jusserat igne mori.
Tucca negat, Varius prohibet: superaddito, Caesar,
Nomen; in Aenea non sinis esse nefas.
O quam paene iterum geminasti funere funus,
Troja bis interitus caussa futura tui.

Haec qualiacumque Grammaticorum testimonia confirmant Donati fidem. Quod si idem in Vit. Virgil. c. XV. §. 56. tradit, Aeneidem a L. Vario et Plotio Tucca, quos Virgilius ex sextante heredes fecerat, post ejus obitum, prout petiverit, Caesaris jussu emendatam esse; hoc minime pugnat cum

---

sit? Coburgi 1774. 4., eis non video quomodo assensum praebere potuerit Harlesius in Introd. in Notit. Liter. Rom. Vol. II. p. 273. sq.

conditione, sub qua amicis scripta sua legaverat ille, modo illud cum Heynio in Virgilii Vit. per an. dig. p. CXXIV. ita intelligas, ut Aeneidem illi emendarint quidem tollendo, nihil tamen addendo. Huic interpretationi fidem facit Hieronymus in Chron. Euseb. ad Olymp. 190. 4., i. e. a. U. C. 737. „*Varius et Tucca, Virgilii et Horatii contubernales, poetae habentur illustres, qui Aeneidum postea libros emendarunt sub ea lege, ut nihil adderent.*" Nihil igitur, ut ait Donatus in Vit. Virgil. c. XV. §. 59., auctore Augusto, Varius addidit, sed summatim emendavit, ut qui versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit. Neque in meris Grammaticorum somniis habenda censeo quae, auctore Donato in Vit. Virgil. c. XV. §. 60., Nisus Grammaticus audisse se a senioribus dicebat de duorum Aeneidos librorum ordine per Varium commutato et correcto Libri primi principio, quamvis acriter repugnet Heynius, iniquior nonnumquam, et ut equidem puto, suspicacior Grammaticorum judex. Quid autem veri est similius, quam quod Servius Praefat. Commentarii in Aeneidem Vol. II. p. 2. ed. Burm. refert, versus istos XXII. Libri II. a v. 568 — 588. sublatos fuisse Tuccae et Varii judicio?[61]) Et quid probabilius est, quam quod Servius Probum secutus de fine Aeneidos libri quinti per eosdem illos Virgilii amicos constituto adnotavit ad v. 871. et ad Aen. Libri VI. v. 1.?

---

61) Vide Burmannum ad h. l. Vol. II. p. 289. et Viris Doctis, qui ab illo laudantur, adde Heynium et Ph. Wagnerum, cujus subtili de illis Virgilii versibus judicio pariter assentior ac consensu ejus de Aeneidos Virgilianae principio Vol. II. p. 60. laetor. Cf. Heynius de Virgil. Editionibus Vol. I. p. CCIX. ed. 3. et Vol. IV. p. 698. ed. Wr., ubi errore typographico *Varus* legitur.

Verum tamen utcumque de singulis his, quae prolata a nobis sunt, Grammaticorum narrationibus judicatur, id saltem nemo negabit consequens inde esse et consentaneum, ut in Virgilii Aeneide et emendanda et edenda L. Vario aliquam partem fuisse statuamus. Id autem si certum est, sponte sequitur, Virgilio d. X. Kal. Octobr. a. U. C. 735. mortuo superstitem fuisse L. Varium Poetam, aetate licet grandiorem.

§. 12.

Quo autem tempore L. Varius ipse supremum diem obierit, ejus rei testis item Horatius excitari potest, quem Fata utrique suo amico superstitem esse voluerunt. Nam quum ad Augustum Libr. II. Epist. 1. v. 245. scribit:

At neque dedecorant tua de se judicia atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusque poetae; [62])

vel ex ipsis verbis totiusque loci contextu manifestum est, sermonem hic esse de poetis vita jam perfunctis, quorum tamen opera adhuc exstent. Haec, ait Horatius, non dedecorant tua, o Auguste, judicia, quandoquidem in eis verius quam per ahenea signa vultus expressi apparent et animus et mores tui, ideoque munificentia tua apud illos utpote dignos collocata tibimet ipsi honorifica est et gloriosa apud omnem posteritatem. Horatius utroque privatus amico hic memoriam eorum cum laude et pietate instaurat sic, ut simul Augusto blandiatur,

---

62) Hoc etiam loco Torrentius in omnibus, quos inspexit, Codd. Mstis invenit *Virgilius Varusque:* sollemni librariorum errore, quem tamen dudum Viri Docti emendarunt.

qui illos laudum suarum invenerat praecones. Jam vero argumentis, quae ipsum carmen suppeditat, extra omnem dubitationem posuit Massonus in Jano Reser. Sect. III. c. 8. §. 12. p. 210—216. et in Vit. Horatii ad an. U. C. 744. p. 360. sq., hanc ad Augustum epistolam scriptam esse ab Horatio anno U. C. 744. exeunte seu ineunte anno U. C. 745., quum Virgilius jam novem abhinc annis vita excesserat[63]). Itaque certissimum est, quod etiam G. Nicol. Heerkensius in Praefat. ad Icones p. LXXX. monuit, L. Varium Poetam ante annum U. C. 745. et prius, quam Horatium et Maecenatem, vita et rebus humanis excessisse. Certiora anni, qui ei fatalis erat, indicia desunt.

Jam si tempus, quo mortuum esse dicimus Varium, revocamus ad ejus natales, nemo, opinor, erit, quin praeclare omnia conspirare fateatur. Natum esse suspicati sumus Varium a. U. C. 672. Hanc conjecturam si sequimur, ille eo, quo Horatius ad Augustum scripsit, tempore, si adhuc vixisset, fuisset senex septuagenarius: quae aetas minime rara erat apud Romanos. Neque huic opinioni obstat prolatum §. 11. testimonium Hieronymi dicentis ad Olymp. 190. 4., i. e. a. U. C. 737., Varium et Tuccam illustres habitos esse poetas: aliquot enim annis ante, ut §. 10. ostendimus, ediderat Thyestem, omnium, quae scripserat, carminum praestantissimum. Et quidni Varium aeque atque Asinium Pollionem, illud nervosae vivacitatis haud parvum exemplum[64]), in laudis carminibus partae flore consenuisse

63) Massoni sententiam nuper impugnari coeptam defendere studuimus in Excurs. V.

64) Ita Asinium Pollionem appellat Valer. Maximus Libr. VIII. c. 13. 4. ext.: nam, ut Auct. Dial. d. Orat. c. 17. ait,

statuamus, ita ut a. U. C. 737., licet senex sexagenarius, dici haberique adhuc posset illustris poeta? Qui igitur Catulli fuerat sodalis, natu minor, et familiaris convictorque Maecenatis junioris, is Virgilium et Horatium juvenes nascentesque poetas studiorum adductus similitudine in familiaritatem amicitiamque assumpserat et per omnem vitam conjunctissime cum illis vixerat. Ipse in republica C. Julii Caesaris partes si non armis, certe animo studioque secutus, heroicis versibus illius caedem deplorans jam ante annum U. C. 714. magnam poetae epici gloriam consecutus erat, eamque auctam posthac et amplificatam Panegyrico in Augustum usque ad a. U. C. 723. unus inter aequales obtinuerat. Hanc vero, quam epicis carminibus sibi pepererat, gloriam inde ab anno U. C. 727., edita Thyeste tragoedia, ita imminuerat et obscuraverat, eum ut aequales natu minores pariter ac posteri non ut epicae poesis principem, sed ut summum Romanorum tragicum et felicissimum Graecorum ea in laude aemulatorem praedicarent. Vidit eum summa florentem poesis tragicae laude Ovidius juvenis, ut ipse attestatur ex Pont. Libr. IV. Epist. 16. v. 31.

Quum Varius Gracchusque darent fera dicta tyranni,
Callimachi Proculus molle teneret iter[65]).

Hoc in loco a pr. m. *Varus*, sed suprascriptum *Varius*: Cod. Bav. ap. Harlesium, qui etiam *tyrannis* habet, quod N. Heinsius conjectura dedit,

---

paene ad extremum Augusti principatum duravit, et, teste Hieronymo in Chron. Euseb. ad a. MMDD., octogesimo aetatis suae anno mortuus est: vid. Thorbeckii Comment. l. p. 47.

65) De Graccho et Proculo Poetis videsis Excurs. VI.

sequentibus aliis, qui Quintilium Varum Cremonensem intellexerunt, eumque in suis tragoediis verba et jurgia Thyestae in Atreum exhibuisse opinati sunt: quod quam ineptum sit, in aprico est. Cod. Erfurt. *Marius gratusque*, quo emendatior lectio *Varius* stabilitur: nam *Marius* poeta ex v. 24. huc vocari nequit. N. Heinsius in docta ad h. l. adnotatione ait, si *tyranni* retineatur, castigandum esse *Varius* et intelligendam Varii Thyestem, laudatissimam apud veteres tragoediam. Hanc emendationem quo minus recipiat, se eo impediri ait, quod, hanc epistolam quum scribebat Ovidius, Varius sine dubio jam dudum obierit. Hoc argumentum quam vim habeat, non exputo: Ovidius enim hic non de eis tantum loquitur poetis, qui adhuc vivant floreantque, sed etiam memoriam eorum recolit, quibuscum ipse, cum in aetatis flore esset, vixerat, quosque senes juvenis viderat et audiverat. Id cum hujus carminis initium declarat, tum etiam v. *darent*, quo aperte res praeterita significatur. Vidit igitur Ovidius Varium in scena *dantem fera dicta tyranni*, h. e. cum ederet et spectandam praeberet in scena Thyestem tragoediam: nam usu venisse videtur, ut Thyestes iste κατ' ἐξοχὴν et absolute *tyrannus* diceretur. Itaque Heynius in Excursu II. ad Virgilii Eclog. V. p. 195. et Kordesius ad Eberhardti libr. *Ueber d. Zustand der schönen Wissensch. bei den Römern.* (Altona 1801.) §. 34. p. 188. omni jure in Ovidii loco rescribendum censuerunt *Varius* pro *Varus*, quod mendum in recentissimis poetae Sulmonensis editionibus hodieque comparere miror.

Praeter carmina, quae recensuimus, an quidquam aliud scripserit L. Varius, ignoratur. Non possum tamen quin eum de Virgilii, amici sui, vita

et studiis quaedam scripto mandasse suspicer. Nam Quintilianus Inst. Or. Libr. X. c. 3. §. 8. „*Virgilium quoque*, inquit, *paucissimos die composuisse versus auctor est Varus.*“ Ita adhuc edidit Spaldingius, optans tamen in hoc nomine aliquem ostendi Codicem, qui habeat: *Varius*, quem virum hoc prodidisse multo credibilius sit, quippe familiarem Virgilii et circa opera ejus, ut constat inter scriptores, occupatum. Editio Colon. a. 1527. habet *Varius*, idemque cum lateat in Codd. Florent. et Guelferbyt. scriptura *Variis* et in Colinaei et Voss. 1. *Varrus*, Spaldingio suadenti, ut vel nullo libro auctore *Varii* nomen restituatur, merito obsecuti sunt Frotscherus et Gernhardus. Qui in vulgata lectione acquieverunt, nunc Quintilium Varum intellexerunt, nunc P. Alphenum Varum Ictum, ut Ever. Otto in Thesaur. Jur. Rom. T. V. p. 1652., nunc L. Varum Epicureum, ut J. H. Vossius ad Virgil. Ecl. VI. v. 6. p. 292. Sed nihil ut dicam de Quintilio, cui ne certum quidem est adhaesisse cognomen Vari, etiam amicitia, quae Virgilio cum P. Alpheno Varo et L. Varo Epicureo intercessisse dicitur, perincerta est et dubia. Atqui haec non nisi a Virgilii familiaribus et cognosci et tradi poterant. Cujus quidem rei idoneus testis est A. Gellius, qui N. A. Libr. XVII. c. 10. sermonem Favorini philosophi referens, „*Amici*, inquit, *familiaresque P. Virgilii in his, quae de ingenio moribusque ejus memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino. Namque, ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret; proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie et im-*

perfecta; sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris et vultus lineamenta." Haec ad Georgica potissimum spectare, quae perfecta expolitaque reliquit, cum Donatus in Vit. Virgil. c. IX. §. 33. testatur, tum confirmant, quae sequuntur apud Gellium, qui pergit: „*sed quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine atque judicio digna sunt. Itaque quum, morbo oppressus, adventare mortem videret, petivit oravitque a suis amicissimis impense, ut Aeneida, quam nondum satis elimavisset, adolerent.*" Jam in amicissimis, quos Virgilius moribundus impense rogaverit, ut Aeneidem comburerent, scimus fuisse L. Varium poetam. Quare verisimilis admodum est Spaldingii conjectura dicentis, hunc ipsum fuisse ex iis, quos A. Gellius referat quaedam de P. Virgilii ingenio moribusque memoriae prodidisse. Credibile autem est, hoc opusculum post Virgilii mortem a. U. C. 735. a L. Vario scriptum et editum fuisse, quo amici sui memoriae et laudi apud aequales posterosque consuleret ejusque piis Manibus veluti parentaret, ut statuit etiam G. Nic. Heerkensius in Praef. ad Icon. p. LVII.

§. 13.

Postquam de vitae rebus studiisque L. Varii Poetae exposuimus, et de tempore atque ordine inquisivimus, quo verisimile videretur ab eo scripta esse diversa, quae commemorentur, carmina; superest, ut eorum Reliquias, quae dispersae apud scriptores veteres inveniuntur, collectas proferamus et qualicumque adnotatione nostra illustremus. In eis quidem colligendis aliquid operae studiique jam

collocarunt Henr. Stephanus in Fragm. Poetar. Latin. p. 425., Ant. Delrius in Syntagm. Trag. Latin. P. I. p. 152., Petr. Scriverius in Collectaneis Veter. Tragic. p. 157., Th. J. ab Almeloveenius in Opusculis (Amstelaed. 1686.) p. 182. et, qui inprimis diligentiae laude eminet, Jan. Rutgersius in Venusinarum Lectionum Cap. III. p. 245—52., quem secuti sunt Nicol. Ciampittius, Italus, in Praefat. c. apud Kreyssig. p. 127. sqq. et Fr. H. Bothius in Poetarum Scen. Latin. Vol. V. P. 1. p. 272. Hos tamen omnes si dixero ea in re ita versatos esse, ut haud pauca reliquerint vel addenda vel emendanda, non verendum mihi erit, ne in suspicionem pravae ambitionis aut malignae obtrectationis reprehensionem incurram.

Jam cum probabilis conjecturae viam persecuti demonstraverimus, L. Varium Thyeste tragoedia effecisse, ut insignis, quam epicis carminibus apud aequales sibi pepererat, gloria apud posteros propemodum tota evanesceret; licebit nobis carminum ejus fragmenta hic percensentibus ab eximio illo opere, quod quidem omnium ejus poematum postremum fuisse probavimus, initium facere. Accedunt alia, quae inversum ut sequamur temporis ordinem, suadent. Nam mirabili quadam fati iniquitate nescio dicam an ludibrio accidit, ut L. Varius ejusdem illius Thyestae, quae tantam omnium tulerat laudem, tragoediae auctor non inhonesta tantum, sed scelesta etiam via ac ratione factus esse perhiberetur. Cujus quidem rei fides eam habuit vim, ut laudatissimus ille poeta locum inveniret in *Plagiariorum Syllabo* apud Almeloveenium in Opusculis p. 194. Nam veteres Grammatici quidam memoriae tradunt, fuisse, qui celebratissimam illam tragoediam aut a

Virgilio aut a Cassio Parmensi scriptam dicerent, eamque a L. Vario fraudulenter pro sua editam esse crederent.

Has dubiae controversaeque fidei narrationes facere non possumus quin hic paulo accuratius examinemus et, quid veri in eis certique insit, diligenter eruamus. Atque haec quaestio tanto minus est rejicienda, quanto magis ea cum ad morum ingeniorumque illius aetatis notationem spectat, tum privatam Varii, quo de agimus, vitam ejusque cum amicis familiaritatem nova luce collustrat. Caeterum in explicanda ea re, quam fortassis erunt qui fastidiose spernant, id operam dabimus, ut longioris taedium disputationis jucunda aliarum rerum memorabilium mentione temperetur.

Ac primum quidem in medium proferamus ea, quae de Cassio Parmensi veteres Commentatores ad Horatii Libr. I. Epistolam *quartam* referunt, in qua Poeta Venusinus ex Tibullo amico quaerit v. 3.

Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat?

Ad hunc locum adnotavit Acron: „*Hic aliquot generibus stylum exercuit: inter quae opera elegiaca et epigrammata ejus laudantur. Hic est qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum militavit, quibus victis Athenas se contulit. Quintus Varus ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit, et peremto eo scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt, Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias tragoedias* 66).“ Porphyrion „*Hic est,*“

66) P. Burmannus ad Anthol. Lat. Libr. I. Ep. 135. Vol. I. p. 98. apud Acronem pro: „*Hic aliquot generibus*“ correxit *operi-*

inquit, „*Cassius, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum militavit, quibus victis Athenas se contulit. Q. Varius ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit, et peremto eo scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt, Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas tragoedias Cassius.*“ Et Scholiastes Cruq. p. 527. ait: „*Hic aliquot generibus stylum exercuit, inter quae opera elegi et epigrammata laudantur. Hic est qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum fuit, quibus victis Athenas se contulit. Quintus autem Varus ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit, et peremto eo, scrinium cum libris tulit: unde multi crediderunt, Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias tragoedias.*“

Prudens adscripsi integras Scholiastarum adnotationes, ex quibus intelligeretur, alterum ab altero ita pendere, ut, tres licet sint, tamen pro uno tantum teste haberi queant.

Jam licet leve videatur ac minutum, tamen hic minime praetermittendum puto, quod iste Cassii Parmensis percussor ab uno Porphyrione dicatur *Varius:* ita enim editum est in Horatii Edit. Basil. 1555. p. 404. — Ruhnkenius, qui haec scholia ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 88. §. 1. tractat, eam nominis scripturam Acroni assignat, quam dubium mihi est librariis an potius illius editionis typographis imputem. Jam eidem Ruhnkenio, Varii nomen apud Acronem legenti, minime credibile videtur, Varium poetam, quod genus hominum mitissimum esse soleat,

---

bus: quae correctio refutatur verbis seqq. „*inter quae opera*“ etc. Scholiastes significat, Cassium in aliquot generibus styli seu carminum se exercuisse.

missum esse ab Augusto, ut alterum poetam Cassium Parmensem interficeret. Itaque Varium istius facti invidia liberandum censet. At hoc Ruhnkenii argumentum per se spectatum quam debile sit, quilibet, puto, sentiet, qui haec secum reputaverit. Cassius Parmensis dicitur in Bruti et Cassii partibus militasse; Varium poetam C. Julii Caesaris caussae favisse, docuimus §. 6. Uterque igitur poeta in civitate infesto rerum publicarum ac partium studio dissidebat. Jam si quis velit, haud improbabili conjectura possit statui, Varium poetam post C. Julii Caesaris caedem in Octaviani Triumviri castris stipendia meruisse. Ergo nequaquam incredibile videbitur, fieri potuisse, ut ei Octavianus ministerium trucidandi Cassii Parmensis delegaret. Nec, qui ex historia Romana novit, ad quantam audaciam, inhumanitatem diramque crudelitatem homines perpulerit partium in bellis civilibus amor, dubitabit quin hujuscemodi facinoris immanitas ne ab homine quidem Musis Gratiisque operante aliena sit censenda. Adde, Cassium Parmensem, teste Vellejo Paterculo Libr. II. c. 87. §. 3., fuisse unum ex interfectoribus C. Julii Caesaris: quem quo pluris vivum fecerat mortuumque admiratione ac desiderio prosequebatur Varius poeta, hoc facilius fortasse sibi imperari passus erat, ut Cassium et ipsum poetam interficeret et ita patroni sui caedem ulcisceretur. Diversarum enim in re publica partium studium quantam vim habere soleat in hominum privatorum animos, ostendi in Comment. de C. Helvio Cinna Poeta Cap. 1. §. 4. Quapropter istiusmodi facinus, quod publica discordia excusaret et pietas adversus patronum probaret, a Vario licet poeta peragi potuisse, neutiquam a vero abhorret. At ab eodem Vario Cassii

interfecti scrinium cum libris ablatum, et ejusdem Thyestem tragoediam suo nomine editam fuisse, id vero non tam plagium, quam latrocinium docto et ingenioso Virgilii Horatiique amico indignissimum arbitror.

Quantumvis igitur leve sit atque incertum, quod Ruhnkenio scrupulum injecit ac dubitationem, quo minus Cassium Parmensem poetam a Vario poeta necatum esse crederet; tamen eidem Viro Docto prorsus assentior suspicanti, totam hanc fabulam ex perpetua confusione nominum *Varii* et *Vari* fluxisse. Hanc enim suspicionem sunt alia quae egregie confirment, et quae magnopere miror a Ruhnkenio plane esse neglecta. Repetenda ea sunt ex ipsis Scholiastarum adnotationibus. Hi enim ad unum omnes contestantur, istum Cassii Parmensis interfectorem *Quinti* praenomine insignitum fuisse. Atqui §. 2. ostendimus, Varium, nobilissimum illum Thyestae scriptorem, *Lucii* praenomen habuisse. Unde consequitur, illum, quem Augustus miserit, ut Cassium Parmensem Athenis trucidaret, vel hanc ob caussam non posse accipi de Vario poeta epico et tragico. Atque id verum esset, etiamsi Scholiastae in nominis scriptura consentirent, omnesque istum Cassii percussorem *Varium* appellarent. Nam ex Variis, qui quidem a rerum Romanarum scriptoribus commemorantur, duobus tantum *Quinti* praenomen fuit, ut docuimus §. 3.; sed alterutrum quo minus huc referamus, aetatem, qua illi vixerint, obstare liquet. Ruhnkenius, hac re non satis animum adversa, urget tantum incertam nominum *Vari* et *Varii* scripturam, et posteriore hac merito apud Scholiastas rejecta, intelligit *Varum*, istum copiarum ducem, cui Virgilius Eclogam VI. inscripsit.

Quam in sententiam nemo dubitabit transire, cui mecum persuasum est, illum Poetae Mantuani patronum fuisse *Q. Attium Varum*, ut probare studui in Excursu I. Denique illud quoque mihi videtur non esse negligendum, quod Scholiastae ea de re non tam suam produnt sententiam animique persuasionem, quam aliorum referunt suspicionem et vulgi quemdam rumorem: id quod haud parvi hac in caussa momenti est, quandoquidem constat istos homines parum subtiles hujuscemodi opinionum fuisse judices.

Verum enim vero quotiescumque ea, quae hic relata inveniuntur, perlegi, toties valde mirum me habuit ista undecumque orta hominum opinatio, nec potui mihi persuadere, ut nihil in ea veri inesse crederem. Unde autem quidquid est istius narrationis natum esse putem, breviter hic exponam.

Cum certum sit, a Cassio Parmensi inter alia poemata tragoedias quoque scriptas esse; cuivis verisimile videbitur in eis etiam Thyestem fuisse, si quidem in hoc argumento tragicos antiquitatis poetas lubenter versatos esse scimus[67]). Hanc repo-

---

67) Quam multi inter Graecos Thyestem scripserint, vel ex Aristotelis Poet. c. 13. §. 5. colligi potest. Memoratur *Sophoclis* *Θυέστης ἐν Σικυῶνι ἢ Σικυώνιος:* cf. Lessingii Vit. Sophocl. p. 143.; ex *Agathonis* Thyeste aliquot versus allegat Athenaeus Libr. XII. p. 528. C. Vol. IV. p. 463. Schw.; idem Libr. XIII. p. 608. C. Vol. V. p. 204. Schw. versum ex *Chaeremonis* Thyeste excitat. *Euripidis* Thyestes recensetur ab Ant. Delrio ad Senecae Thyestem in Syntagm. Tragoed. Latin. P. II. p. 204., cujus verba repetiit Fr. Henr. Bothius in Poet. Scenic. Latin. Vol. V. P. I. p. 65., nil monito lectore, Euripidem hujus nominis fabulam nullam scripsisse, ut ostendit Valckenarius in Diatr. c. 2. p. 12., qui ex Euripidis *Cressis* sumpta dicit, quae vulgo ejus Atreo vel Thyestae tribuantur: cf. Matthiae in Euripid. Trag. et Fragm. T. IX. p. 129. Ab Suida Thyestem scripsisse traduntur *Apollodorus* Tarsensis, *Cleophon* et *Diogenes Oenomaus*, Atheniensis

sitam adhuc in scriniis necdum evulgatam invenerat Q. Varus, eamque furto sibi vindicaverat. Nam jus belli fuisse novimus, ut, qui vicissent, iis, quos vicissent, eorumque rebus, quemadmodum vellent, uterentur. Neque absonum erit statuere, eamdem illam tragoediam, utpote praestantem, ab isto homine, dissimulato veri auctoris nomine, publici juris factam esse. Nam nisi pro certo habemus, Q. Varum suo eam nomine edidisse, non intelligitur, qui potuerit fieri, ut de vero tragoediae alicujus auctore dubitatio oriretur aut cognominum scriptores fabularum confunderentur. At cum Q. Varus, licet a Musis, quantum Virgilio auctore scimus, non alienus fuisse videatur, tamen non is esset, qui dramatis, quod ediderat, tam egregii scri-

---

uterque, et *Carcini* cujusdam Thyestem profert Aristoteles Poet. c. 16. §. 2. — Non minus frequenter idem argumentum in scenam produxerunt Romani, ut patet ex Horatii A. P. v. 91. Nam *Ennius*, cum a. U. C. 585. Thyestem docuisset, mortem obiisse fertur, auctore Cicerone in Brut. c. 20.; *Pacuvii* Thyestem unus memorat Fulgentius s. v. *luteum* p. 568. De cognomini fabula *Sext. Sempronii Gracchi* dixi in Excursu VI. In eodem argumento elaborarunt seriori aetate *Curiatius Maternus*, teste Auct. Dialog. de Oratt. c. 3., *L. Annaeus Seneca*, qui multa ex Euripidis Cressis in Thyestem suam transtulit, et alii, ut discimus ex Martialis Libr. V. Epigr. 53. ad Bassum Poetam:

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyestem?
Quid tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion, vel, si non placet hic, Phaëthon;

quo argute Bassi carmina indicantur digna esse, quae vel undis vel flammis absumantur. Hinc inter celebrata a poetis tragoediarum argumenta retulit *prandia regum* Persius Sat. I. v. 67. ibiq. Fr. Passovius p. 288. sq. Cf. infra N. 72. Et Sidonius Apollinaris Carm. XXIII., in quo argumenta fabularum scenicarum, quas sub Theodosio agebant Caramallus et Phabaton pantomimi, recenset, v. 276. memorat: *Sive prandia quis refert Thyestae:* cf. P. Cr. Müller Comment. Histor. *de Genio, Moribus et Luxu aevi Theodosiani*, Part. II. p. 107.

ptor haberi potuisset; iste de ejus furto et fraude rumor in vulgus exierat et percrebruerat. Hinc igitur nata videtur et dissipata illa, quam Scholiastae memorant, nonnullorum opinio dicentium, Thyestem tragoediam, quae Quinti Vari nomine circumferretur, non ipsius, sed Cassii Parmensis esse.

Si quis forte est qui ejusmodi fraudem Romae tum fieri, tum per longius tempus latere potuisse neget, is cogitet, quae fuerit rei librariae apud Romanos ratio et conditio. Neque, opinor, quisquam erit, qui tam probrosum plagium alienum dicat a belli duce et Augusti administro, si haec sècum reputaverit. Illa aetate omnes, indocti pariter ac docti, ut testatur Horatius Libr. II. Epist. 1. v. 114. sqq., artem poeticam factitarunt. Divinae enim illius artis studium cum plurimum conferret ad ineundam potentium in civitate virorum gratiam, haud raro homines iratis nati Musis, quo citius carminibus enitescerent, non erubuerunt aliorum scripta poetarum expilare, et ne turpissimam quidem fallaciam sua persona indignam existimaverunt. Omittam hic quae Donatus in Vita Virgilii c. XVIII. §. 68. sq. de Bathyllo, mediocri quodam poeta, memoriae tradidit[68]). Exstat enim illustrius hujus impudentiae exemplum apud Horatium, qui ad Julium Florum Libr. I. Epistola *tertia* scripsit v. 15.:

Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo;

---

68) Heynius istam de Bathyllo narrationem suo more ad Grammaticorum seu Monachorum commenta refert, non intelligens, haec a Donato hausta esse ex Asconii Pediani libro *de Obtrectatoribus Virgilii:* vide §. 65.

Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Ecce Augustae domus hominem, qui clarissimorum scrinia poetarum tam impudenter expilaverat, ut Horatius, liberioris utique poeta oris, publice eum derideret[69]). Nec verecundioris fortasse frontis erat iste Q. Varus. Is pinguioris licet homo ingenii, tamen poeticam Asinii Pollionis et Cornelii Galli, aequalium in Gallia Cisalpina belli ducum, laudem forsitan aemulatus, tanto minus dubitaverat oblata sibi scriptis innotescendi occasione uti, quanto magis sperare potuerat, fore, ut, necato Cassio Parmensi, totam hanc fraudem suos celaret aequales.

Sed omnis haec disputatio, fateor, opinabilis est et conjecturis nititur, ultra quas progredi minime fas est. Quidquid ejus rei est, id tamen videtur certum esse atque evidens, L. Varium Poetam tam foedo caedis furtique crimine immunem esse. Quid enim, verum si volumus fateri, in Scholiastarum narratione inest, quod nos jubeat ac veluti cogat intelligere Horatii et Virgilii amicum ejusque Thyestem tragoediam? Nihil profecto! Exstitisse tantum illo tempore narrant Quinti Vari cujusdam tragoediam Thyestae nomine inscriptam, eamque ex nonnullorum opinione non ipsius Vari, sed necati ab eo Cassii Parmensis opusculum fuisse. Quapropter non multum abest quin totam hanc narrationem de Cassio Parmensi per L. Varium poetam Athenis interfecto, et de tragoedia ejus Thyeste per fraudem

69) De *Celso* illo quae scripsi in Comment. *de Titio Septimio Poeta* §. 4. p. 381. sqq., ab eis aliquantulum discessit, nec tamen persuasit Fr. Jacobsius, vir eximius, in Lection. Venus. XV. p. 336. sqq. cl. III. p. 54.

edita non Scholiastis, qui rem veram retulerunt, quam Viris Doctis adscribam, qui facta cognominis tragoediae mentione et solemni nominum *Varii* et *Vari* confusione in fraudem inducti ipsi totius fabulae auctores fuerint atque erroris propagatores.

§. 14.

Sed fuerunt etiam qui L. Varii Thyestem a P. Virgilio Marone scriptam dicerent. Inter testes ea de re audiendos primum locum merito occupat Donatus, qui in Vit. Virgilii c. XX. §. 81., ubi Maronis carmina recenset, „*Quamvis igitur*, inquit, *multa ψευδεπιγραφῆ, id est, falsa inscriptione, sub alieno nomine sunt prolata, ut Thyestes tragoedia hujus poetae, quam Varius edidit pro sua, et alia hujuscemodi, tamen Bucolica liquido Virgilii esse minime dubitandum est.*“ Iste, quem hic de Thyeste tragoedia tetigit Donatus, rumor videtur fidem invenisse apud eum, qui Servianis ad Virgil. Eclog. VI. v. 3. „*Cum canerem reges et praelia*“ haec adjecit: „*Alii Scyllam eum* (n. Virgilium) *scribere coepisse dicunt: in quo libro Nisi et Minois regis Cretensium bellum describebat; alii de bellis civilibus dicunt; alii de tragoedia Thyeste*[70]).“ Omnium maxime hac in caussa animum advertunt nostrum ea, quae Servius ad Virgilii Eclog. III. v. 20. „*Tityre, coge pecus; tu post carecta latebas*“ scripsit: „*Sane hoc loco quidam superfluam volunt esse allegoriam, dicentes rem nusquam lectam de Virgilio. Ajunt enim hoc: Varius, tragoedia-*

---

70) Pro vulg.: *alii de tragoedia Thyestis*, reposui certissimam Heinsii correctionem: *Thyeste*. Caeterum verba Virgilii quomodo capienda sint, docui in Excurs. III.

rum scriptor, habuit uxorem litteratissimam, cum qua Virgilius adulterium solebat admittere: cui etiam dedit scriptam tragoediam, quam illa marito dedit tanquam a se scriptam. Hanc recitavit pro sua Varius; quam rem Virgilius dicit per allegoriam. Nam tragoediae praemium caper fuerat: Horatius A. P. (v. 220.)[71])." Hic etiam Servii locus perspicue docet, fuisse, qui a Virgilio tragoediam scriptam esse statuerent.

Atque haec Grammaticorum testimonia secutus Ant. Delrius in Syntagm. Tragoed. Lat. P. I. p. 27. non dubitavit P. Virgilium Maronem tragicis Romanorum poetis accensere[72]). Eum tamen dubium

---

71) Pro vulg. *Varus,* quod etiam Lion retinuit, dubitari nequit quin ex Cod. Voss. scribendum sit *Varius.*

72) Sub Nerone vixit tragoedus quidam *Virgilius,* dominus Glyconis tragoedi, qui cum populo mire placuisset, a Nerone emptus ab hero et manumissus est, ut refert Vet. Scholiastes ad Persii Sat. V. v. 9.:

Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestae
Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi:

ubi multos vel nostrae aetatis interpretes latuit acumen v. *coenare.* Quid sibi voluerit allatus ab Ern. Guil. Webero Scholiastes Cod. Paris. *„Hic Glycon tragoedus fuit Neronis temporibus, qui saepe scenam Thyestae suis inserebat tragoediis,"* fateor me non satis intelligere. Neque assequor, quomodo hinc, ut Weberus ait, v. *insulso* explicandum sit. Rectius Vet. Scholiastes: *„Hic* (n. Glycon) *fuit staturae longae, fusci corporis, labio inferiori demisso: antequam subornaretur, deformis, nescius jocari, propter quod eum* insulsum *Persius dixit."* Verbum *coenandi* Persius audaci quidem, sed eleganti metaphora usurpavit de tragoedia famosa ista *regum* prandia repraesentante pro *agere* seu *saltare:* id quod bene jam vidit Casaubonus, modo ne addidisset: *„cupiditate coenae sive mercedis, unde se ipse alat."* Ita manifesto debilitatur verbi vis et virtus. Cum Persii loco Ruhnkenius in Schol. in Sueton. Aug. c. 70. contulit Epigrammatis ἀδεσπότε verba v. 4. *„Dum nova Divorum coenat adulteria,"* h. e. dum adulteria Deorum, novo more, in coena exprimit et imitatur. Atque cum utriusque tragoediae, Procnes et Thyestae, argumentum circa car-

habuerunt quae de consuetudine Virgilii cum Varii uxore tradidit Servius. Nam relata ista fama, „*Atque hoc,*“ inquit, „*occulte ab ipso Virgilio in Bucolicis illo versu* (Ecl. III. v. 20.) *significari dicunt. Sed sive tragoediam Maro composuit, sive non; alienam hanc a Virgilii castissimis moribus narrationem puto, et Varium potuisse suo Marte fabulam componere, Horatii et Ovidii testimonio patet.*“ Quae omnia repetiit ac secure descripsit Fr. Henr. Bothius in Poet. Scenic. Latin. Vol. V. P. I. p. 260.! Contra A. G. Langius in Vind. Trag. Rom. p. 11. negat, Virgilium umquam poesin tragicam attigisse, et quae Grammatici de Varii Thyeste per uxorem a Virgilio accepta prodiderunt, sic commemorat, ut ipsum harum taedeat ineptiarum.

Equidem ut concedam, nullas umquam a Virgilio in lucem editas esse tragoedias, tamen nihil arbitror obstare, quo minus hoc poesis genus ab illo animi caussa tentatum, atque inter alia pervagatissimum illud tragicorum de mensis Thyesteis argumentum pede ter percusso scriptum esse suspicemur. Nam Martialis Libr. VIII. Ep. 18. v. 7. sq.

---

nes liberorum coctas et patribus appositas versaretur, lepide dixit Persius *ollam* Procnes et Thyestae *ferventem.* Utraque autem fabula, quoniam placuerat, saepius reponi et *ἀναδιδάσκεσθαι* debuit: saepe igitur *agenda* fuit Glyconi tragoedo, pro quo pulchre *coenanda* Persius dixit, quod praeclare convertit Passovius: *oft wiederzukäuen dem albernen Glycon.* Caeterum mihi non dubium est, a Persio, ut alibi, ita hic quoque tecte carpi Neronem Imperatorem, a quo personato saepe *Thyestem* actum esse docet locus Juvenalis, atrae bilis plenissimus, Satir. VIII. v. 228.:

Majorum effigies habeant insignia vocis:
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestae
Syrma vel Antigones seu personam Menalippes.

Quae et ipsa documento sunt, quantum Romae in deliciis fuerit tragicum illud argumentum, quod, ut Horatii Libr. I. Od. 6. v. 8. verbis utar, *saeva Pelopis domus* praebebat.

non tam facultatem, quam voluntatem cothurno inclarescendi Mantuano Poetae defuisse significat. Sicut autem alios poetas constat in diversis carminum generibus otium consumere solitos esse; ita veri haud dissimile est, Virgilium quoque privatim sui ingenii vires in tragico poesis genere esse periclitatum. At ejusmodi opus umquam ab eo evulgatum esse ut ipse negem, cum alia mihi suadent, tum inprimis auctoritas Donati minime spernenda. Servius autem fallitur dicens, nusquam alibi de Virgilii cum uxore Varii consuetudine quidquam legi. Nam Donatus in Vita Virgil. c. V. §. 20. sq. narrat: „*Fama est, eum libidinis pronioris in pueros fuisse. Sed boni ita eum pueros amasse putaverunt, ut Socrates Alcibiadem et Plato suos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum Ecloga Alexin appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione. Utrumque non ineruditum dimisit: Alexandrum grammaticum, Cebetem vero et poetam. Vulgatum est, consuevisse eum cum Plotia Hieria. Sed Asconius Pedianus affirmat, ipsam postea majorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse.*" Qua in narratione quo minus Donati fidem suspectam habeamus, obstat permagna Asconii Pediani auctoritas, qua, quidquid hic de Virgilii amoribus relatum legimus, niti apertum est. Exposuerat autem ille hac de re sine dubio in libro de Obtrectatoribus Virgilii, ut recte monuit Heynius, in eo tamen falsus, quod, quae ex Servii Commentariis a nobis supra allegata est narratio, eam aliam ac diversam esse putat.

Utramque narrationem, subturpiculam quidem

atque erubescendam, hic per partes eundo accurate pertractandam duco, ut, quid quantumque veri insit, patescat. Quodsi inde Virgilii Variique vitae ac moribus maculae quid adspergatur, non ideo fugienda est ea quaestio, nec pertimescenda, quam unice investigamus, veritas, quamvis ingrata nobis sit et a nostra sentiendi ratione longe discedat. Nam profecto qui ejusmodi res a Grammaticis traditas fastidiose spernunt, et judicii quadam severitate nescio dicam an levitate pro meris hominum male feriatorum somniis nugisque habent, illi videant, quid tandem fiat veteri historiae. Contra hoc Virorum quorumdam Doctorum fastidium non minus erudite quam sobrie disputavit Fr. A. G. Spohnius in Prolegomenis ad Bucolica Virgilii p. 24. T. I. ed. Wagner. Atque hujus amici quondam mei exemplum secutus cavebo, ne hac in re exploranda non tam veram antiquitatis indolem explicasse, quam ingenii mei figmenta opinationesque protulisse coarguar.

Jam primum dubitari nequit quin apud Servium ac Donatum de L. Vario Poeta sermo sit[73]). Nec magis ambiguum cuiquam incertumque esse potest, utrum illi unam eamdemque feminam intellexerint, nec ne. Uterque commemorat uxorem Varii: Servius eam dicit fuisse litteratissimam, sed ejus nomen reticet; a Donato appellatur *Plotia Hieria.* Pro *Hieria* olim a Daniele editum erat *Aleria*: quae nominis scriptura videri potest aliquam commendationem habere a Servio ad Virgilii Eclog. II. v. 15.

---

73) In eadem sententia etiam est Ever. Otto de P. Alfeno Varo Icto Cap. III. §. 5. in Thesaur. Jur. Rom. Tom. V. p. 1646. sq. Is cum multa alia, quae apertum est L. Varii Poetae esse, suo Alfeno vindicatum iverit; istius tamen litteratissimae adulterae maritum poetam, de quo agimus, fuisse concedit.

„*Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras Atque superba pati fastidia? Nonne Menalcan?*“ Ad haec ille, „*Tres dicitur*,“ inquit, „*amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio, et Cebetem puerum cum Leria puella, quos a Maecenate dicitur accepisse. Unde volunt quidam per Amaryllida, Leriam, per Menalcan, Cebetem intelligi.*“ Et G. J. Vossius, nomen *Leriae* mendosum suspicatus, non dubitavit dictam a Donato *Plotiam Aleriam* huc referre; in ejusque sententiam video transiisse Heynium ad Donati Vit. Virgilii c. V. §. 20. Mihi autem secus videtur. Nam multo verisimilius est, nomen *Aleriae* corruptum esse apud Donatum, ortumque ex praecedentis litterae adhaesione, ita ut scriptum fuerit: *consuevisse eum cum Plotia Leria.* Deinde illud *Aleriae* nomen apud Romanos, quod sciam, plane inauditum est, neque ulla ejus probabilis reddi potest ratio et originatio. At *Leriae* nomen, quamquam non magis usitatum, tamen habet quo explicari ac defendi possit, si huc vocaveris Graecorum *λήρους*, i. e., Hesychio interprete, *τὰ περὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι κεχρυσωμένα*, et Latinorum *leria* sunt ornamenta tunicarum aurea, ut explicat Festus p. 203. D. Conferas de h. v. Scaligerum ad Varron. de L. L. p. 136. et Taubmannum ad Plauti Aulul. IV. 5. 51. p. 175., quos allegavit Jacobsius ad Br. An. Animadvers. Vol. I. P. II. p. 333.

Verum tamen utramvis amplecteris nominis formam, id sane magnam habet offensionem, quod neutra earum aliqua inscriptione aliove antiquitatis monumento firmari potest. Contra *Hieriae* nomen, quod hodie editum apud Donatum legitur, quam genuinum sit et *Aleriae* sive *Leriae* praeferendum,

planum faciunt duae Inscriptiones, quarum altera invenitur apud Gruter. p. DLXXXII. 5.

PHILETAERO
AVG. LIB. PRAEPOS
AB. AVRO. GEMMATO
JVLIA. HIERIA
ANTHI. FILIA
CONJVGI. B. M. FEC
ET. SIBI. IN. SVO. ITEM
LIB. LIBERTABVSQ
POSTERISQ. EORVM.

Altera, quae et ipsa Romae in ara marmorea reperta est, apud Gruter. p. DCLXXXIX. 5.

DIS. MANIBVS
JVLIAE. C. F
HIERIAE
THEOPHILVS
PATER.

Sciens praetereo aliam Inscriptionem apud Gruter. p. DCCCCXIV. 1., in qua *Apusclana Hieria* memoratur. Illae Inscriptiones docent, *Hieriae* nomen, quod *ἱερίαν* s. *ἱέρειαν*, sacerdotulam, significat, proprium fuisse libertabus. Quemadmodum igitur *Julia Hieria* haud dubie liberta fuit Julii cujusdam, ita certum videtur, illam, quacum Virgilius consueverit, *Plotiam Hieriam* fuisse a Plotio quodam manumissam.

Verum enim vero quo longius in hac disputatione progredior, hoc majorem mihi objectam video difficultatem et, ut ingenue fatear, *ἀμηχανίαν* quamdam. Nam ex eis, quae modo disseruimus, videtur consequi, ut a L. Vario Poeta libertinam in matrimonium ductam esse statuamus, et haud dubie illam ipsam puellam, quam Virgilius cum Cebete,

puero formoso, a Maecenate muneri acceperit et Amaryllidos nomine Ecloga secunda celebraverit. Id autem quis sibi persuadeat verisimile esse? Quare mihi temporum rerumque momenta accurate pensitanti subnata est suspicio, qua omnis difficultas, quae, quoquo te vertas, tibi objicitur, sublata evanescit. Mihi enim videtur apud Donatum nomen *Hieriae* sive *Aleriae*, quod ipsa varietate corruptelam prodit, adjectum esse ab homine nescio quo, qui, ut Virgilium adulterii crimine cum legitima et ingenua Varii uxore liberaret, inconsulto hic posuerit nomen puellae, quam meminerat Maroni a Maecenate donatam esse. Ita *Plotia*, quod erat genuinum litteratissimae illius feminae nomen, per librarios invenit cognomen *Hieriae*, quod ab aliis depravatum est in *Aleria* et *Leria*. Nam apud Servium ad Virgilii Eclog. II. 15. reponendum censeo servile *Hieriae* nomen.

Ex hac qualicumque conjectura multum lucramur. Nam, deleto apud Donatum *Hieriae* nomine, nobis se offert *Plotia*, mulier ingenua et ex nobili oriunda gente, quae dubitari vix potest quin fuerit si non soror, certe cognata illius *Plotii Tuccae*, quem novimus cum Virgilio, Horatio et Vario fuisse conjunctissimum[74]). Hanc quidem suspicionem nemo non videt mirifice commendari rerum temporumque rationibus. Sicut enim Plotius Tucca vir fuit perpoliti ingenii, elegantiaque doctrinae excellens, ita sororem ejus cognatamve probabile est fuisse puellam litteratissimam. Neque mirabimur, eam sibi matrimonio junxisse L. Varium Poetam. Fuerunt

---

74) De *Plotio Tucca* vid. supra §. 8. not. 38.

igitur Varius et Plotius affines, quibuscum Virgilium tam familiariter vixisse scimus, ut moribundus eos prae caeteris haeredes scriberet. Qua in re haud scio an nihil quidquam inveniatur, quod nos paene cogat, ut Mantuano poetae interiorem artioremque cum utroque necessitudinem, majoremque rerum domesticarum communionem intercessisse suspicemur[75]).

§. 15.

Jam cum hac legitima L. Varii uxore Grammatici memoriae tradunt Virgilium consuesse: quam labem vitae ejus adspersam qui diluere conantur, eis periculum est ne frustra operam impendant et turpem temporum antiquorum et, qui in illis per omnes hominum ordines invaluerant, morum ignorantiam prodant. Libere dicam, quod sentio, et vix mihi temperare possum, quin, quae Spohnius de Virgilii in pueros amore scripsit, huc transferam et mea faciam[76]).

---

75) Non multum abest quin hujus sententiae meae testimonium dicam esse istud Epigramma IX. in Catalect. Virgilii Vol. IV. p. 362. ed. Wagn., quod tractavi in Comment. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 7. N. 23.

76) Tametsi verecundiam Virgilii defensum iverunt Baylius, Martinus, Klotzius, alii, tamen frustra pugnarunt contra tantae auctoritatis testes, quantae sunt Martialis et Apulejus, quibus ne Heynius quidem ad Donati Vit. Virgilii c. V. §. 20. fidem derogare ausus est, ceteroqui propensissimus nugacibus tribuere Grammaticis, quidquid de Virgilio relatum ipsius sensui ac judicio parum probaretur. Sed verissime Spohnius in Proleg. ad Virgilii Bucolica p. 24. „*Testimonia*, inquit, *certa si sunt*, *haberi debent certa, et ex iis constituenda est historia; quod qui noluerit, figmenta potius ingenii sui, certe antiquitatis veram indolem non explicabit. Neque vero in ulla re, quae ad antiquitatem illustrandam facit, licet ea tantum depromere, quae exspectemus et exoptemus, quaeve grata sint et cum iis conveniant, quae praeconcepta opinione nobis finximus; sed quum id unum agere de-*

Magni equidem facio Virgilium propter egregias multiplicesque ingenii animique virtutes, quas in carminibus expressas nobis reliquit; nihilo tamen secius fieri potuisse arbitror, ut eam, de qua sermo est, facti turpitudinem in se admitteret. Vixit enim ea aetate, qua Romani per bella civilia divitiasque exterarum gentium a prisca simplicitate ad luxuriam, ab integritate morumque castimonia ad libidines illicitamque Venerem deflexerant, et qua ne potentissimi quidem civitatis viri adulteriorum infamiam pertimescebant: vid. Suetonius in Aug. c. 68. et 71. Atque fecunda ista culpae saecula, ut Horatius Libr. III. Od. 6. v. 17. testatur, primum nuptias inquinaverunt et genus et domos. Nec mirum! Corruptissima enim erat disciplina domestica, de qua idem Poeta v. 21.:

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et fingitur artibus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui;
Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis,
Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor: [77])

---

beamus, ut veritatem inveniamus, tunc quoque officio deesse non possumus, quando haec minus grata videtur exoriri. Quod autem inde in Virgilii mores redundat, etiamsi vitiosi quodammodo fuerint, non est celandum. Nam si fuissent, non tam ipsius viri culpa, quam temporum iniquitate fuissent inquinati.“

77) Vereor ut recte neget Mitscherlichius, Horatii verba v. 21. sq. capienda esse de pravitate institutionis domesticae, qua

quo in loco Poetae non meretrices obversatas esse, sed puellas ingenuas et matronas, in confesso est.

---

inprimis sexus muliebris inde a teneris ad omne lasciviae et nequitiae genus ferri condiscat. Puellae a parentibus adulteris natae utique turpitudinis quadam contagione tenebantur, sed ut adultae ad parentum flagitia prolaberentur, efficiebat perversa educatio, vel bonae indolis corruptrix. Huic maxime tribui a poeta communem, quae in patriam fluxerit, cladem, planum fit ex oppositis v. 34. sqq., ubi antiquae disciplinae severitas laudatur, qua proles ad militiae et rusticorum operum molestias adsuefacta induruerat. — Vers. 22. controversa admodum est lectio et interpretatio. Bentleji auctoritatem restituentis: *fingitur artibus*, cum omnes secuti sunt editores, tum etiam Carolus Fea, nisi quod meliorem induxit distinctionem, jure adoptatam ab Jahnio, V. Cl. Plerique v. *artibus* casu tertio accipiunt de artibus meretriciis, quibus puellas institui solitas esse a matribus ad pelliciendos amatores, ex Ovidii Amor. Libr. II. El. 10. v. 5. et de A. A. Libr. I. v. 242. aliisque docere studuit Fea. Altera Codicum lectio *fingitur artubus* habet antiquitatis commendationem ab Scholiastis, qui ita legendum esse docent, quia non a v. *artes*, sed *artus* descendat. Quo facto verba *fingitur artubus jam nunc* per epexegesin capienda essent de saltatione artificiosa, mimica et cinaedica, praesertim recepta aliquot Codd. lectione *frangitur*. De re conferri possunt Intpp. ad Alciphronis Libr. I. Ep. 39. Tom. I. p. 253. et ad Plinii Paneg. c. 46. §. 4., et de verbis N. Heinsius ad Claudiani in Eutrop. Libr. I. v. 262. p. 291., qui lectionem *frangitur artubus* unice veram dicens de mimico et resoluto incessu explicat. At Bentlejus eam vitio laborare contendit, cum Latine dici oportuerit *frangitur artus*, non *artubus*. Nihilo tamen secius istam lectionem Horatio ab editoribus surreptam esse nuper doluit Huschkius ad Domitii Marsi Epitaphium Tibulli v. 3. T. II. p. 679. monuitque, v. *artubus* non esse ablativum instrumenti, sed materiei, id quod injuria negaverit Bentlejus. Optat igitur, ut apud Horatium revocetur lectio *frangitur artubus*, quam firmari ait loco Sulpiciae Sat. v. 4. „*Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem Fortiter irasci didicit.*“ Equidem ἐπέχω: nam istam lectionem sive de saltatione sive de incessu explicas, violatur elegans et ponderosa totius strophae brevitas et sententiarum ordo, qui hic est: virgo simulatque adulta est, discit molles saltationes, quibus corpus, et artes meretricias, quibus animus corrumpitur, et utrasque edocta cum sit, non mirum est, eam in tenera adhuc aetate nil nisi flagitia animo habere. Haec, quae virgo didicit, lenocinia exercet mox ubi nupta est viro! Atque hanc, quam Poeta Venusinus depingit, mulieris ingenuae atque

Et qui ejusdem Poetae Satiram Libri I. secundam attento perlegerit animo, intelliget, omnem matrimonii sanctitatem, quam vel leviter violasse nefas olim haberetur, illorum perversitate temporum ita fuisse sublatam, ut ne nobilissimi quidem viri adulteriis vetitoque matronarum amore abstinuerint.

Haec quum mecum reputo, non video quid obstet, quo minus Plotiam quoque, ingenuam licet nobilemque feminam, suam credamus prostituisse pudicitiam, praesertim cum ea videatur doctrinae, quam telae amantior fuisse. Asconius Pedianus, ut Donatus ait, affirmabat, ipsam natu majorem narrare solitam, Virgilium invitatum esse a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse. Scilicet haec dixit patronus ac defensor Virgilii, ut eum ab adulterii opprobrio vindicaret, eaque hausit ex ore ejusdem mulieris, quacum adulterasse clientem fama ferebat. Haec interroganti Asconio narravit Plotia vetula jam, quam non credibile est ita omnem exuisse pudorem, ut adulterium ipsa confiteretur suum. Mirum utique quemvis habeat necesse est ejusmodi ingenuitas et frons mulieris talia de se maritoque narrantis! Et Varium si spectamus, qualem tandem putabimus fuisse decori sensum ei, qui suam uxorem non dubitarit substernere libidini alius vel amicissimi hominis? Quapropter Varii mei caussa sane vellem, tota propudiosi istius facinoris narratio sublestioris voce testis niteretur, quam Asconii. At vero Asconius is est, quo satis certo auctore stetur: erat enim illorum aequalis,

---

legitimae uxoris imaginem si quis attente inspexerit, fatebitur, Plotiam, L. Varii uxorem, excusatius videri peccasse in Virgilio, mariti amico!

ex ipsa Varii uxore de ista re inaudiverat, neque ea publice uti erubuerat in Apologia, quae Virgilium non modo qua poetam, sed eumdem etiam qua hominem a malevolis obtrectationibus tutum praestaret[78]).

Sed, utcumque ea res facta est, id nullam habet dubitationem quin Virgilii cum Vario, Plotiae marito, familiaritas aequalibus fuerit suspecta et in crimen venerit. Virgilius adulterii cum Plotia admissi infamiam subierat, quam vidimus non temere confictam fuisse; sed auctam illam esse et exaggeratam obtrectatorum malevolentia, dubitari nequit. Ad hoc enim Virgilianae vitae dedecus referenda puto quae apud Aeneam Sylvium in Histor. de Euryalo et Lucretia p. 32. ed. Drud. legimus: „*Virgilius per funem tractus ad mediam turrim pependit, dum se mulierculae sperat usurum amplexibus.*“ Varius contra in turpem plagii cujusdam et doctae fraudis suspicionem inciderat. De qua re quid sentiam, breviter explicabo.

Atque, ut ab hoc ordiar, per se minime a vero alienum est, a Virgilio poema quoddam, tamquam pretium quod dicitur affectionis, datum esse feminae litteratissimae, ab eaque, doctrinae poeticae laudem affectante, illud, quasi proprium opus, traditum marito item poetae, qui hoc velut a se scri-

---

78) Hoc perspicue intelligitur ex iis, quae apud Donatum in Vit. Virgilii c. XVII. §. 65. legimus: „*Refert etiam Pedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse*“ — et §. 67.: „*Quare coaevos omnes poetas ita adjunctos habuit, ut, cum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent, Varius*, (Plotius) *Tucca, Horatius*, (Cornelius) *Gallus, Propertius.*“

ptum in amicorum consessu recitaverit, non quo fraudem eis faceret, sed animi caussa et ut amicos ludendo falleret. Nec magis absurdum est suspicari, illud poema fuisse tragoediam consulto a Marone scriptam, quo majorem a Plotia, tragici poetae uxore, gratiam iniret. Quid? quod veri admodum simile est, Thyestem fuisse, quippe quo in argumento sciret Virgilius amici sui studium cum maxime versari. Hujus joculi ac rei privatos intra parietes gestae fama cum in vulgus emanasset, et fortasse Varius paulo post suam edidisset Thyestem; quid mirum otiosorum rumusculis hominum accidisse, ut haec tragoedia non a Vario ipso, sed a Virgilio scripta diceretur? Hinc etiam factum videtur, ut Virgilio Thyestes adscriberetur: quam tragoediam etiam a Servio ad Virgilii Eclog. III. v. 20. significari, bene monuit Heynius ad Donati Vit. Virgilii c. V. §. 21.

Omnis igitur de L. Varii plagio controversia ad doctae plebis suspicionem quamdam et opinationem redit, cui dissipandae in vulgus et confirmandae ipsi illi amici, Varius et Virgilius, ansam dederant. Cum autem L. Vario summa poeticae facultatis laus ab Horatio tribuatur, eique Thyestes tragoedia communi gravissimorum antiquitatis scriptorum consensu adscribatur; nemini, opinor, credibile erit laudatissimum illud opus esse a Virgilio scriptum et a Vario per malam fraudem aequalibus posterisque impositum. Nam Vespasiani adhuc aetate, quum isti hominum rumusculi dudum evanuissent, *nullus Asinii aut Messalae liber tam illustris erat, quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes*, ut testatur Auctor Dialog. de Oratt. c. 12. et Quintilianus I. Or. Libr. X. c. 1. §. 93. ait: *„Jam Varii Thyestes*

cuilibet Graecarum comparari potest[79])." Itaque aut omnia, quae apud Donatum et Servium ea de re legimus, ficta sunt, aut tragoedia a Virgilio scripta et Plotiae dono data alia fuit, quam Thyestes, qua L. Varius Poeta perennem sibi peperit nominis gloriam.

§. 16.

Jam praestantissimi illius operis disjecta veluti rudera hic colligam, quamvis tam pauca sint, ut eis compositis de integri aedificii arte et forma ne suspicari quidem liceat.

I. Quintilianus I. Or. Libr. III. c. 8. §. 45.: „Neque enim est quisquam tam malus, ut videri velit. Sic Catilina apud Sallustium (c. 20.) loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione, videatur audere. Sic Atreus apud Varium:

— Jam fero infandissuma:
Jam facere cogor."

---

79) In Quintiliani loco edidi *Graecarum* pro vulg. *Graecorum*, secutus Spaldingium Vol. IV. p. 85. Etsi lectio vulgata, ut bene monuit Frotscherus ad h. l. p. 88., defendi potest, tamen non difficile est intellectu, utra ab imperitis librariis profecta sit. Sic Terentius in Eunuchi Prolog. v. 32. „*eas se non negat Personas transtulisse in Eunuchum suam Ex Graeca:*" quem Terentii locum comparavit Servius ad Virgilii Aen. Libr. V. v. 122. „*Centauro invehitur magna.*" Ut in loco Terentiano n. *Eunuchus*, quia de Comoedia, ita in Virgiliano n. *Centaurus*, quia de navi cogitari debet, cum Adjectivo feminini generis πρὸς τὸ σημαινόμενον copulantur. Cf. N. Heinsius ad Silii Ital. Libr. XIV. v. 500. Laude Medeae Ovidianae concinit cum Auctore Dialog. de Oratt. Quintilianus l. c. „*Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo operari quam indulgere maluisset:*" de cujus loci sententia et vi sobrie admonuit Bernhardy in *Grundriss d. Roem. Litterat.* N. 402. p. 221. Ovidius *Medeam* scripsit triginta circiter annos natus, ut patet ex Amor. Libr. III. Eleg. 1. v. 29. cf. Jahnii Introduct. in Ovid. Amor. Vol. I. p. 226. et de ejus Fragmentis diffusius egit Burmannus ad Anth. Lat. Libr. I. Epigr. 178. Vol. I. p. 149. sqq.

Ita disposuit haec verba Rutgersius in Lection. Venus. c. 3. p. 246. et Bentlejus ad Horatii A. P. v. 260. Habent hoc fragmentum H. Stephanus p. 426., Ant. Delrius in Syntagm. Trag. Lat. P. I. p. 152., P. Scriverius in Collectan. Vet. Trag. p. 157., itemque Bothius in Poet. Scen. Latin. Vol. V. P. I. p. 272. Codices Quintiliani etiam hic promiscue *Varum* et *Varrum* exhibent: *Varium* dedit jam Gesnerus, qui etiam pro *fero* maluit legi *ferre.* At *ferre,* inquit Spaldingius, pro *fero* non adjuvatur a libris, et robustius videtur, si *facere* tantum, non item *ferre,* se cogi dicat Atreus. In Cod. Guelf. lectione *vero* latet recepta lectio. Duo continuos in jambis Latinis spondeos illustravit Bentlejus l. c.

II. Marius Victorinus Art. Gr. Libr. I. p. 2503. P., ubi de musico orbium coelestium concentu agens ait: „De quo Varius sic tradit: *primum huic nervis septem est intenta fides, variique additi vocum modi, ad quos mundi resonat tenor sua se volventis in vestigia.*“

Rutgersius l. c. haec quoque verba ex Thyeste tragoedia esse putat et pertinuisse ad chorum, cujus canticum ex Anapaesticis, quales in Senecae tragoediis inveniantur, compositum fuerit. Hinc Josephi Scaligeri judicium secutus, qui simili modo nonnullos Senecae choros distinxerat, versus monometros fecit ita emendatos:

— Primum huic
Nervis septem est
Intenta fides:
Variique modi
Additi vocum,

Ad quos mundi
Resonare tenor,
Volventis sua
Se in vestigia.

et factas a se mutationes confirmare studuit Senecae versibus. At Bothius l. c. illa verba passim mutata et transposita ad dimetros anapaesticos revocavit hos:

Primum huic
Nervis septem est intenta fides,
Variique dati vocum moduli,
Ad quos mundi resonat tenor, in
Sua volventis se vestigia.

C. Barthius postrema verba ad Statii Thebaid. Libr. V. v. 460. „*et velox in terga revolvitur annus*,“ prolata sic scripsit:

Ad quos resonat mundi tenor,
Volventis in vestigia sua se.

Item Bersmannus ad Virgil. Georg. Libr. II. v. 402. „*Atque in se sua per vestigia volvitur annus*,“ et post eum omnes alii Interpretes, qui illa a Virgilio imitatione expressa judicarent, ita ediderunt:

Ad quos mundi resonat tenor
Sua se volventis in vestigia.

eaque J. H. Vossius ad Virgilii Georg. l. c. p. 408, ita convertit:

Nach welchen der Welt Fortwandel ertönt,
Umdrehend sich selbst in eigener Spur.

Caeterum Stephanus et Delrius et Scriverius hoc insigne fragmentum omiserunt.

III. Philargyrius ad Virgilii Ecl. II. v. 70.: „*Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.*“ „Frondosa vitis, id est, de qua si quis biberit, insanit. Sic Varus: *Et frondosam*, inquit, *semiputatam queritur vitem.*“

Mihi non dubium est quin h. l. *Varius* pro *Varus* scribendum et de L. Vario cogitandum sit. Neque possum accedere J. H. Vossii sententiae, suspicantis ad Virgil. Ecl. VI. v. 6. p. 292. significari hic a Philargyrio Lucium Varum, Epicureum, tamquam commentatorem Virgilii. Quae conjectura, ne quid gravius dicam, vanissima est. Quis enim est, quin in illis verbis dictionis poeticae colorem quemdam ac numerum inesse sentiat? Verissime Rutgersius in Var. Lection. Libr. VI. c. 15. p. 549. illa verba ad Anapaestos revocavit ita scribens:

Et frondosam
Semiputatam
Queritur vitem.

Hoc fragmentum, quod unus Almeloveenius in Fragm. vett. poet. p. 181. sub *Vari* cujusdam nomine attulit, nihil equidem dubitavi referre ad L. Varii Thyestem, quandoquidem alia melici generis carmina, nisi quae in illa tragoedia essent, scripta ab eo esse non constat.

§. 17.

Praeter Thyestem celebratur Varii carmen *de Morte*, ex quo Virgilium plurimos versus mutuatum suismet carminibus vel integros vel leviter mutatos inseruisse attestatur Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 1. et 2. Permira sane est hujus carminis inscriptio, qua Heynius tantopere offensus est, eam ut corruptam esse diceret ad Donati Vit. Virgil. c. XIV. §. 53. At omnes, quotquot adhuc innotuerunt, Macrobii Codices eam unanimi consensu tuentur. Et quantum ex paucis, quae supersunt, ejus carminis fragmentis colligere licet, verisimilis admodum est J. H. Vossii ad Virgilii Ecl. IX. v. 35. p. 475. cl. ad

Ecl. VIII. v. 88. p. 432. conjectura, qua Varius existimandus est luxisse C. Julii Caesaris caedem. Idem suspicatus est Heindorfius ad Horatii Satir. I. 10. v. 43. Quae quidem suspicio mirifice adjuvatur temporum rerumque rationibus, quas fusius exposui supra §. 5. et 6. Fuit illud carmen epici generis et, si non prius, certe ante a. U. C. 714. editum, omnibusque, qui quidem Caesari Octaviano ejusque caussae faverent, ita probatum, ut Varium, tamquam summum poetam, suspiceret Virgilius Eclog. IX. v. 35. Quid? quod Vario fortasse eadem fuit scribendi illius carminis occasio, qua Virgilium excitatum fuisse constat, ut a. U. C. 712. componeret Eclogam quintam, in eaque tum dolorem suum de Daphnidis i. e. Julii Caesaris obitu, tum laetitiam de Daphnide heroe inter Deos recepto exprimeret. Videsis Jahnii Introduct. in Virgil. p. XIII. et Spohnii Prolegomena ad Virgil. Carm. Bucol. p. 29. sqq. Uterque poeta hoc argumentum, haud injucundum multis aequalium suorum et, qui tum erant, civitatis principibus gratissimum, pro suo quisque consilio tractavit et ita temperavit, ut, Virgilio nativam bucolici carminis simplicitatem consectante, Varius epico sublatus spiritu C. Julii Caesaris, quem vivum cum admiratione coluerat, praeclare facta caneret et gravi percussus desiderio miseram ejus caedem lugeret. Illud igitur carmen arbitror Epicedium quoddam fuisse uno comprehensum volumine: id quod inde colligo, quia non in plures descriptum fuisse libros videtur. Etiam ex hoc carmine pauca admodum supersunt fragmenta, quae omnia apud unum Macrobium lecta jam collegit H. Stephanus p. 425. et N. Ciampittius in Praefat. c. apud Kreyssig. p. 127. sq.

I. Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 1.: „Varius de Morte:

Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum
Eripuit; fixit leges pretio atque refixit[80]).“

Hos versus paene integros Virgilius recepit Aeneid. Libr. VI. v. 621. sq.:

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit; fixit leges pretio atque refixit;

ubi Servius ad v. 621. „*Etiam haec,*“ inquit, „*licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem: nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit; Curio Caesari DC. H. S. Romam.*“ De *Lasthene* vide Demosthenis Or. pro Corona §. 48. ibique Bremi et Jacobs, et de *Curione* Vellej. Paterc. Libr. II. c. 48. §. 3. Servius ibidem contulit Lucani Phars. Libr. IV. v. 820.:

Momentumque fuit mutatus Curio rerum
Gallorum captus spoliis et Caesaris auro.
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sulla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus,
Caesareaeque domus series: cui tanta potestas
Concessa est? emere omnes, hic vendidit urbem.

ad quem locum Scholiastes, „*Quia et alii,*“ inquit,

80) Ediderам antea *agrosque viritim,* secutus non tam Zeunium, quam Jac. Gronovium (Lugd. B. 1670.) et editores Bipontinos; sed humanissime admonitus a Kreyssigio ad Ciampittii Praefat. c. p. 128. reposui *agrosque Quiritum:* quam lectionem, quum *agrosq.* sive *agrosque* praecedat, in *agrosque viritim* abiisse acute suspicatur Kreyssigius, illam confirmans testimonio Macrobii editionis Coloniensis a. 1526. et H. Stephani in Fragm. Poet. vett. Lat. a. 1564. p. 425. Quibus ego Macrobii editionem Venetam IV. ab Jo. Rivio a. 1513. curatam, Ascens. 1519., Aldinam 1528. et Basileens. 1535. addo, nec dubitari potest quin ea, quam nunc dedi, lectio praeferenda sit. In loco Virgiliano amplexus sum interductum a Ph. Wagnero factum et Viro eximio in constituenda hujus loci sententia totus assentior.

„dona dando emerunt urbem, ut in ea dominarentur; Curio solus omnium vendidit Caesari, ut in ea dominaretur. De quo Virgilium volunt dixisse: Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem Imposuit.“ Conferas eumdem Scholiastem ad Phars. Libr. I. v. 269. Qui Virgilii verba ad amussim exegerunt Interpretes, fluctuarunt haeseruntque maximis impliciti difficultatum nodis, quos Heynius ita expedivit seu potius dissecuit, ut omnem operam ad certos haec revocandi homines inanem diceret. Quod mihi secus videtur! Servius ad vv. *fixit leges pretio atque refixit, „Possumus,“* inquit, *„Antonium accipere, secundum Ciceronem in Philippicis.“* Mihi non dubium est, quin Virgilio illos scribenti versus certus quidam homo suae aetatis obversatus fuerit. Atque, nisi forte consulto et callide ex duobus hominibus, Curione et Antonio, unum a Poeta Mantuano confictum ac veluti conflatum statuas civem scelestum et impium in patriam, mihi veri admodum simile videtur, neminem alium, quam M. Antonium hic significari, quem Poeta scelerum poenas in Orco luentem induxerit. Antonius enim, si quis alius, dici poterat patriae imposuisse dominum potentem. *„Nam,* inquit Cicero Philipp. II. c. 21., *quum L. Lentulo, C. Marcello, Consulibus, Kalendis Januar. labentem et prope cadentem rem publicam fulcire cuperetis, ipsique C. Caesari, si sana mente esset, consulere velletis: tum iste* (Antonius) *venditum atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit, cervicesque suas ei subjecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt.“* Idem c. 20. dicit, Antonium, quum Quaestor Caesaris largitionibus perditis vitae rationibus succurrisset, advolasse ad tri-

bunatum, ut in eo magistratu, si posset, viri sui similis esset, h. e. Curionis, qui Antonium, teste Plutarcho in Anton. c. 5., sibi adjunxit et haud leve praesidium partibus Julianis addidit. Uterque igitur largitionibus Caesaris corruptus vendidit auro patriam; uterque ad Caesarem Roma confugit, auctore Dione Cass. Libr. XLI. c. 3. ibiq. Intpp. T. V. p. 283. St., faces bello civili subdidit et sic patriae dominum imposuit. In utrumque igitur quadrat Virgilii versus 621.; at de uno Antonio dici poterat, ut bene sensit Servius: *leges fixit pretio atque refixit*, ut statim probabimus.

Tametsi fieri non poterat, quin Augusto illum locum legenti succurreret Antonius, tamen Virgilio minime verendum erat, ne in principis illius offensionem incideret. Constat enim, quae et qualis fuerit inter utrumque necessitudo, mutuae obtrectationis, invidiae et simultatis plenissima. Atque haec quum scribebat Virgilius, jam dudum debellatus erat Antonius ab Augusto. Et si quid offensae inerat in verbis: *dominumque potentem imposuit;* id omne si non vitavit, certe mitigavit eo, quod versus istos ex L. Varii in Julium Caesarem Epicedio in Aeneidem traduxerat. Jam quaerentibus nobis ac divinantibus, quem a Vario descriptum intelligas, nemo sive ex Julii Caesaris adversariis sive sociis ejus et potentiae administris occurrit, in quem omnia ista verius conveniant, quam M. Antonius. Quis enim alius majore jure dici poterat vendidisse populis *Latium*, i. e. jus Latii sive civitatem? Nam, ut Cicero ait Philipp. II. c. 37., „*Inspectantibus vobis toto Capitolio tabulae figebantur: neque solum singulis venibant immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non jam singillatim, sed provinciis*

totis dabatur." ibiq. Abramus T. I. p. 542. ed. Wdf. Philipp. III. c. 4.: „*Quis autem rex umquam fuit tam insignite impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, jura regni venalia? quam hic immunitatem, quam civitatem, quod praemium non vel singulis hominibus, vel civitatibus, vel universis provinciis vendidit?*" Philipp. V. c. 4.: „*Decreta falsa vendebat; regna, civitates, immunitates, in aes, accepta pecunia, jubebat incidi.*" Et Philipp. XII. c. 5.: „*Immunitates ab eo, civitates, sacerdotia, regna venierunt. Num figentur rursus eae tabulae, quas vos decretis vestris refixistis?*" Vide ad h. l. Garatonium, qui allegat Spanhemium I. Orb. Rom. 17.

His accurate et sine cupiditate perlectis quis est quin in Varii versibus ejusdem effigiem hominis, qui in civitate Consul omnia permiscebat, impudenti audacia et lubidine per jura divina humanaque grassatus, depictam inveniat. At quaerat quispiam, quî fieri potuerit, ut Varius Antonium, Triumvirum potentem et Octaviani collegam, tam aperte et acerbe perstringeret eo quidem in carmine, quod scriptum esset in honorem C. Julii Caesaris, cujus in affectando imperio seu opprimenda republica fuerat administer strenuus ac fortis? Verum enim vero qui Octavianum bene noverit, mihi non dubitabit accedere dicenti, vaferrimum istum juvenem inde a caede usque avunculi sui id animo agitasse, ut solus rerum potiretur, ut, oppressis per Antonium Bruto et Cassio, sensim sensimque suos in Triumviratu collegas auctoritate et potentia privaret et, ubi occasio ferret ac tempus, eos opprimeret. Quare etiam tantum aberat, ut aegre ferret, si collegam suum ab aliis videret audiretque vituperatum, ut tacito pectore probaret.

Accedebat, quod Antonius eo, quo haec Varius scribebat, tempore Italia abesset. Quidni igitur Varius, Caesarianus, ausus fuerit, Antonium, quem noverat Consulem sua lubidine invidiam fecisse ipsi Julio Caesari, quemque viderat hostem patriae judicatum, et tot Senatus decretis ignominiisque concisum, eo in carmine vituperare, quo Dictatoris misere trucidati virtutes et merita celebrabat? Hic ipse locus non poterat quin Octaviano summo opere placeret. Quid? si suspicamur, Varium eo tempore scripsisse, quo ille difficile atque invidiosum opus promissos veteranis agros distribuendi aggressus odium et inimicitias cum L. Antonio et Fulvia suscepit, quo nihil gratius ipsi accidere poterat, quam ut omnis rei invidia in M. Antonium verteretur et in Italia non tam ipse, quam collega auctor illius calamitatis haberetur. Ad istam enim agrorum distributionem referri queunt Varii verba: *agrosque Quiritum eripuit;* nisi forte praestat cogitare de Pompeji M. bonis et fundis: vid. Cicero Philipp. XIII. c. 5. Quid plura? ad eumdem Antonium videtur aliud quoque pertinere ejusdem carminis fragmentum, quod servatum legimus apud

II. Macrobium Saturn. Libr. VI. c. 1.: „Varius de Morte:

Incubet et Tyriis, atque ex solido bibat auro."

Hunc quoque versum notavit Macrobius imitatione expressum esse a Virgilio Georg. Libr. II. v. 506.

Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.

ubi facile quaesitam operae imitatricis subtilitatem et doctrinam animadvertas. Singula post Broukhusium ad Propert. Libr. I. Eleg. 14. v. 2. satis illustravit

J. H. Vossius ad Virgilii Georg. l. c. p. 448., ubi Varii versum ita convertit:

Dass er von Tyrus sich bett' und trink' aus gediegenem Golde.

Jam cum Virgilius de milite loquatur, qui divitiarum quaerendarum caussa vel urbem i. e. Romam excidiis petat miserosque Penates, quibus omnibus apertum est significari bella civilia; mirum profecto quemvis habeat, quod ad designandam ejusmodi militis luxuriem integrum paene versum adumbraverit ex Varii amici carmine in Julium Caesarem ejusque caedem. Et quis est, qui omni probabilitate destitutam dicat conjecturam, qua etiam hunc versum ad M. Antonium referri posse censeo?

III. Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 2.: „Varius de Morte:

Quem non ille sinit lentae moderator habenae,
Qua velit, ire; sed angusto prius orbe coercens,
Insultare docet campis fingitque morando.“

Laev. Torrentius ad Horatii Libr. I. Od. 10. v. 6. pro vulg. *ore* v. 2. conjecit *orbe:* quam verissimam emendationem quum proposuerit etiam Bentlejus ad Horatii Libr. III. Od. 6. v. 22., nihil dubitavi in textu reponere. Torrentii emendationem docte illustrant Burmannus ad Val. Flacci Argon. Libr. II. v. 386. et Wunderlichius in Observatt. ad Tibulli Libr. IV. El. 1. v. 94. p. 341. Hunc etiam Varii locum, notante Macrobio, expressit Virgilius Georg. Libr. III. v. 115.

Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
Inpositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Qui Virgilii locus Ulitium ad Gratii Falisci Cyneg. v. 517. induxit, ut a Vario scriptum conjiceret:

fingitque rotando. Temere! Rem, de qua hic sermo est, illustrarunt, praeter Virgilii Interpretes, Burmannus et Wunderlichius l. c., quibus addas licet quae disserui in Beckii Actis Semin. Philol. Lips. Vol. II. P. II. p. 349. sq. In hac equi, quem ad gressus instituit magister, descriptione Torrentius haud injuria, ut equidem opinor, plus laudis tribuit Vario quam Virgilio: illius enim locus nativa quadam simplicitate se commendat, hujus, utpote imitatoris, doctrina et arte conspicuus est. Variani loci veneres minime reddidit J. H. Vossius ad Virgilii Georg. l. c. p. 573.:

Denn nicht lässt ihn jener, der straf am Zügel ihn lenket,
Gehn, wie er will; nein, erst im geengetem Kreise bezähmend,
Lehrt er einher ihn traben im Feld', und bildet durch Säumnis.

IV. Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 2.: „Varius de Morte:

Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si celeris potuit cervae comprendere lustra,
Saevit in absentem; et circum vestigia latrans,
Aethera per nitidum tenues sectatur odores.
Non amnes illam medii, non ardua tardant;
Perdita nec serae meminit decedere nocti.“

Postremum versum, ut Macrobius monuit, Virgilius integrum traduxit in Eclog. VIII. v. 88.

Talis amor Daphnim, qualis, quum fessa juvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita, nec serae meminit decedere nocti.

Venustissimus Varii locus videtur depravatus esse aliquot maculis, quas eluere studebimus. Sic vers. 2.

vulgatum est *veteris — cervae:* cui lectioni controversiam movi jam in Epist. Crit. de C. Valerii Flacci Argonauticis. (Lips. 1812.) p. 85. ibique legendum proposui *celeris — cervae.* Hujus emendationis me nondum poenitet, cum tam facilis sit, ut, verum si vis fateri, unam modo litteram dicas mutatam. Vulgata autem lectio quantopere frigeat, nemo non sentit, quandoquidem canes venaticae cervas veteres aeque ac juvencas sive hinnuleos indagare solent et persequi. Quae enim antiqui scriptores de insigni cervorum senio fabulantur, ut docuerunt Spanhemius ad Callimachi Hymn. in Dian. v. 106. Vol. II. p. 250., Davisius ad Ciceronis Tusc. Disp. Libr. III. c. 28. p. 272. R., Burmannus ad Antholog. Latin. Libr. V. Epigr. 142. Vol. II. p. 420. sq., Ruhnkenius in Epist. Crit. p. 112. et Creuzerus in Mythol. et Symb. Vol. II. p. 169. ed. 2., ea huc referre prorsus alienum est. Nihil autem apud poetas utriusque populi frequentius est, quam ut cervi cervaeque a velocitate designentur. Sic, ut unum et item alterum afferam locum, Homerus Odyss. XIII. v. 436. *Ἀμφὶ δέ μιν μέγα δέρμα ταχείης ἕσσ᾽ ἐλάφοιο Ψιλόν.* Valer. Flaccus Argon. Libr. III. v. 545. *Sic ait; et celerem frondosa per avia cervum suscitat.* Statius Theb. Libr. VI. v. 598. *Non aliter celeres Hircana per avia cervi.* Librariorum in verbis *veteris* et *celeris* quam pronus facilisque fuerit error, in aprico est. Idcirco non dubitavi h. l. rescribere *celeris,* praesertim cum serius comperissem, Wakefieldum ad Lucretii Libr. I. v. 406. Vol. I. p. 89. in eamdem incidisse emendationem. — Vers. 3. corrigendum censuit Ulitius ad Gratii Falisci Cyneg. v. 212.: *circum vestigia latrans Aëra per nitidum* etc. et recipiendam duxi verisimillimam emen-

dationem *latrans* pro vulg. *lustrans*, quod magnopere offendit, partim cum vv. *lustrans* et *lustra* proxime praecesserint, partim cum canum venaticarum sit, deprensis ferarum, quas indagant, vestigiis latratus emittere, ut docet locus Ennii apud Varron. de L. L. VI. T. II. p. 242. Bip. et Gratii Falisci Cyneg. v. 186. Neque adversatur alius ejusdem poetae locus Cyneg. v. 230.

Sed ne qua ex nimio redeat jactura favore,
Lex dicta officiis, ne voce lacesseret hostem,
Neve levem praedam, aut propioris pignora lucri
Amplexus, primos nequidquam effunderet actus;

modo recte eum capias: vid. Intpp. in Burmanni Poet. Lat. Min. Tom. I. p. 166. Quo in loco si quid mutandum, malim *furore* pro *favore*. Denique recepta in loco Varii emendatione Ulitiana *latrans* defenditur vulg. *aethera per nitidum*: haec enim aperte copulanda sunt cum v. *latrans*, ita ut vv. *circum vestigia* pertineant ad vv. *sectetur odores*[81]). Sine idonea caussa Ulitius maluit vers. 4. *aëra* pro *aethera*. Nam canes, quum ferarum vestigia super humum indagant, sectari ea *per aethera* aeque commode dici possunt ac *per aëra*. Utraque vox sollemni librariorum errore permutata est, ut *aetherius* et *aërius*: videsis Cortium ad Lucani Phars. Libr. I. v. 391., qui tamen fallitur, *aethera* et *aëra* promiscue apud poetas dici contendens ad Lucani Pharsal. Libr. I. v. 152. et III. v. 434. Subtilius discrimen utriusque vocabuli declarari potest loco Virgilii Aen. Libr. V. v. 517., ubi columba, quam plaudentem nigra sub nube fixit Eurytion,

---

81) Utramque correctionem in Varii fragmento nuper suo suffragio confirmavit Kreyssigius ad N. Ciampittii Praefat. c. p. 127. N. 2.

Decidit exanimis vitamque reliquit in astris
Aetheriis, fixamque refert delabsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes:
Qui tamen aërias telum contendit in auras.

Utroque in versu Codices Msti variant; sed N. Heinsius recte edidit *in astris aetheriis* et *aërias in auras:* nam ut astra proprie spectant ad aethera, sic ad aërem aurae. Neque obstat quod passim *nubes*, quae proprie sunt *aëriae*, dicuntur *aetheriae*, ut apud Lucretium Libr. IV. v. 909. *ille gruum quam Clamor, in aetheriis dispersus nubibus austri.* Poetae enim ad rei alicujus amplificationem numquam non ponunt *aethera*, ut Virgilius Aen. Libr. II. v. 338. *sublatus ad aethera clamor;* Libr. V. v. 140. *ferit aethera clamor nauticus;* et saepe alias. Huschkius ad Tibulli Libr. I. Eleg. 7. v. 15. Vol. I. p. 192. observat, montes a poetis perpetuo dici *aërios*, si discesseris ab Olympo, qui a Virgilio constanter appelletur *aetherius*, ut Aen. Libr. VI. v. 579. VIII. v. 319. XI. v. 216. Idem valet de arboribus, ut *aëria ulmus* ap. Virgil. Eclog. I. v. 59., *quercus* Aen. Libr. III. v. 680. IX. v. 679., *platanus* in Culic. v. 123. Contra *coelum* et *mundus*, quem pro coelo poetae absolute ponunt, semper dicuntur *aetheria*, ut copiose docuit Broukhusius ad Tibulli Libr. III. Eleg. 4. v. 17. p. 315. Quemadmodum vero Virgilius ὑπερβολικῶς de apibus scripsit Aen. Libr. VII. v. 65.: *Hujus apes summum densae — mirabile dictu! — Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae, Obsedere apicem;* ita Varius de cane cervae vestigiis insistente *aethera per nitidum* dixit. Accedit vis epitheti *nitidum*, quo *aëra* insigniri non memini. Quare Ovidium si audimus Metam. Libr. I. v. 23. *Nam coelo terras et terris*

abscidit undas, Et liquidum spisso secrevit ab aëre coelum; dubitari vix potest quin vel invitis Codicibus scribendum sit Metam. Libr. II. v. 533.

habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus aethera pictis;

pro vulg. *aëra:* sermo est de dea, quae per aethera vehitur, ut Venus apud Ovidium Rem. Amor. v. 6. „*In liquidum rediit aethera Martis equis.*" Contra apud eumdem Metam. Libr. XV. v. 804. ex Codd. restituendum erit:

Tum vero Cytherea manu percussit utraque
Pectus et aëria molitur condere nube:

ubi perperam *aetheria* editum legitur. Nam Venus h. l. Julium Caesarem interfectum nebula involvit, ut Aeneam cum sociis *obscuro gradientes aëre saepsit et multo nebulae circumfudit amictu* apud Virgil. Aen. Libr. I. v. 412. Sic rei et loco convenienter Virgilius de volucrum copia et grege scripsit Aen. Libr. VII. v. 704. *aëriam sed gurgite ab alto Urgueri volucrum raucarum ad littora nubem,* ubi nemo ex Menag. pr. *aetheream* reponet. — Versum 5. Varii Mantuano poetae Georg. Libr. III. v. 254.

Non scopuli rupesque cavae, atque objecta retardant
Flumina, conreptos unda torquentia montis,

obversatum esse existimat cum aliis J. H. Vossius ad Virgilii Georg. p. 583. idemque ad Eclog. VIII. p. 432. duo postremos Varii versus convertit:

Nicht der trennende Strom, nicht weilen ihn Höhn des Gebirges:
Sinnlos, kaum auch der Späte der Nacht zu entweichen gedenkt er;

et observat, a Virgilio v. *Perdita,* quod in Varii loco cum sequentibus cohaeret, ad antecedentia

majori cum vi relatum esse. Recte illud tamquam epiphonema commatis disjunxit Phil. Wagnerus, qui etiam de loco Georgic. Libr. III. v. 254. deleta post v. *conreptos* copula praeclare meruit. — Versu 6. opportune confert Heynius cum vv. *decedere nocti* Homericum πειθώμεθα νυκτὶ ex Odyss. Libr. XII. v. 291. cl. Iliad. Libr. VIII. v. 502. IX. v. 65.

§. 18.

De L. Varii Panegyrico in Augustum et de tempore, quo probabile sit eum esse compositum, disputavi jam supra §. 9. Not. 46. Jan. Rutgersius in Venus. Lectt. c. 3. p. 250. sqq. suspicatur, hoc carmen respici ab Horatio Libr. I. Od. 6. v. 11., ubi Poeta M. Agrippae se excusans ait: *dum pudor Imbellisque lyrae Musa potens vetat Laudes egregii Caesaris et tuas Culpa deterere ingeni*: id quod equidem neque affirmare ausim neque refutare. Illud vero certissimum est, magnopere falli Heerkensium in Praefat. ad Icones p. LXXVI., qui ex illo Horatii loco colligit, Varium etiam in M. Agrippam composuisse Panegyricum. Nam Poeta Venusinus imparem se professus Agrippae laudibus digne celebrandis, blande tantum hic res ab eo praeclare gestas conjungit cum laudibus egregii Caesaris: qua in re ob vetus utriusque commilitium et familiaritatem nihil periculi erat ne alterutrum offenderet. Quae porro idem Vir Doctus ibidem dicit, Varii in Agrippam Panegyricum Maecenatis rogatu scriptum esse, eumque plurium librorum fuisse, ea omnia ita comparata sunt, ut vix commemoratione, nedum confutatione digna sint. Ex Panegyrico in Augustum sumpta sunt, quae legimus apud Horatium Libr. I.

Epistola *sexta decima*, Quintio cuidam inscripta, v. 27.

Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Jupiter.

ubi Acron „*Haec enim*,“ inquit, „*Varius de Augusto scripserat.*“ Porphyrion ibidem ad v. 25. „*Si quis pro tuis laudibus tibi dicat Caesaris laudes et addat hos versus:* Tene magis salvum — Jupiter: *qui sunt ex notissimo Panegyrico Augusti.*“ Scholiast. Cruq. ad v. 27. „*Hic versus est Varii in Panegyrico Augusti, quo utitur Horatius quasi assentator aliquis, ut eo permulceat aures Quinctii;*“ et paulo post: „*verba sunt permulcentis aures vacuas Quinctii ex Panegyrico Augusti, scripta a Vario.*“ Quibus in Scholiis nihil dubitavi, praeeunte Rutgersio, reponere *Varii* nomen. Quod igitur Virgilium aliquoties sibi indulsisse scimus, ut viventium amicorum versus, veluti Cornelii Galli, Varii, immutatos reciperet, idem hic factum videmus ab Horatio. Is Quintium, hominem divitem et bonam vulgi de se existimationem honoresque simulatione atque ostentatione aucupantem, inde a vers. 17. sqq. monet, ut ne vitam beatam ponat in opibus vanisque populi laudibus, sed in sapientia ac virtute, et ut secum perpendat, an ipsius animus respondeat famae atque opinioni, qua per vulgi ora celebrari gestiat. Ita tecte carpit istius hominis δοκησισοφίαν, Socratis quasi dictum persequens, quod legimus apud Ciceronem de Offic. Libr. II. c. 12. §. 34. ibiq. Beier. Vol. II. p. 83. sqq. Jam velut aliud agens utitur in argumentando duobus versibus, quibus Varius mutuam Augusti ac

Populi Romani caritatem pulchre descripserat. Qua ratione publice testatum fecit, quanti non modo amicum ejusque carmen aestimaret, sed etiam quam dignum ipse censeret Augustum tanto populi amore ac studio. Hoc callide fecisse existimandus est Horatius, cum credibile sit, Quintium istum cum Augusto fuisse familiariter conjunctum[82]).

Hoc autem fragmentum, quod, si ab uno Rutgersio discesseris, H. Stephanus caeterique omnes neglexerunt, unicum est ex L. Varii Panegyrico in Augustum, quod nobis servatum est. Nam vehementer errat Franciscus Dorighello in Horatii Editione secunda (Patavii 1780.) T. II. p. 248. opinans, Varii versus, ex eodem sumptos carmine, legi in Horatii Epistola ad Augustum v. 252.

Terrarumque situs et flumina dicere et arces
Montibus impositas et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis, te principe, Romam.

Sed ut concedam, verbis *arces montibus impositas* significari Drusum, qui a. U. C. 739. *Genaunos, implacidum genus, Breunosque veloces et arces Alpibus impositas tremendis dejecit,* ut canit Horatius Libr. IV. Od. 14. v. 9. sqq.; tamen apertum est, ejus rei non magis ac captivorum signorumque a Parthis Augusto a. U. C. 734. restitutorum mentionem fieri potuisse a Vario in illo Panegyrico, quem circiter a. U. C. 723. scriptum esse probavimus. Deinde haud parvi faciendum est Scholiastarum ea

---

82) Nihil hic refert, utrum de vita moribusque Quintii istius mecum sentias, an cum Jacobsio in Lection. Venus. III. p. 45. sqq. et Obbario in Jahnii Annal. Supplem. I. 4. (1832.) p. 576. sqq. Me, fateor, nondum poenitet judicii de isto homine facti!

de re silentium. Denique in promptu est videre, quid Dorighellium in eam deduxerit opinationem. Fraudi fuit Viro Docto sublimius, quo hic usus est Poeta, scribendi genus, epicae poesi proxime accedens. Sed huic Sermonis per humum repentis loco, in quo callide simulat, se, si, quantum cuperet, posset quoque, malle res componere gestas, consulto adspersum esse epici carminis colorem, quivis intelliget, qui Horatium bene noverit.

§. 19.

Haec habui, quae de genuinis L. Varii carminibus eorumque reliquiis dicerem. Ne quid vero in hac scriptione desideretur, quod hunc poetam spectat; facere non possum, quin hic tamquam corollarium addam succinctam narrationem de *Tereo*, Pseudo-Varii Tragoedia, cujus mentio passim a me facta est. Anno superioris Saeculi LXXXVIII. editae sunt Parisiis *Ger. Nicolai Heerkens, Groningani, academiarum complurium Socii, Icones.* 8. m. — Hae Icones sunt quinque Elogia distichis Latinis scripta[83]). In verbosa hujus opusculi Praefatione a p. III. — XCIV. Heerkensius fuse narrat, sibi munusculi loco oblatum esse a monachis coenobii cujusdam in Germania librum Mstum, quaternis, chartae crassissimae. Hunc Codicem Saec. XIII. titulo privatum fuisse ait, in fine autem se invenisse scriptum: „*Tragoedia Tereus explicita, quae sexta*

83) De *Heerkensio* conferatur Chr. Saxii Onomast. Litter. P. VIII. p. 124. sq., ubi adnotatum est, *Icones* editas esse Ultrajecti. 1787. 8., sed libellionem extimescentem iras potentum per Bataviam virorum propter liberrimam Heerkensii linguam, alium in prioris locum suffecisse titulum, ut Parisiis 1788. evulgatae viderentur. Heerkensius, qui artem medicam factitabat, natus erat Groningae a. 1728. et a. 1801. obiit.

decima est." Ea perlecta non dubitavit pronuntiare, illam Augusteo aevo dignam esse et sine controversia scriptam a L. Vario. Constituerat hoc opus, ne auro quidem, ut ait, venale, aut Londini aut Parisiis splendidissime exscribi. Sed cum bibliopolis persuadere non posset, tantae vetustatis opus apud se esse, neque illud e manibus tradere adspectuque eos convincere vellet, res intra consilii fines substitit. Hinc in Praefatione ad Icones insigniores quasdam ejus tragoediae particulas cum integro Prologo *Diomedes* inscripto dedit, et bibliopolas incredulos pungens scripsit in quinta *Icone nostri Saeculi* v. 421.:

Non, quam me, refero, Dîs praestita dona bearint,
Sed quam digna sacro munere saecla, vide!

et ibidem v. 473.:

Vos quoque, vos ipsi faveatis, quaeso, Batavi:
Vestrum munus opes, quas celebramus, erunt.

Heerkensius sive caeco antiquitatis amore sive opinionis errore deceptus probare studuit, nonnullos illius tragoediae locos a Virgilio et Ovidio imitatione esse expressos. Sed falsum id esse, primum in Germania suboluit *Dav. Christiano Grimm*, Lycei Annaemontani Rectori, qui in Prolusione scholastica: *Tragoedia vetus latina Tereus deperditarum XV. soror.* Annabergae 1790. 4. historiam inventae illius tragoediae et Prologum cum brevibus adnotationibus proposuit. Is quamvis modeste, satis tamen aperte indicat, sibi illam videri scriptam a docto aliquo Christiano, et jactabundam Heerkensii disputationem leniter carpit[84]). Neque tamen Grimmius id per-

84) *Grimmii* Prolusionem illam non videntur legisse Lange in Vind. Trag. Rom. p. 8. et doctissimus Bernhardy in *Grundriss der Roem. Litterat.* p. 182. N. 320.

suasit illius Prolusionis censori in Ephemerid. Litter. Gotting. a. 1791. p. 10. suspicanti, eam Senecae aevo proxime accedere. Interea Heerkensius, capto consilio dedicandi suum opusculum Francogalliae Regi, eam ob caussam scripserat ad ejus administrum, L. B. de Bretevilium. Qui cum consuluisset Socios Academiae Regiae Inscr. et Humanior. Litter., rogatus est Heerkensius, ut Parisios nonnullas mitteret illius tragoediae particulas, ex quibus judicium fieri posset, genuina illa esset, nec ne. At, Heerkensio id recusante, res ipsa, nonnullis epistolis ultro citroque missis, ad irritum cecidit, ut copiose ac diligenter refert *Chardon de la Rochette* in *Mélang. de Critiq. et de Philolog.* T. III. p. 318 — 342. Haec dum Parisiis aguntur, Villoisonus per litteras ea de re adierat Jacob. Morellium, qui sagaciter istam Heerkensii sive fraudem sive errorem pervidit et in epistola ad Villoisonum d. Venet. X. Cal. Octobr. a. 1792. patefecit, non sine laude Grimmii libellum commemorans. Ista enim tragoedia, Tereus, quam L. Varii esse crepabat Batavus ille, nulla fuit alia quam *Progne, tragoedia nunc primum edita. In Academia Veneta.* 1558. 4. Hujus autem *Prognes* auctorem esse *Gregorium Corrarium*, Venetum Protonotarium Apostolicum, qui Saec. XV. floruerit, tam erudite et tam certis argumentis ostendit Morellius, ut, qui amplius dubitet, nemo facile reperiatur[85]). Valeat itaque, ut Morellii verbis utar, Heerkensius cum Vario suo! —

85) Morellii epistolam ediderunt Harlesius in Supplement. ad brev. not. Litter. Rom. P. I. p. 494. sqq. et Chardon de la Rochette l. c. p. 339. sqq., qui haud immerito miratur, qui fieri potuerit, ut Heerkensius tali sive fraude sive errore doctrinae suae famam commacularet. — De *Corrarii* Progne conferri meretur: *Academia Veneta seu Della Fama.* In disquisitionem vocata actore et auctore Jo. Gottlob Kunze. (Lipsiae 1801.) p. 108. sq.

EXCURSUS I.

DE

DIVERSIS, QUI CAESARIS AUGUSTI AETATE VIXERUNT, *VARIS.*

Omnem de *Varis* quaestionem, per se difficilem et ambiguam, a veteribus Grammaticis, quum non modo plures *Varos* confunderent, sed etiam *Varium* Poetam cum *Varo* aliquo miscerent, multo magis turbatam esse, quam recte observaverit Heynius in Excurs. II. ad Virgil. Ecl. VI. 6. et IX. 27., hac ipsa de *L. Vario Poeta* disputatione ostendimus. Verum tamen, quamvis saepe incertum sit, utrum *L. Varius* intelligendus sit an *Varus* aliquis, tamen, quo plures Augusti aetate floruerunt *Vari* et quo negligentiores in afferendis eorum praenominibus ac nominibus gentilibus fuerunt Grammatici, hoc difficilius est ad dijudicandum, cujus *Vari* memoria ab hoc illove scriptore prodatur. Quare neminem mirum habebit ingens Virorum Doctorum dissensus de *Varo*, cui, ut supra §. 4. relatum est, vulgo putatur Catullus inscripsisse Carm. X., quo nos velut postliminii jure redire nunc jussimus *L. Varium Poetam.* Qui apud eumdem Catullum Carm. XXII. *Varum*, et Carm. XXX. *Alphenum* pro uno eodemque homine habent, vereor, ne nominum similitudine decepti non minus fallantur, quam qui *P. Alphenum Varum*, nobilissimum Jurisconsultum, faciunt Poetae Veronensis familiarem. Hunc Ictum

Ever. Otto l. c. Cap. I. §. 3. p. 1636. natum esse suspicatur circiter a. U. C. 668. Jam si idem, ut Ever. Otto l. c. Cap. XI. §. 6. p. 1686. statuit, anno U. C. 755. Consul suffectus erat, octogenarius demum senex ad illam dignitatem evectus fuisset. Id cum veri non simile dicat Zimmern in *Gesch. d. Röm. Privatrechts* I. 1. §. 79. p. 295. N. 26., ejus filium opinatur Consulem fuisse. Mera conjectura eaque admodum improbabilis! Non est hujus loci accurate docere, quam temere nescio dicam an cupide versatus sit Ever. Otto in eruendo definiendoque anno, quo ille Ictus natus sit. Equidem in *Lectionum Venusinarum* Part. II. §. 5. idoneis rationibus planum fecisse mihi videor, *P. Alphenum Varum* Ictum vitae annis supparem fuisse Virgilio et Horatio. — Progredimur ad alios illius aetatis *Varos*. Non magis certum est, quis fuerit ille *Varus*, de quo Virgilius Eclog. VI. v. 6.

Nunc ego — namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella —
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore leget: te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.

In Servii commentario ad h. l. hic *Varus* traditur Germanos vicisse et exinde maximam et gloriam et pecuniam consecutus esse. Quibus nugis ibidem assutum legimus, ab aliis intelligi eum *Varum*, qui in Germania cum tribus legionibus interierit, ab aliis contra *Alphenum Varum*, legatum fuso

fugatoque Asinio Pollioni ab Augusto substitutum, qui transpadanae provinciae et agris dividendis praeesset. Pertinet huc alius Serviani commentarii pannus ad Virgilii Eclog. IX. v. 10. „Quod alii dicunt Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alfeni Vari, qui agros divisit, praeter palustria nihil relictum sit: sicut ex oratione Cornelii in Alfenum ostenditur: *Cum jussus tria millia passus a muro in diversa relinquere, ut octingentos passus aquae, quae circumdata est, admetireris, reliquistis.*" Jam quisquis ille *Varus* fuit a Virgilio Eclog. VI. celebratus, id pro certo poni potest, eumdem respici Eclog. IX. v. 26.

Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:
„Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua, vae miserae nimium vicina Cremonae,
Cantantes sublime ferent ad sidera cycni."

Atque utriusque loci rationem si, dempto ornatu poetico, spectamus, inde nil nisi hoc colligi licet, *Varum* illum fuisse hominem bellicis rebus clarum et de Virgilii rebus aliquo nomine haud male promeritum.

Pervolutantibus autem nobis illius scriptores aetatis occurrit *Quintus Varus* quidam, praefectus equitum Cn. Domitii Calvini, laudatus ab Julio Caesare de B. Civ. Libr. III. c. 37. Is haud dubie est ille *Q. Attius Varus*, qui, teste Hirtio de B. Gall. Libr. VIII. c. 28., etiam in bello Gallico praefectus equitum meruerat, vir singularis et animi et prudentiae atque fidus perpetuusque partium Caesarianarum assectator: ita cum J. H. Vossio ad Virgilii Eclog. VI. p. 291. statuit etiam Jahnius ad Horatii Libr. I. od. 18. p. 225. Quum veri sit simile, hunc

Q. Attium Varum post C. Julii Caesaris caedem a. U. C. 710. in Triumvirorum partibus mansisse, vix ulli dubitationi locus videtur relictus esse quin idem sit *Varus*, qui ab Octaviano a. U. C. 713. et 714. Galliae Transpadanae agrisque dividundis praefectus est, ut Grammatici referunt, et cui Virgilius utpote homini bene de se suisque rebus aut merito jam aut merituro eximiam impertivit laudem. In eamdem conjecturam inciderat Jo. Martinus, neque erat quod eam non exploratam praepropere rejiceret Heynius, caeteroqui recte ad eumdem Varum referens Sardam cum inscriptione *Q. VAR.* in Lipperti Dactylioth. Tom. II. 2. n. 214. p. 180. Virgilius enim Varum suum laudat ob res in bello fortiter gestas: quae laus cadit in virum, cui Hirtius singularem animum et prudentiam attribuit. Doctrinae ejus et studiorum poeticorum nulla fit mentio, ita ut neque de Quintilio Varo, Virgilii et Horatii amico, nec de P. Alpheno Varo Icto cogitari queat, licet ad hujus poesin versum 10. detorquere connitatur Ev. Otto l. c. Cap. IV. §. 6. p. 1653. — Jo. H. Vossius, quo minus apud Virgilium agnoscat *Q. Attium Varum*, se impediri ait testimonio Grammaticorum, hunc ducem non *Attium*, sed *Alfenum Varum* appellantium, ut Donati in Vit. Virgil. c. VIII. §. 30. et Servii ad Eclog. VI. 6. et IX. 10. 20. Hinc Vir eximius eo deductus est, ut, qui ipsi ex Quintiliani Inst. Or. Libr. VI. 3. §. 78. notus esset *Lucius Varus*, Epicureus et Caesaris amicus, eum *L. Alfenum Varum* nominatum et non minus in castris, quam in Epicuri horto versatum fuisse suspicaretur. In ejus sententiam transiit Jahnius in Introduct. in Virgil. p. VII. et p. XIX. et in Annot. ad Horatii Libr. I. Od. 18. p. 225. At sicut Vossius recte

negat, de *P. Alfeno Varo* Icto cogitari posse, quum neque Varo duci jurisprudentia, neque Varo Icto rei militaris scientia usquam, tribuatur, ita in promptu est videre, eodem gladio jugulari posse Vossii suspicionem de L. Varo Epicureo, quem pariter nemo tradiderit umquam stipendia fecisse. Quod si Vossius ea urget, quae Servius, antiquiores, ut videtur, auctores secutus ad Eclog. IX. v. 10. de Cornelii cujusdam oratione in hunc Alphenum Varum, iniquiorem Mantuanorum agrorum divisorem, refert; opponi potest alius Servii locus ad Eclog. IX. v. 35., ubi Varus, cui Virgilius supra (i. e. Eclog. VI.) blanditus esse dicitur, victor et belli dux appellatur et ab Alpheno Varo Icto diserte et plane distinguitur. Ac profecto si Varo duci idem fuisset nomen gentile, quod Varo Icto fuisse scimus, mirum, si non distinctius de utroque locutus esset Servius seu quisquis est illius scholii scriptor. — Spohnius in Prolegomenis ad Virgilii Bucolica ex Grammaticorum fide Varum Virgilianum constanter nominat *Alfenum Varum*, nec tamen apparet, intelligatne alium quempiam hujus nominis Varum, an Jurisconsultum illum celeberrimum. Servii auctoritatem secutus de Ecloga IX. inter alia p. 41. haec fere disputat. Perusia capta et M. Antonii ducibus ac praefectis repulsis, Octavianus alios substituit duces: in locum Caleni *Cornelium Gallum*, in locum Asinii Pollionis *Alfenum Varum*, qui et Pollionem arceret in regione Veneta agros urbesque oppugnantem, et agris dividendis praeesset, addito limitatore Octavio Musa: v. Servius ad Eclog. IX. v. 7. „Varus et Musa, pergit Spohnius, inique tractarunt Mantuanos; addidit enim Musa quindecim millia passuum agri Mantuani, quum Cremonensis non sufficeret,

offensus a Mantuanis olim, quod greges ejus ab agri publici pascuis ejecerant. In his assentientem habuit Varum, qui inique praeter palustria nihil reliquit Mantuanis, propterea in oratione Cornelii cujusdam notatus." Et de Ecloga VI. disserens p. 46., „At Varus, inquit, Galliae Cisalpinae praefectus idem, cui Eclog. IX. promiserat carmen, si servaret Mantuam; jam se quaedam incepisse, necdum perfecisse. Atqui Mantuanos quidem agros male vexavit, Virgilius tamen suos receperat. Jam quum id esset non per Varum quidem ipsum datum beneficium, attamen concessum, saltem non impeditum, neque recusatum ab eo, qui scilicet praeesset negotio agrorum dividendorum; Virgilius ita eum laudavit, ut artem pariter atque urbanitatem et ingenuos mores mirari debeamus. Urgebat necessitas; promiserat; non poterat retractare. Scribendum erat carmen; sed tamen tale, quo non laudaret, quum neque de se, neque de civibus hoc promeruisset Varus. Ergo sic orditur: „Equidem tenuia tantum ludere possum; alii te, Vare, dicant digno modo. Si cui tenuia nostra placeant, tuum videbit nomen inesse." Sed quid? Sileni carmen refert, quod se audiisse fingit. Hoc quidem totum ex Epicureorum doctrina; primordia rerum et hominum exponit; deinde poeta persequitur poeticam historiam priscorum temporum. Denique quaedam de Cornelio Gallo adduntur. Jam vero ita Varus quodammodo frustratur; neque vero sic, ut ille irasci possit; detinet eum in doctrina, quae ipsi placuit, Epicurea philosophia, de qua re, uti de Alfeno Varo, male dubitat Heynius, neque eam intelligit Vossius. Ejusdem autem magistri Epicurei disciplina usi Virgilius et Alfenus Varus, *Syronis:* vid. Donat. in Vit. Virgil. c. XIX.

§. 79., Servius ad Eclog. VI. v. 13. et Phocas Gr. in Vit. Virgil. v. 65."

Quae Spohnius de condiscipulatu Virgilii cum Varo, quem celebrat, apud Syronem Epicureum proposuit et de argumento Eclogae VI. novo sane et a bucolici generis carminibus alieno disseruit, ea ita comparata sunt, ut apud homines cordatos facile fidem inventura esse credam. Non item reliqua, quae scripsit. Nam tres illi Grammatici, quorum testimoniis utitur, commilitonem Virgilii non *Varum* appellant, nedum *Alfenum Varum*, sed *Varium*. Quum autem, quo minus *L. Varium* Poetam Virgilii condiscipulum fuisse dicamus, rationes chronologicae obstent, ut ostendimus supra §. 5.; sequitur, ut apud Grammaticos illos *Vari* cujusdam nomen reponamus. Ea quidem in re mihi convenit cum Spohnio, sed hunc Virgilii condiscipulum nominatum esse *Alphenum Varum* nego. Nec magis mihi patiar persuaderi, ut *Varum*, illum Galliae Cisalpinae praefectum, veteris apud Syronem commilitii immemorem, iniquius egisse in Virgilium et hunc non tam grati animi sensu et studio illius permotum, quam invitum et promissorum solvendorum necessitate coactum magnis illum laudibus ornasse statuam. Panegyricum scribere nec voluit nec potuit Virgilius: paucis quidem versibus, sed plenis gravitatis, candoris ac pietatis illum agrorum suorum defensorem celebrat. Scilicet Spohnius mihi videtur plus quam par est fidei habuisse Servio, cujus Commentarium his ipsis in locis valde lacerum et interpolatum esse Codices ostendunt. Equidem rationibus conjecturae probabilis ope repertis deductus sum ad *Q. Attium Varum*, fortem belli ducem, quem suspicor olim Syronis disciplina usum et posthac

Galliae Cisalpinae praefectum de tuendis Virgilii, condiscipuli quondam sui, agris bene promeruisse, ita ut eo nomine cum Pollione, Maecenate et Cornelio Gallo junctus laudaretur a Phoca Grammatico in Vit. Virgil. v. 65., ut ostendimus supra §. 5.

Si quis tamen in Grammaticorum de *Alpheno Varo* testimoniis velit persistere, haud scio an ista de *Varis* difficultas ita expediri nequeat, ut dicamus, *Q. Attium Varum* ab Octaviano militari potestate Galliae Cisalpinae et agrorum inter veteranos distributioni praefectum esse; sed quum Cremonensium agri proscripti non sufficerent veteranorum cohortibus et Mantuani magna agrorum parte multarentur, in controversiis de agrorum adjudicatione dirimendis aliquam partem fuisse *P. Alpheni Vari* Icti, quem et Grammatici aperte intelligunt ad Eclog. IX. v. 10., et ut intelligatur, per aetatem ejus fieri potest. Is quum Cremona oriundus popularibus suis fortasse nimis consuluisset atque iniquior in Mantuanos metator fuisset, poterat posthac iniquitatis reus agi a *Cornelio*, quem ego, frustra obloquente Ever. Ottone l. c. Cap. IV. §. 7. p. 1654. et dissentiente, ut videtur, etiam Spohnio in Proleg. p. 41., *Cornelium Gallum* Poetam fuisse puto Virgilii amicum et Mantuanorum rebus studentem: mecum sensit H. Meyerus in Orator. Rom. Fragment. N. XCI. p. 222. sq. Quum igitur isti agrorum divisioni praeesset *Varus* quidam belli dux, eidemque negotio interesset *Varus* Ictus, facile fieri poterat, ut Grammatici, in personarum nominibus de more parum curiosi, utrumque Varum confunderent, et *Varo* duci, qui erat ex gente *Attia*, nomen gentile *Alpheni* tribuerent. Excepto enim *Q. Attio Varo*, neminem Varorum illius aetatis invenies, cui, utpote

Caesariano et rei militaris peritissimo, Galliae Transpadanae administratio militaris et agrorum distributio rectius tutiusque potuisset mandari.

Sed quidquid est ejus suspicionis, id certe videtur sine ulla dubitatione poni posse, *Q. Attium Varum*, quo de hic agatur, esse eumdem *Quintum Varum*, qui a Caesare Octaviano missus Cassium Parmensem Athenis interfecisse narretur ab Acrone ad Horatii Libr. I. Epist. 4. v. 2. Eam suspicionem primus, quod sciam, profert Ruhnkenius ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 88. §. 1. p. 211. Fr.; Heynius vero rem in medio relinquit.

Ab hoc Q. Varo Caesariano probe distinguendus est *P. Attius Varus* Pompejanus, qui in proelio ad Auximum commisso a suis desertus, fuga elapsus est in Africam, eamque vacuam occupavit a. U. C. 705. cf. Jul. Caesar de B. Civ. Libr. I. c. 13. Is Uticam contra Curionem defendit adjutus ab Juba Mauritaniae rege, quocum Curio imprudens conflixit et ad internecionem caesus periit: cf. Jul. Caesar de B. Civ. Libr. II. c. 23. et 38. sq., Dio Cass. Libr. XLI. c. 41. sq. et Appianus de B. Civ. Libr. II. c. 44. sq. Postea hic *Varus* cum Catone et Scipione conjunctus Pompeji partes in Africa strenue defendit, et misso in Hispaniam Cn. Pompejo filio, sese cum illis Julio Caesari media hieme anni 70$\frac{6}{7}$. in Africam trajecto opposuit, auctore Dione Cass. Libr. XLII. c. 56. Huc dubitari nequit quin referenda sint quae habet Porphyrion ad Horatii Libr. I. Sat. 7. v. 1. „*Rex Praenestinus post exilium, in quod damnatus profugerat, militavit in Attica sub Actio Varo;*“ itemque Schol. Cruq. „*P. Rupilius Rex Praenestinus, postquam a Praenestinis in exilium missus esset, in Attica militavit sub Actio*

Varo." Apud utrumque Scholiastam, teste Jahnio ad Horatii l. c. p. 257., Spohnius verissime correxerat *in Africa* pro *in Attica*, et ipsam rem ad *P. Attium Varum* ducem partium Pompejanarum a. U. C. 707. retulerat. Conferas Pighii Annal. Tom. III. p. 444. Cum Scipione ille P. Varus de summo imperio disceptavit, eoque devicto junctus cum T. Labieno in Hispaniam classe fugit ad Cn. Pompejum filium a. U. C. 708. cf. Dio Cass. Libr. XLII. c. 57. et XLIII. c. 30. Haud multo post a Didio apud Crantiam navali proelio victus et in pugna ad Mundam d. XV. Kal. April. una cum Labieno caesus est a. U. C. 709. Utriusque caput ad Jul. Caesarem perlatum est: vid. Dio Cass. Libr. XLIII. c. 31., Appianus de B. Civ. Libr. II. c. 105., Auct. de B. Hisp. c. 31. et Vellej. Paterc. Libr. II. c. 55. §. 4. Huic Varo constanter praefixum est praenomen *Publii* ab Julio Caesare de B. Civ. Libr. II. c. 23. et 34., Cicerone pro Ligar. c. 1. et Dione Cass. Libr. XLI. c. 41. ibique videsis Intpp. Vol. V. p. 305. Strz., ita ut emendandus sit Eutropius Libr. VI. c. 25., ubi *Q. Varus* male legitur.

Aequalis eorum, quos recensuimus, Varorum fuit *L. Varus Epicureus*, cujus mentionem jam fecimus. Eum Wernsdorfius in P. L. M. Vol. IV. P. 1. p. 4., leviter innixus Servii, Donati et Phocae locis, quos supra §. 5. tractavimus, dicit cum Virgilio philosophiae Epicureae praecepta a Syrone audivisse. Ejus memoria servata est ab uno Quintiliano Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 78. „Transtulit crimen Cassius Severus. Nam, cum objurgaretur a praetore, quod advocati ejus L. Varo Epicureo, Caesaris amico, convicium fecissent, *Nescio*, inquit, *qui conviciati sint: et puto Stoicos fuisse.*" Spal-

dingius ad h. l. peracute suspicatur, haec accidisse in caussa Nonii Asprenatis, quem veneficii accusavit Cassius Severus ac defendit Asinius Pollio, ut testantur Suetonius in Aug. c. 56. et Quintilianus Inst. Or. Libr. X. 1. §. 22., XI. 1. §. 57. cf. H. Meyeri Orat. Rom. Fragment. p. 212. sq. et p. 228. Jam verisimile videtur, L. Varum et Nonium Asprenatem affines fuisse. Nam *P. Quintilius Varus*, infelix iste Romanorum contra Germanos dux, avunculus fuit L. Nonii Asprenatis illius, qui Vari in Germania legatus duas legiones ex funesta ista clade Teutoburgensi a. U. C. 763. servavit incolumes et vacillantes cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit, auctoribus Vellejo Paterc. Libr. II. c. 120. §. 3. et Dione Cass. Libr. LVI. c. 22. Filius istius P. Vari a Tacito Ann. Libr. IV. c. 66. vocatur *Caesari propinquus*. Nonius Asprenas, veneficii reus, a Suetonio l. c. perhibetur Augusto *artius junctus* fuisse et L. Varus Epicureus a Quintiliano nominatur *Caesaris* i. e. Augusti *amicus*. Itaque facile quis induci potest, ut L. Varum Epicureum fratrem fuisse putet P. Vari illius in Germania ducis. Res ad liquidum perduci nequit. Illud autem mihi videtur admodum probabile, quod inde colligit Spaldingius in Praefat. ad Quintiliani Vol. II. p. VII., hunc L. Varum Epicureum vix fuisse alius gentis quam Quintiliae. Hac Spaldingii disputatione manifestum est quam valde labefactetur J. H. Vossii sententia, qua L. Varus Epicureus ad gentem Alfiniam pertinuerit. Mihi conjectura Spaldingii multo veri similior videtur.

Jam ut certum sit, quod pluribus etiam Glandorpius in Onom. p. 738. sq. probavit, in gente *Quintilia* fuisse *Varos*; tamen in controversia ver-

satur, num *Quintilius*, candidissimus ille Virgilii et Horatii amicus, cognomine *Vari* fuerit appellatus? Heynius infitias it. Pro eadem sententia propugnat Hieronymus in Eusebii Chronic. ad Olymp. CLXXXIX. 1. p. 155.: „*Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur:*“ h. e. anno U. C. 730., ut Massonus in Vit. Horatii docet. De hujus Quintilii obitu Horatius ad Virgilium scripsit Libri I. Odam 24., quam in recenti de ejus morte dolore compositam esse tenerrimus, quem spirat, tristitiae moerorisque sensus planum facit. Ejusdem Quintilii, ut vita defuncti, meminit Horatius in Epistola ad Pisones v. 438., ubi Acron Scholiastes: „*Hic Quintilius erat Varus, poeta Cremonensis, amicus Virgilii;*“ Porphyrion: „*Hic erat Quintilius Varus Cremonensis, amicus Virgilii, eques Romanus.*“ Scholiastes Cruq. cum Acrone ad verbum consentit. Uterque *Quintilium Varum* appellat *poetam;* non item Porphyrion, cui tamen soli *Eques Romanus* dicitur. Ab Horatio in Epistola ad Pisones ut acutus, candidus severusque Criticus laudatur, neque in illo Epicedio legitur, quod ad poeticam ejus facultatem referri queat. Huic Quintilio tributum esse carmen *Aetnae* nomine inscriptum, refert Jul. Caes. Scaliger in Poetic. VI. 7. p. 852. eique sententiae ipse accedit: quam quidem exornari posse, concedit Wernsdorfius in P. L. M. Vol. IV. P. 1. p. 4., sed rectius ipse illud poema serioris aevi poetae, *Lucilio Juniori*, L. Senecae amico, addicit, ejusque sententiam, impugnatam a Ruhkopfio in Praefat. ad Senecae Opp. Vol. II. p. 13. jure amplexus novisque argumentis tuitus est Frid. Jacob in Praefat. ad *Lucilii Junioris Aetnam* p. XVI — XX. Lipsiae 1826. 8. Quare Kordesius in Addend. ad Eberhardti

Sueci libr. c. p. 189. mihi videtur recte dubitare, *Quintilium* illum in poetarum numero habere. Is enim si carminibus fuisset clarus, Horatius, ejus mortem deplorans, non, puto, omisisset ejus rei mentionem facere. Hinc etiam sequitur, non potuisse eum a Virgilio Eclog. IX. v. 35. componi cum C. Helvio Cinna, et vanam esse Ruaei opinionem, de qua dictum est supra §. 5. Not. 20. Turpior etiam est eorum error, qui ejusdem *Quintilii* mortem defleri putant a Virgilio Eclog. V. v. 20.:

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant:

ubi Servius, „*Alii*, inquit, *volunt Quintilium Varum significari, cognatum Virgilii, de quo etiam Horatius* I. *od.* 24.“ Atqui illa Ecloga composita est a. U. C. 713. et Quintilius demum obiit a. U. C. 730.! Qui ad ejus et Virgilii cognationem, quam Servius memorat, referunt Horatii verba: „*Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior, quam tibi, Virgili;*“ eos bene confutavit jam Massonus in Vit. Horatii p. 222. Mirifice nugatur hac in re Vincent. Lancettius Italus l. c. p. 7. sq. De Praenomine hujus Quintilii nihil plane constat: plerique eum dicunt *Publium*; item de ejus Cognomine dubitari licet et dubitatum est a Viris Doctis, ut ab Heynio, qui „*nulla*, inquit, *idonea auctoritate* Vari *cognomine eum appellant Grammatici:*“ cui tacite assensum praebuit J. H. Vossius ad Virgilii Eclog. VI. p. 293. Videtur sane ea in re Hieronymi, eum simpliciter dicentis *Quintilium*, auctoritas potior esse quam Servii ad Eclog. V. v. 20. et Scholiastarum ad Horatii Epist. ad Pisones v. 438. Horum tamen Grammaticorum fidem cum alii sequuntur, tum etiam Jahnius ad Horatii Libr. I. od. 18., cui carmini,

praeeunte Fea, titulum fecit: „*Ad P. Quinctilium Varum.*“ Vanderbourgius Vol. I. p. 109. in melioris notae Codd. Mstis invenit: „*Ad Quintilium Varum*“ et ambigit, intelligatne illum *P. Quintilium Varum*, qui in Germania interierit, an amicum Virgilii. Mirum sane, quod Vanderbourgius de *Varo* Germaniae praefecto cogitavit: de quo quid sentiam, breviter hic exponam.

P. Quintilius Varus ille, cum in Fastis et lapide apud Pighium ad a. 740. Tom. III. p. 521. *Sexti* filius dicatur, haud improbabili conjectura putatur fuisse filius *Sext. Quintilii Vari*, qui, auctore Vellejo Pat. Libr. II. c. 71. §. 3., devicto ad Philippos M. Bruto, liberti manu jugulari maluit, quam Triumvirorum misericordiam implorare. Consul fuit cum Tiberio a. U. C. 741. teste Dione Cass. Libr. LIV. c. 24. In Syria successit C. Sentio Saturnino a. U. C. 747. cf. Josephus Antiq. Jud. Libr. XVII. 5. §. 2. et G. F. Korbii, V. Cl., *Anti-Carus* p. 33. cl. p. 36. Syriam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit, ut Vellejus Paterc. Libr. II. c. 117. §. 2. argute magis, quam vere scribit, judice Henr. Ludenio in *Histor. German.* Vol. I. p. 226., qui istius Vari mores et facta arte Thucydidea descripsit. Ab anno U. C. 759. exeunte Germaniae praefuit usque ad mensem Septembrem a. U. C. 763., quo mense pugnatum est in silva Teutoburgensi, auctore Ludenio l. c. p. 234. cl. 662. *P. Varo* duci in illa pugna plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit: quippe paterni avitique exempli successor se ipse transfixit, ut ait Vellejus Paterc. Libr. II. c. 119. §. 2. Jam sive aetatem hujus Vari spectamus, sive mores ejus ac studia, non periculum est, ne fallamur negantes, ullam ei intercessisse

necessitudinem cum Virgilio et Horatio. Quapropter Viri Docti, qui hunc Varum hoc illove utriusque Poetae loco intellectum volunt, in magno censendi sunt errore versari. Ejus patruus dici et haberi per aetatem posset *Quintilius*, Poetae Mantuani et Venusini amicus, si certum et idoneis testibus confirmatum esset, huic fuisse *Vari* cognomen. At non multum abest quin ei tum Praenomen tum Cognomen afficta esse suspicer a Grammaticis, mutuata ab isto Germaniae praefecto, qui ipsis omnium Varorum notissimus esset.

Utcumque est, recte Jahnius Horatii Libr. I. odam 18. ad Quintilium scriptam esse statuit et haud inscite ad eumdem retulit Epod. V. v. 73., quum Canidia istum Varum v. 57. *senem* appellet. J. H. Vossius ad Virgilii Eclog. VI. p. 292. etiam in utroque Horatii carmine *L. Varum* Epicureum intelligendum esse censet. Scilicet vir ille eximius in opinione, quam semel conceperat, mirifice firmus erat et constans! Apud Horatium si *Lucius Varus* quidam intelligendus est, cujus tamen rei nulla prorsus suppetit ratio, praestiterit huc vocare alium *Lucium Varum*, qui, ut refert Appianus de B. Civ. Libr. IV. c. 74., expugnata a. U. C. 711. Rhodo, praesidio ibi relictus est a C. Cassio, Julii Caesaris percussore, et qui cum Horatio vel ob commune partium publicarum studium familiariter junctus esse potuit. Sed apage hujusmodi hariolationes! Vossianam de L. Varo Epicureo opinationem Vanderbourgius quoque respuit, quod in Codd. Mstis ad Epod. V. ille *Alfius Varus* dicatur. At hoc patrocinatur potius quam adversatur sententiae Vossii suspicantis, istum Epicureum nominatum fuisse *L. Alfenum Varum.* Utrumque enim nomen

facile permutari poterat; utrumque etiam cognatum est, si quidem ex gente *Allia Allieni*, *Nasidia Nasidieni*, *Cluvia Cluvieni*, *Tipia Tipieni*, *Clodia Clodieni* dicti sunt: quibus exemplis usus est Vinc. Lancettius l. c. p. 8., ut probabile redderet, *P. Alfenum Varum* Ictum, quum Cremonae sutrinam faceret, appellatum fuisse *Alfium*, sed posthac a P. Quintilio Varo, Virgilii amico, adoptatum assumpsisse *P. Alfeni Vari* nomen. Mirabile commentum!

Denique inter illius aetatis *Varos* animum advertit nostrum ille, cui Horatius inscripsit Libri II. Odam 7. Hoc carmen in Codd. Mstis et Editt. vulgo inscribitur vel *Ad Pompejum* vel *Ad Varum*, vel *Ad Pompejum Varum* vel *Ad Pompilium Varum*. Postremum titulum jam v. 5. corruptelae coarguit; idem versus tuetur eum, quem primo loco posui. Jam fuerunt Viri Docti, quibus non dubium esset quin idem Pompejus esset intelligendus, quem Horatius Iccio, agrorum, quos Agrippa in Sicilia possidebat, procuratori commendavit Libr. I. Epist. 12. v. 21.

Verum seu pisces seu porrum et caepe trucidas,
Utere Pompejo Grospho et, si quid petet, ultro
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.

Hanc Epistolam ob v. 26. scriptam esse puto anno U. C. 735., quo anno M. Agrippa Cantabros denuo rebellantes devicit devictosque perdomuit, auct. Dione Cass. Libr. LIV. c. 11. Scholiastes Cruq. ad h. l. „*Pompejus Grosphus amicus fuit Horatii, cujus meminit in Odis, eques ex Sicilia oriundus.*“ Grospho cuidam inscripta est Libr. II. Oda 16., ubi Porphyrion: „*Hac Oda Grosphum, Equitem Romanum alloquitur, Siciliensem;*“ et a Scholiasta Cruq.

ad v. 7. appellatur *Pompejus Grosphus,* et Jac. Cruquius hanc Odam inscripsit: „*Ad Pompejum Grosphum,*“ uti etiam invenit in Codd. Vanderbourgius Vol. I. p. 422. Jam hic *Pompejus* quin idem sit *Pompejus Grosphus*, qui Iccio commendatur, dubitare nos vetant Od. c. v. 33. sqq., ex quibus colligimus, illum magnas et amplas in Sicilia habuisse possessiones. Ab Silio Italic. Pun. Libr. XIV. v. 211. fingitur Agrigentinorum dux fuisse *Grosphus* quidam, *cujus caelata gerebat Taurum parma trucem, poenae monimenta vetustae.* In Inscriptionibus vetustis *Grosphi* nomen, quod sciam, non occurrit: quod cum originis Graecae sit, induxit nonnullos, ut illum *Pompejum Grosphum*, libertum Pompeji Magni et commilitonem, ἀπὸ τȢ γρόσφȢ h. e. a pilo nominatum putarent. Huic sententiae multum commendationis adderet *Pompejus* ille, cui Libr. II. Oda 7. inscripta est, si certo constaret, eumdem *Grosphi* cognomine dictum esse. Ille enim Horatii in M. Bruti castris commilito post pugnam Philippensem ad Sext. Pompejum in Siciliam trajecit, ductus fortasse Pompeji Magni studio. Hanc sententiam copiose adstruere conatus est Sanadonus, invenitque multos, qui assensum praeberent, in his etiam C. Passovium in *Q. Horatii Vita* p. XXXVI. N. 101. Verum tamen adversantur primum multi Codd. Msti, in quibus titulus legitur: *Ad Pompejum Varum* sive vitiose: *Ad Pompilium Varum.* Hujus inscriptionis veritas suffulcitur Scholiastarum auctoritate minime parvi facienda. Nam Acron ad h. l. „*Ad Pompejum Varum*, inquit, *scribit, gaudens ob ejus in patriam reditum;*“ et Scholiastes Cruq.: „*Scribit ad Pompejum Varum, gratulans ei in patriam reditum.*“ Horum testimonium et fidem merito secuti

sunt post G. Fabricium Dacerius, J. H. Vossius, Vanderbourgius et Pottierus. Deinde Vanderbourgius in Not. ad h. l. Vol. I. p. 364. sq. acute admonuit, hunc *Pompejum* fuisse Romanum, certe Italum, uti ex v. 3. intelligatur; *Grosphum* vero Siculum eumque divitem agrorum in Sicilia possessorem, ut appareat ex od. 16. v. 33. sqq., cum ille a Triumviris proscriptus sua bona haud dubie amisisset. Nam Massonus in Vit. Horatii p. 88. sq. recte conjecit, hoc carmen scriptum esse anno U. C. 715., quo anno, pace cum Sext. Pompejo ad Misenum facta, proscriptis omnibus redeundi impunitas data fuit: vid. Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 36., Vellej. Paterc. Libr. II. c. 67. In his fuit etiam *Pompejus Varus*: quo amico et veteri commilitone praeter exspectationem recepto Horatius laetitia exsultat et festum in ejus reditum diem indicit reminiscens pristini commilitii et commemorans cum laeta, quae communia habuerant, tempora, tum maxime tristia, quorum nunc meminisse juvaret.

Jam Glandorpius in Onomast. p. 698., amplexus Scholiastarum Horatii testimonium, in ordinem recepit *Pompejum Varum* et a *Pompejo Grospho* distinxit, et quos ille ibidem congessit Pompejos solo distinguendos cognomine, ex eis satis liquet, quam vana sit de *Pompejo Varo*, quem Scholiastae Horatii tantum commemorant, Virorum Doctorum dubitatio.

EXCURSUS II.

DE

BASSIS QUIBUSDAM ROMANIS INGENIO SCRIPTISQUE ILLUSTRIBUS.

Locus Apuleji de Orthogr. §. 43., qui §. 4. de Varii et Cinnae contubernio productus est, etiam alias ob caussas admodum notabilis largam praebet disputandi materiam. Ac prae caeteris quidem animum ad se convertit nostrum Poeta iste jambicus, *Battus.* Is quum *Ovidii contubernalis* ab Apulejo nominetur, facile quis induci potest, ut h. l. cogitet de poeta illo, cujus meminit Ovidius Libr. IV. Trist. el. 10. v. 47.

Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo,
Dulcia convictus membra fuere mei;

et *Batti* nomen corruptum esse censeat. At Apulejus expressis verbis adnotat, jambici illius poetae nomen duplici *t* scribi, ejusque auctoritas tanti visa est Fr. Osanno, doctissimo opusculi Apulejani Editori, ut in loco Ovidiano *Battus* reponi debere diceret in Animadv. p. 66. In aliquot Ovidii Codd. Mstis invenit N. Heinsius *Bacchus* pro *Bassus*: quibus in Codicibus *Battus* legatur, ut Osannus ait, me latet. — L. Gyraldus de Poet. Dialog. IV. p. 162. et G. J. Vossius de P. L. c. 2. p. 241. Vol. III. Opp., qui de *Pontico,* poeta epico, exponentes illum Ovidii locum allegant, utique legunt: *Battus quoque clarus iambo;* sed neuter, opinor, Codicum auctoritatem ea in lectione secutus est. In Gyraldi Operum editione Basileensi, quam erroribus typographicis scatere dixi supra Not. 2., procul

dubio operae aberrarunt, eumque errorem G. J. Vossius velut aliud agens propagavit, uti jam Broukhusius ad Propertii Libr. I. 4. v. 1. p. 15. admonuit. Quapropter equidem subdubito, propter unius Apuleji testimonium in Ovidii loco *Battus* pro *Bassus* rescribere, ut Osannus suasit. Accedit, quod prorsus incertum est, num apud Romanos poeta *Batti* nomine umquam vixerit. Ne quid tamen reticere coarguar, quod Apuleji testimonio favere videatur, afferam Scholiastem ad Ovidii Ibin v. 261. de Phoenice, Amyntoris filio, exponentem et haec subjicientem: „unde Battus:

Femina nata malum, peccati femina origo,
Femina tota malum, res atque miserrima vitae,
Noluerant fratres male consentire novercae,
Noluerantque torum nati incestare parentis.
Illa repulsa dolens converso crimine in illos,
Accusavit eos patri: pater accitus ira,
Nec rectum inspiciens (neque enim rectum inspicit ira)
Ipse pater, sed jam re non pater, eruit illis
Quod dederat lumen poenamque secutus eandem est.“

Idem Scholiastes ad Ibin v. 301. de Achaeo, „qui captus ab Antiocho Rege et juxta Pactolum fluvium, cujus arenae aureae sunt, suspensus, unde Battus:

Antiochus captum victum suspendit Achaeum
Undaque Pactoli est aurea testis adhuc.“

Habemus igitur poetam *Batti* nomine eumque Romanum. Quod illa fragmenta epici sunt atque elegiaci generis, id per se spectatum nihil impedit quo minus eum amicum Ovidii jambis clarum fuisse credamus: qui enim ab Ovidio ob jambos laudatur, poterat etiam in aliis carminum generibus versari.

Verum enim vero sunt alia multo graviora, quae assensum cohibeant. Primum enim plurima pars fragmentorum ab hoc Ovidii Scholiasta laudatorum de fide suspecta est, ut ipse Osannus l. c. p. 67. confitetur: cf. D. Salvagnii Boessii Not. ad Ibin v. 301. Deinde quis tam hebes est, ut sibi persuadeat istos versus poetae esse sub Augusto florentis? Mihi quidem, si quid sentio, monachi cujusdam ingenium et doctrinam sapere videntur. Hic Battus nescio quis, si versuum istorum dictionem spectas, vere *βαττολογεῖ;* si argumentum eorum consideras, poterat iste versificator ingeniolum suum antiquitatis Graecae mythis exercere, sed scribenti ei de Phoenice, Amyntoris filio, obversatam esse ex bibliis sacris Evam, nemo negabit. Denique *Batti* nomen videtur Romanis prorsus inusitatum fuisse. Pervestigantibus enim nobis antiquitatis Romanae monumenta nullus occurrit *Battus:* in una tantum inscriptione dubiae fidei ap. Gruterum p. CXXXI. 12. *AM. BATVS* legitur. At Bassi nomine nihil magis obvium, ut vel ex Indice Thes. Gruter. Tom. II. P. 2. p. CXXXVII. cognosci potest: cf. Glandorpius in Onom. p. 930. Hanc nominis insolentiam, conjunctam cum silentio scriptorum de *Batto* poeta, esse alicujus hac in caussa momenti, ne Osannus quidem, spero, infitiabitur. Itaque a me impetrare non possum, ut Ovidio, sine Codd. Mstorum assensu, unius Apuleji, scriptoris recentissimi et corruptissimi, auctoritate inductus pro *Basso* obtrudam amicum *Batti* nomine. Adde quod inprimis in suspicionem adducit Apuleji locum, in quo dicitur *Battus* iste commemoratus esse in Varii et Cinnae poematis. Id quo pacto possit conciliari et effici, ut ne temporum ordini repugnet, fateor me non

assequi. Ovidium anno U. C. 711. natum esse, certo constat; non minus certum est, hoc anno Varium et Cinnam jam floruisse magna carminum laude et fama, eosque, utcumque de utriusque anno natali statuas, certe aliquot decenniis majores natu fuisse quam Poetam Sulmonensem. Jam vero, etiamsi ponamus, *Battum* istum aetate et vitae annis Ovidium, contubernalem suum, antecessisse, tamen, subductis probabiliter temporum rationibus, non intelligitur, quo nomine quave occasione Varius et Cinna, senes haud dubie grandes et aetate confecti, poetam juvenem Ovidii aequalem potuerint in poematis suis commemorare. Haec igitur omnia mecum reputanti mihi suborta est suspicio quaedam, qua utique Apulejus in ingentis vocatur insimulationem stuporis, a quo tamen eum non alienum esse docuit J. Nic. Madvigius in Prolus. Acad. Hafn. a. 1829. Quid, si Varius et Cinna in poematis induxerant *Battum* quemdam ficto nomine, fortasse memores *Batti*, pastoris istius senis, a Mercurio ob furtum indicatum in lapidem transformati, ut Ovidius Metam. Libr. II. v. 688. sqq. narrat, atque inde factum est, ut Apulejus sive is, quem exscripsit, tam turpi errore laberetur. Rideat, cui volup' est, hanc, quam ipse ne flocci quidem facio, suspicionem meam, dummodo mecum faciat dicente, amicum et convictorem Ovidii iambo clarum appellatum fuisse *Bassum*.

Quo plures autem *Bassi* illo tempore Romae vixerunt doctrina litterarumque studiis memorabiles, hoc difficilius est certi quid pronuntiare de *Basso* Iambographo, quum ab solo Ovidio commemoretur et eo nomine laudetur. Sunt qui eum significari putent ab Horatio Libr. I. Od. 36. v. 14.: „*Neu*

multi Damalis meri Bassum Threicia vincat amystide." Commentum perridiculum! Qui a Cicerone ad Attic. Libr. XII. Epist. 5. §. 2. notatur *Bassus Lucilius*, malus scriptor, quem tamen sua delectent, eum poetam appellat Ernestius, levi, ut videtur, ductus conjectura et reminiscens *Aquinium* poetam ap. Ciceron. Tusc. Disp. Libr. V. c. 22. In eadem tamen sententia video esse Orellium, qui, quum *Bassus* prorsus ignotus sit, nomine gentili *Lucilius* in dubium vocato, suspicatur latere *Attilium*, poetam tragicum, quem *durissimum* appellat Cicero ad Attic. Libr. XIV. Epist. 20. §. 3. Ego vero non magis assentiri possum Orellio, quam Glandorpio in Onomast. p. 553. opinanti, *Lucilium Bassum* esse eumdem, qui memoretur a Cicerone ad Divers. Libr. VII. Epist. 20. §. 3., in qua C. Trebatio Testae scribit: „*Ego a Sex. Fadio, Niconis discipulo, librum abstuli*, *Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suavem meque docilem ad hanc disciplinam! Sed Bassus noster me de hoc libro celavit: te quidem non videtur.*" Utrumque Bassum ego diversum esse arbitror: genti Luciliae cognomen *Bassi* asserit *Lucilius Bassus* a Vitellio classibus Ravennati et Misenensi praepositus, auctore Tacito Histor. Libr. II. c. 100. ibique v. Lipsius. Alterum *Bassum*, qui Ciceronem de Niconis libro celaverat, Ernestius in Ind. Histor. putat esse *Q. Caecilium Bassum* Quaestorem a. U. C. 695. Iste Quaestor fueritne homo edax bibaxque non constat: a Cicerone enim iste Bassus aperte, at festive notatur ut homo gulosus, cupes et Trebatii combibo. Qui si forte in urbe tamquam famosus gulo et compotor innotuerit, non absonum fuerit suspicari, *Bassi* nomen apud Horatium appellative accipiendum esse, quo ζωροπότης

significetur, atque illud eadem nominis θετικῶ significatione usurpatum esse a Martiale Libr. VI. Epigr. 69.:

Non miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle;
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

Sed quisquis fuit uterque Bassus a Cicerone memoratus, neuter per aetatem Ovidio esse poterat inter dulcia membra convictus sui. Aetate suppar Poetae Sulmonensi erat *T. Aufidius Bassus*, belli Germanici scriptor, de quo copiose egit G. J. Vossius de Hist. Latin. Libr. I. c. 2. p. 36. Vol. IV. Opp. — Ob eloquentiam laudatur ab Auct. Dial. d. Oratt. c. 23., ubi Orellius ὁ κριτικώτατος jure delevit praenomen *Titi*, conjectura ei praefixum, ostenditque illi potius videri fuisse praenomen *Publio* ob locum Prisciani Libr. VIII. c. 4. §. 18. Tom. I. p. 371. Kr. Eumdem a Seneca Epist. XXX. §. 4. multa cum laude commemorari censent Gierig ad Plinii Libr. III. Epist. 5. §. 6. et Bernhardy in *Grundr. d. R. Litt.* p. 261. Not. 490., sed hunc illius filium esse, rectius statuunt Lipsius ad Senec. l. c., G. J. Vossius de Hist. Lat. l. c., N. Faber ad M. Senecae Suasor. VII. p. 44. Vol. III. Gr. et Spaldingius ad Quintil. I. Or. Libr. X. c. 1. §. 103. Aufidius Bassus pater potest, si tempora spectas, haberi Ovidii convictor ac contubernalis, sed de studiis ejus poeticis cum nihil traditum legamus, alius circumspiciendus nobis erit hujus nominis poeta.

Jam Quintilianus duo recenset *Bassos* carminibus illustres, epicum alterum, alterum lyricum. Ille est *Salejus Bassus*, cujus *ingenium vehemens et poeticum fuit, nec ipsum senectute maturum,* ut ait Quintilianus I. Or. Libr. X. c. 1. §. 90. et postremis verbis significat, eum immaturae mortis fato

ereptum esse pariter ac Serranum et Valerium Flaccum. Vixit sub Vespasiano, cujus miram et eximiam liberalitatem est expertus, ut refert Auctor Dial. de Oratt. c. 9. cl. 5., utqui tenui esset fortuna, teste Juvenale Sat. VII. v. 79.

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano tenuique Salejo
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est.

Wernsdorfius, qui *Salejum Bassum* ostendit scriptorem *Panegyrici ad Pisonem*, Lucano vulgo adscripti, esse, accuratissime de eo egit in Poet. L. M. Vol. IV. P. 1. p. 41. sqq. Vide supra §. 11. N. 56. De cognomini poeta lyrico Quintilianus I. Or. Libr. X. c. 1. §. 96.: „*At Lyricorum*, inquit, *idem Horatius fere solus legi dignus. — Si quem adjicere velis, is erit* Caesius Bassus, *quem nuper vidimus.*“ Is floruit sub Nerone et Imperatoribus proximis. Eum Vesuvii conflagratione, quae, Tito imperante, d. IX. Kal. Septembr. a. U. C. 832. urbes Herculaneum et Pompejos sepeliret, una cum villa sua consumptum periisse, vetus tradit Scholiastes Persii ad Sat. VI. v. 1., quae *Caesio Basso* inscripta est. Inde etiam colligere licet, in diversis eum poesis lyricae generibus versatum esse: cf. Casaubonus ad h. l. p. 477. sqq. et inprimis Bernhardy in *Gr. d. R. Litt.* p. 233. N. 435. Hujus *Caesii Bassi* est carminis fragmentum apud Priscianum Libr. X. p. 897. P. c. 6. §. 36. Kr. „Bassus in II. Lyricorum:

Calliope princeps sapienti psallerat ore.“

Et apud Diomedem Libr. III. p. 513. P. „Molossicum metrum mihi durissimum videtur: hujus exemplum dat Caesius Bassus tale:

Romani victores Germanis devictis.“

Qui versus in vetere libro *Celsio Basso* cuidam tributus ita legebatur,

Romani Gallis devictis sunt victores:

notante G. J. Vossio de Hist. Lat. Libr. I. c. 22. p. 37. Vol. IV. Opp., qui eadem repetit de P. L. c. 3. p. 244. Vol. III. Opp. et praeterea addit, sibi videri eum versum non esse ex Lyricis, sed ex epico carmine vel ex Praefatione Lyricorum, quam Bassus prosa scripserit, eique invito illum Molossicum excidisse. Cf. Scioppii Susp. Lect. Libr. V. ep. 22. Nomen *Caesius* etiam apud Quintilianum l. c. corruptum degeneravit in *Celsius* et *Cessius*, notante Spaldingio Vol. IV. p. 83. A *Caesio Basso* poeta distinguendus est is, quem librum de Metris scripsisse refert Maxim. Victorinus de Carmine Heroico §. 5. in Lindemanni Corpore Gr. Lat. Vet. Tom. I. p. 288. Qui eumdem fecerunt scriptorem Commentariorum in Caesaris Germanici Aratea, eos jam refutavit G. J. Vossius. Illius aequalis videtur fuisse iste *Bassus*, qui a Martiale frequenter perstringitur et qui ob Libr. V. Epigramma 53. inter tragicos Romanorum Poetas recensetur a Langio in Vind. Tr. Rom. p. 9. cf. supra §. 13. N. 67.

Restat, ut investigemus, quis fuerit *Bassus* ille, iambo clarus poeta et Ovidii convictor, quem ab eis, quos hactenus recensuimus, Bassis sejungendum esse dubitari nequit: nam opinationem Petr. Criniti de Poet. Lat. c. 51. p. 473., qui Persii Satirographi amicum, Caesium Bassum, Ovidii quoque familiarem fuisse dicit, non est quod pluribus refellamus. Ovidius l. c. cum *Basso* conjungit *Ponticum*, poetam epicum. Ad Ponticum scripsit Propertius Libri I. Eleg. 7.:

„Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae,
Armaque fraternae tristia militiae;
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus.
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quaerimus in dominam.“

Quo ex loco recte colligitur, Ponticum heroicis versibus composuisse *Thebaida*, in eaque componenda tum maxime occupatum fuisse. Num illa Thebais absoluta umquam et publici juris facta fuerit, in medio relinquam. Certum autem est, eumdem Ponticum laudari ab Ovidio et numerari inter suos convictores. Jam Propertius etiam ad *Bassum* quemdam scripsit Libri I. Eleg. 4.:

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?

in eaque, simulata festive ira, eum objurgat, quod se a Cynthiae amore abalienare conetur, eique suae puellae, cujus excellentes corporis animique virtutes exponit, iram minitatur. Tota haec Elegia familiaritatem interiorem, quae Propertio cum Basso isto intercesserit, testatam facit. Atqui hunc ipsum *Bassum*, hominem jocularem et lascivum, arbitror fuisse dulce convictus Ovidiani membrum. Propertius igitur et Ovidius communes habuerunt familiares, *Ponticum* et *Bassum*. Non obstat, quod Propertius in illa Elegia nullam de studiis Bassi poeticis mentionem fecit. Nam ut, quod sentio, dicam, mihi videtur Ovidius in laudandis convictoribus illis suis plus amicitiae quam veritati dedisse. De *Pontici* Thebaide quae sit sententia mea, paulo ante aperui; *Bassum* autem suspicor numquam nisi per otium et animi caussa scribendis Iambis vacasse. Itaque utriusque studia poetica nemini cuiquam inno-

tuerunt, nisi amicis, Propertio et Ovidio. Hinc de utroque poeta consentiens apud omnes Romanorum scriptores silentium; hinc inter poetas epicos *Ponticus*, inter iambicos *Bassus* praetermissi sunt a Quintiliano I. Or. Libr. X. c. 1. §. 85. sqq. et §. 96. Is licet Virgilio versificatorem meliorem quam poetam, *Cornelium Severum*, et Horatio in Lyricis *Caesium Bassum*, de quo non nimis honorifice eum sentire apertum est, conferre et aequiparare non dubitaverit, tamen neminem habet, quem ex iambicis Romanorum poetis Catullo, Furio Bibaculo et Horatio adjungat. Cur igitur praeteriit *Bassum*, Ovidii amicum iambo clarum? Scilicet ille suis iambis numquam apud Romanos nomen et famam adeptus est.

Hanc de *Basso* Iambographo, communi Propertii Ovidiique familiari, sententiam praeivit, quod sciam, primus Casaubonus ad Persii Sat. VI. p. 477. eamque omnium Propertii editorum, quos quidem novi, consensu receptam Osannus quoque non ausus est convellere, sed non multum abfuit quin etiam in Propertii loco *Battum* reponendum decerneret.

EXCURSUS III.

DE

C. ASINIO POLLIONE, TRAGOEDIARUM SCRIPTORE.

C. Asinium Pollionem, virum doctrinae studiis excellentem, etiam tragoediis scribendis vacasse, luculenter testantur loci Virgilii et Horatii, quos supra §. 9. excitavimus. Uterque illum eo nomine

magnifice collaudat. Quae a Marone Eclog. VIII. v. 9. appellantur *carmina Sophocleo digna cothurno* sunt illa *nova carmina*, quae Pollionem facere canit Menalcas pastor Eclog. III. v. 86. Illa cur *nova* dicantur, ambiguum est. Servius ad h. l. *nova carmina* explicat *magna, miranda,* quocum facit Acron ad Horatii Libr. IV. Od. 2. v. 10. Contortior quam quae probari possit est Burmanni interpretatio cogitantis de carminibus epicis, quae tamen a Pollione composita esse, ne unius quidem scriptorum veterum testimonio evinci potest. Perleve est argumentum a *tauri* mentione repetitum, quod Acron ad Horatii Libr. I. Epist. 3. v. 36. adnotaverit: „*Lyricos vitulam, Tragicos hircum, alios* (i. e. epicos ex Burmanni sententia) *poetas taurum immolasse.*" Cum igitur Virgilius in eadem Ecloga scripserit v. 85.:

Pierides, vitulam lectori pascite vestro;

opinatur Burmannus, significari Pollionem a scribendis lyricis ad epica transeuntem carmina. Quidquid sit, Burmannus negat *novis carminibus* posse indicari tragoedias, quia tum *hircus* pro *tauro* ponendus fuisset. Hanc interpretationem merito respuit Thorbeckius *de C. Asinii Pollionis Vit. et Studiis Doctr.* p. 125. et cum Heynio amplexus est Servii rationem, ita ut *nova* carmina acciperet de praeclaris, qualia non antea facta essent. Attamen ut simplicius, ita etiam verius J. H. Vossius ad h. l. p. 141. cogitat de Pollionis tragoediis, quae novitatis gratia placerent et inde *nova carmina* appellarentur. Nec quidquam adjuvat Burmanni sententiam locus Horatii Libr. I. Sat. 10. v. 42., ubi Pollio *facta regum* canere dicitur. Quae quidem verba, per se spectata, de carmine epico accipi posse non

nego. Sic in Domitii Marsi Epitaphio in Tibullum v. 4. *regia bella* sunt ea, quae inter reges h. e. civitatis principes geruntur, et verba Virgilii Eclog. VI. v. 3. „*cum canerem reges et proelia,*“ in Servii Commentario nescio quis interpretanda censet aut de bellis civilibus aut de Thyeste tragoedia, quam Virgilius tentasse fertur. Priorem interpretationem unice veram esse, apparet ex docta Phil. Wagneri adnotatione ad v. 1.; posteriorem secutus est N. Heinsius ad Ovidii ex Pont. Libr. IV. Ep. 2. v. 1.:

Quod legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis:

ubi recte quidem pro aliq. Codd. lectione *maxime vatum* edidit *maxime regum* et de vate explicavit, qui regum facta canat, collato loco Ovidii ex Pont. Libr. IV. Ep. 16. v. 9.:

Quique dedit Latio carmen regale Severus;

sed utrumque locum de tragoedia quadam intelligi voluit. Perperam! Verissime Micyllus de carmine epico cogitat neque inscite hunc Ovidii amicum dicit fuisse *Cornelium Severum*, qui, auctore Quintiliano I. Or. Libr. X. c. 1. §. 89., bellum Siculum scripsit: *reges* enim et *regale* accommodate dicitur de principibus, bellorum civilium auctoribus et ducibus, ut docet J. H. Vossius ad Virgil. Eclog. VI. v. 3. p. 289. Illius autem Cornelii Severi bellum Siculum sine dubio egit de bello cum Sext. Pompejo. Porro Heinsius suae interpretationis stabiliendae gratia profert locum Ovidii Trist. Libr. II. v. 553.

Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis,
Quaeque gravis debet verba cothurnus habet.

At hic locus, qui de Medea, regis filia et de cognomini Nasonis tragoedia explicandus est, ne potest

quidem cum superioribus locis conferri. Sicut *regia bella* apud Domitium Marsum ob adj. vv. *forti pede* de epico carmine, ita apud Ovidium *scriptum regale* propter adj. vv. *tragicis cothurnis* de tragoedia accipi debent. Pari modo *facta regum,* quae Pollio canere dicatur, apertum est, referri debere ad tragoediam ob vv. sqq. *pede ter percusso* i. e. trimetro iambico, quoniam tres caesuras habet, ut ait Acron ad h. l. Neque etiam negari potest, scriptorum omnium de lyricis et epicis Asinii Pollionis carminibus silentium hac in caussa haud parvi esse momenti. Male enim J. C. F. Manso in libr. *Vermischte Abhandl. u. Aufsätze* (Bresl. 1821.) p. 53. Not. *v.* huc refert locum Plinii Libr. V. Epist. 3. §. 5., ubi sermo tantum est de poematiis petulantioribus et epigrammatis, quae a Pollione, viro seriis jocisque pariter accommodato, ut a Quintiliano I. Or. Libr. VI. c. 3. §. 11. appellatur, nonnumquam animi caussa fusa esse, veri simillimum est: v. Thorbecke l. c. p. 128. sq.

Dramaticae poesis studium videtur Pollio singulari amplexus esse amore: cujus rei testis est vel illa epistola ad Ciceronem, cui Balbi Praetextam legendam miserat, Libr. X. ad Divers. 32. §. 10. Illud vero J. H. Vossius ad Virgil. Eclog. III. v. 86. et VIII. v. 9. minime persuadet, Pollionis tragoedias jam tum Mantuae aliisque Venetorum in urbibus datas esse et spectatas. Loci certe Virgiliani ad probandum infirmi admodum sunt atque ambigui. Quid enim, si Virgilius, anno U. C. 712. vixdum receptus in Pollionis patrocinium, fando tantum acceperat, eum, quidquid temporis a bellicis curis superesset, tragoediis scribendis tribuere, ideoque Menalcam nova illa carmina annuntiantem blande

induxerat? et si ea carmina anno U. C. 715., postquam secum communicata fuerant et lecta, cothurno Sophocleo digna appellaverat, sive eorum admiratione abreptus, sive grati in patronum animi sensu ductus? Utcumque est, id mihi paene certum videtur, tragoedias Pollionis illo tempore nondum in vulgus exiisse, nedum in urbium Venetarum theatris datas esse, alioqui Virgilius scribere non potuisset et optare, ut sibi aliquando liceret illa ferre totum per orbem. Rem si universe spectamus, est sane quod dubitemus, num Pollio umquam eo consilio tragoedias scripserit, ut publice in scena agerentur. Virorum doctorum ea de re sententiae vehementer hodieque discrepant et adversa fronte inter se repugnant. Qui Pollionis tragoedias in scena agi solitas esse affirmant, eorum sententia nullius nisi unius innititur Horatii loco Libr. II. Od. 1. v. 9.: „*Paullum severae Musa tragoediae desit theatris* h. e. omitte studium scribendarum tragoediarum, quae in theatris agantur, tantisper, dum, quod inchoasti, historicum de bellis civilibus opus pertexueris. Cujus testimonii vis quanta hac in caussa sit, non prius poterit recte aestimari, quam exploratum sit, quo circiter tempore illa ab Horatio scripta fuerint. Jam, quae Dacerius, futilissimis usus rationibus, ea de re disseruit, ea quam *ἀνιστορήτως* disputata sint, satis ostendit Massonus in Vit. Horat. ad a. U. C. 715. §. 4. p. 91—107. Ille enim contendit, hanc Odam inscriptam esse Pollioni fasces consulares gerenti h. e. anno U. C. 714. At in confesso est, eam compositam esse post Pollionis de Parthinis triumphum, quem actum esse a. d. VIII. Kal. Novembr. a. U. C. 715. testantur Fasti Capitolini: cf. Heynius ad Virgil. Vit. per annos dig. a. U. C. 715. et Thorbecke

l. c. p. 33. Id extra omnem dubitationem ponunt Horatii verba v. 15.:

Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Massonus §. 7. in medio relinquit, quo haec Oda scripta sit anno negatque certo definiri posse: ita etiam Vanderbourgius ad Horat. Vol. I. p. 205. Jam licet constet, Pollionem, acto triumpho, abstinuisse omni parte reipublicae administrandae et in otio ac secessu litterarum studiis vixisse; tamen valde dubium est, num ante debellatum M. Antonium de conscribenda bellorum civilium historia cogitaverit. Neminem enim minus quam Pollionem poterant latere gliscentis inter Caesarem Octavianum et M. Antonium discordiae igniculi, serius ocius in apertum erupturi bellum. Atque ad hos principes, minime ad Pompejum M. et Julium Caesarem, spectare puto v. 6—8.

Periculosae plenum opus aleae
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Cum Pompejus et Caesar dudum e medio sublati essent, nihil periculi habebat enarrare historiam belli ab utroque gesti. At si memineris, Pollionem conjunctiorem semper fuisse M. Antonio, iniquiorem Octaviano; non difficile est intellectu, quam periculosum et anceps fuerit, postquam Octavianus rerum solus potitus erat, cum judicii libertate et ex rerum veritate bellorum civilium historiam contexere. Quamdiu enim M. Antonius vivebat, Pollioni minus timendus erat Octavianus: cum illo vetus ei erat amicitia, ut ipse scribit Ciceroni Libr. X. ad Divers. Epist. 33. §. 5., cum hoc inveterata simultas et obstinata voluntatis alienatio, ut vel responsum illud

docet, quod Octaviano roganti, ut secum ad bellum Actiacum proficisceretur, dedisse narrat Vellejus Paterc. Libr. II. c. 86. §. 4. Jam cum Pollio, devicto M. Antonio, factus esset praeda Octaviani victoris, patet, quam plenum offensionis et invidiae fuerit illud opus, quod inchoaverat, historicum. Accedit, quod v. 5. *arma nondum expiatis uncta cruoribus* rectius explicantur de temporibus, quae pugnam Actiacam subsecuta sunt, quam quae praecesserunt. Narrationis filum ordiri voluit Pollio inde a triumviratu Pompeji M. et Julii Caesaris et Crassi, inito a. U. C. 694., Q. Caecilio Metello Celere et L. Afranio Coss., et pertexere usque ad Aegyptum devictam et subactam a. U. C. 724. Commissum vero his bellis ἄγος nondum piaculis exsolutum erat: quare Pollio arma describebat uncta cruoribus nondum expiatis. Eodem sensu Horatius adhuc anno U. C. 727. scripsit Libr. I. Od. 2. v. 29.: *Cui dabit partes scelus expiandi Jupiter?* Minus recte alii statuunt, illis verbis significari bella civilia Marii et Sullae. Quibus omnibus in eam deducor sententiam, ut hanc Odam finitis per Octavianum bellis intra annos U. C. 725—727., priusquam ille Augusti nomen ferret, scriptam esse putem. Conferas Jahnii Adnotatt. ad h. l. et Kirchneri Tabulam chronol. Horat., in qua item illa Oda anno U. C. 727. assignatur.

Ut igitur concedam, quod minime negari potest, tragoedias a Pollione scriptas esse, tamen numquam mihi persuaderi patiar, ut eum scenae suo ingenio serviisse credam. Vir ille, inter praecipua istius saeculi ornamenta numerandus, colebat studia, studiosos amabat, fovebat, provehebat, multorumque, qui aliqua componerent, portus erat, sinus et praemium, ut Plinii de Titinio Capitone verbis Libr. VIII. Epist.

12. §. 1. utar. In omni vitae studiorumque genere antiqui tenax moris, quo ut quisque haberi volebat liberali doctrina politissimus, ita maxime versabatur in componendis carminibus, scriptitabat tragoedias vel ad animi voluptatem vel ad alendam dicendi copiam. Sic, ut omittam Q. Tullium Ciceronem, quem sedecim diebus quatuor tragoedias absolvisse novimus ex Marci fratris ad eum Libr. III. Epist. 6. §. 7., memoriae proditum legimus, C. Julium Caesarem Strabonem inter primos sui temporis oratores et tragicum poetam bonum admodum esse habitum: vid. Asconius Pedianus ad Cicer. Or. pro Scaur. Tom. XVI. P. 2. p. 243. sq. ed. Schütz. et m. Comment. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 9. N. 30. p. 127. Ejusmodi praestantem virum aemulatus Pollio tragoedias composuit, non quo eas in scenam proferret, sed ut eas tamquam ingenii sui studiorum proventus cum amicis communicaret aut in eorum consessu recitaret. Non potest componi cum Pupio, poeta aequali, cujus *lacrimosa poemata* h. e. tragoedias Romae in theatris spectatas esse, ipse confessus sum in Comment. *de Obtrectatoribus Horatii* §. 2. N. 6. p. 276. sq. Verum enim vero quod Pupius aliique hujus farinae dramatici poetae fecere, id non credibile est factum esse a Pollione, tantae dignationis viro. Adeone suae claritatis immemorem fuisse, ut hac ratione sui ingenii et doctrinae famam in discrimen committeret? Non hercle levi et mutabili plebis judicio suas subjecit tragoedias; at, cum domum suam recitantibus liberaliter eum aperuisse constet, nihil est verisimilius, quam, sicut aliorum recitationibus frequens interesset, ita ipsum quoque sui ingenii opera praelegisse amicis domi suae congregari solitis. Cujus quidem sen-

tentiae argumentum deprehendere mihi videor in illo ipso loco Horatii Libr. II. Od. 1. v. 9. Falluntur enim, si quid video, Interpretes, qui ibi de *theatris* proprie sic dictis cogitant: nam h. l. *theatra* eodem significatu mihi videntur memorata esse, quo Libr. I. Epist. 19. v. 41. sq.

Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus:

ubi *spissis theatris* significari auditoria, in quibus scripta ingenii opera coram multis recitentur, cum alii admonuerunt Interpretes, tum inprimis docte ostendit Theod. Schmidius p. 444. sq. Per totam autem hanc Odam, quam ex politissimis Poetae Venusini carminibus esse quilibet intelligit, sublimis quaedam et grandiloqua incedit dictio. Videlicet quo majori in exspectatione Horatii erat illud de bellis civilibus opus a viro ingenuo et libertatis veritatisque studioso scriptum, hoc impensius efflagitatur et eo blandioribus verbis Pollio incitatur, ut, omisso paulisper artis tragicae studio, in illud unum incumbat et quam primum ad umbilicum perducat.

Haec si recte nihilque praejudicati afferentes disputavimus, planum erit, quo jure negaverimus, Pollionis tragoedias umquam in scena esse editas. Atque huic sententiae nostrae non nihil momenti adjicit, quod nullius tragoediae a Pollione scriptae et Romae sub Augusto ejusque successoribus actae memoria apud ullum scriptorem invenitur, quod Quintilianus illum propter tragoedias ne memorat quidem, nedum laudat, atque quod Auctor Dialog. de Oratt. c. 21. non ita honorifice de eis judicat. Quibus de caussis discessionem mihi faciundam esse existimavi cum a Grysario, qui in egregia Disputatione de Theatro Rom. in *Allgem. Schulz.* a. 1832.

II. N. 40. p. 315. vulgarem loci Horatiani interpretationem amplexus Pollionis tragoedias scenae commissas populo placuisse opinatur, quia Attianis et Pacuvianis fabulis similes fuissent, tum maxime a G. Regelio, qui diversa VV. DD. de re tragica Romanorum judicia sub examen vocavit in perdocta Commentatione Gotting. 1834. edita p. 52. sqq.

EXCURSUS IV.

DE

RABIRIO ET *PEDONE* POETIS.

Nic. Ciampittius in Praefatione c. ap. Kreyssigium p. 130. ait, Quintilianum Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 90. „*Rabirius et Pedo non indigni cognitione, si vacet:*“ de utroque Poeta non nimis honorifice sensisse, si quidem significatio et vis τῆς λιτότητος enervetur vv. *si vacet,* ac propemodum tollatur. Qua in re Vir Doctus me quidem habet assentientem, ita ut illud judicium verum quidem et sine cupiditate, sed respectu tamen oratoris juvenis, qui instituendus esset, factum a Quintiliano esse censeam. Utrique igitur Poetae propria esse poterat virtus et laus. Quod si Ciampittius Rabirium suspicatur a Vellejo, Tiberii adulatore, tam magnifico praeconio mactatum esse, quoniam ille bellum Actiacum carmine persecutus sit, vereor, ne quid sumpserit ac pro certo habuerit, quod prius aliis eisque evidentioribus demonstrandum esset argumentis. Neque Ovidium existimo tam splendidam illi impertivisse laudem, ut eum sibi devinciret eoque in lenienda Augusti ira uteretur; sed concedo, poetam Sulmo-

nensem amicitiae quid dedisse in commemorandis poetis aequalibus, quorum pristinae consuetudinis vehementi desiderio exsul teneretur. Quidquid est, C. Barthius in Advers. Libr. XXXVII. c. 10. p. 1689. recte rejecit Codicis Msti lectionem: *magnique Sabellius oris.* Impudicorum versuum scriptor, *Sabellus* quidam, memoratur a Martiale Libr. XII. Epigr. 43. et eadem aetate *L. Porcius Sabellus,* Duumvir, in Inscript. ap. Gruter. p. CCXLIII. 6.; nomen *Sabellii* nusquam, quod sciam, invenitur. — Gyraldus, Crinitus, G. J. Vossius, Harlesius, alii praenomen *Gaji* tribuunt *Rabirio:* cujus veteris scriptoris auctoritate, nescio, et Apulejus de Orthogr. §. 10., ubi *C. Rabirius* memoratus invenitur, tum demum in testium numerum procedit, si auctores alicujus rei exstant et antiquiores et locupletiores.

Gravissimus de Rabirio testis est Seneca de Benef. Libr. VI. c. 3. „Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam, quum fortunam suam transeuntem alio videat, et sibi nihil relictum, praeter jus mortis, id quoque si cito occupaverit, exclamare:

Hoc habeo, quodcunque dedi!

O quantum habere potuit, si voluisset! Hae sunt divitiae certae, in quacunque sortis humanae levitate uno loco permansurae: quae quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam."

Illud hemistichium quum epici sit generis, Lipsius ad h. l. suspicatur, a Rabirio bella civica versibus heroicis descripta esse. G. J. Vossius de Histor. Lat. Libr. I. c. 21. et de Poet. Lat. c. 2. ob magnum, quod Rabirio tribuitur ab Ovidio os et M. Antonii mentionem statuit, tractasse eum bellum Actiacum. In Vossii sententiam transiit Rupertius

in Commentatione de Silii Italici Vit. et Carm. p. XXVI. Neque inscite Academiae Herculanensis Socii Rabirio huic adscripserunt carminis Latini de bello Actiaco sive Alexandrino Fragmenta, quae in volumine Herculanensi reperta et Herculanensium Voluminum Tom. II. p. XIII. (Neapoli 1809.) aeri incisa leguntur et quae Jo. Th. Kreyssigius, Vir eruditissimus, eo, quo pollet acumine, et emendata egregie et ingeniose suppleta singulari libello edidit Schneebergae 1814. 4. Illas carminis reliquias majore veri specie *Rabirio* quam *L. Vario* vindicari, recte censet Kreyssigius p. 4. atque in eadem sententia video esse Nic. Ciampittium l. c. et Jul. Ign. Montanarium, cujus dissertationem de Rabirio Poeta Italice scriptam nuper evulgavit Kreyssigius meus in libro supra §. 1. N. 4. laudato p. 157—170. Vossianam conjecturam de Rabirio, belli Actiaci scriptore, injuria in dubium vocat Wernsdorfius in P. L. M. Vol. III. p. XX. Epica ab illo composita esse carmina, evincit cum Vellejus, tum maxime Quintilianus. Illud Antonii dictum quo tempore ac loco aptius erat, quam cum ille triumvir Alexandriae educta ad pugnam classe videret, classiarios transire ad Octavianum, auctore Plutarcho in Vit. Anton. c. 77.? Tum profecto videbat Antonius fortunam suam alio transeuntem, nihilque sibi relictum, praeter jus mortis: nam visa classis defectione, extemplo etiam ab equitatu, ut Plutarchus refert, desertus est et fuso peditatu in urbem reversus in gladium incubuit. Quodsi Wernsdorfius contendit, *magnum os* aeque in Satirographum convenire, atque *ingentia pectora*, quae Turno, Satirico poetae, tribuerit Martialis Libr. XI. Epigr. 10.; vereor, ut omnium inveniat assensum. Poetae Satirico pro-

pria esse debent *ingentia pectora* h. e. castigandi alios fervidus animus, epicum vero oportet esse grandiloquum. Rabirius utique scripsit etiam Satiras: nam Fulgentius Expos. serm. ant. s. v. *abstemius* p. 568. haec habet: „Rabirius in Satyra:

Abstemium merulenta fugit Methenia nomen."

Ita hoc fragmentum legitur in Nonii edit. Sedanensi a. 1614. — Casaubonus de Sat. Poes. Libr. II. c. 3. p. 238. apud Fulgentium invenit *Rubrius* pro *Rabirius*, et *Metenia* edidit. G. J. Vossius de Histor. Lat. Libr. I. c. 21. pro vulg. *Rubrius* alios *Rutilius* tentasse refert: quod quidem improbat, sed idem *Rabirium* Satirographum a poeta epico diversum esse censet. Memoratur, ut supra monitum est, Rabirius ab Apulejo de Orthogr. §. 10., ubi Fr. Osannus p. 38. allato huic fragmento haec subjecit: „pro Methenia, quod nihili est, lege *Methymnia*, quamvis Latinis vulgare sit *Methymnaeus*. De virtute vini Methymnaei vide Burmann. ad Propert. IV. 8. 37." *Methymnia* dedit jam Gyraldus de Poet. Dial. IV. p. 168. P. Crinitus de Poet. Lat. III. 53. legit *Mecennia*. Atque sic etiam Montanarius l. c. p. 157. hoc nomen protulit ex Hygini editione Lugdunensi a. 1608., cui Fulgentii opusculum accessit, adnotante Kreyssigio l. c. p. 182. et recte illud nomen rejiciente. Equidem suspicor, mulieris alicujus nomen hic latere, vetulae scilicet vinosae, ut Kreyssigius addit: nam *vinosior aetas*, id quod Ovidius Fast. III. 765. sq. testatur, *Haec est, et gravidae munera vitis amans.* Est nomen procul dubio fictum et derivatum a *Methymna*, Lesbi urbe vini feracissima, cujus nomen scribitur *Μα* — *Με* et *Μήθυμνα*, ut docuit Tzschuckius ad Pomp. Melae Libr. II. c. 7. §. 4. Vol. III. P. 2. p. 590. Hinc

primam syllabam produxit Ovidius A. A. Libr. I. v. 57.: *Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos:* cl. Horatii Libr. II. Sat. 8. v. 50. Gyraldum et Vossium offendit syllaba secunda in v. *abstemius* correpta; Crenius ad Casauboni libr. cit. N. *d.* συνίζησιν esse ait, de qua dictum est supra §. 4. N. 12. Produxit illam syllabam Lucilius Sat. Libr. VI. ap. Nonium s. v. *abstemius* p. 68, 29.

Thaunomeno, inquit, calva sororem
Lanificam dici siccam atque abstemiam, ubi audit,

uti pro vulg. *valva* legendum esse puto. Item Horatius Libr. I. Epist. 12. v. 7.: „*Si forte, in medio positorum abstemius, herbis Vivis et urtica:*" cui addit Kreyssigius Ovidii Metam. Libr. XV. v. 323.: „*Vina fugit gaudetque meris abstemius undis.*" Quare etiam in Rabirii versu malim τρισυλλαβίαν v. *abstemium* cum Kreyssigio agnoscere, quam ad accentum confugere cum Ramshornio Gramm. Latin. Prosod. §. 210. N. p. 1032. ed. 2. Scholiastes Cruq. ad Horatii l. c. *abstemius, abstinens, dictum ab eo, quod abstineat temeto i. e. vino. Temetum,* auctore Donato ad Terentii Andr. I. 4. v. 2., *est vinum, quod tentet mentem, dictum.* Inde *temulentus* et *abstemius.* Horatius Libr. II. Epist. 2. v. 162.: „*Das nummos, accipis uvam, Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto* etc., ubi accommodate laudatur Plinius N. H. Libr. XIV. c. 13.: *Cato ideo propinquos feminis osculum dare* (scripsit), *ut scirent, an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata:* adde Gellium N. A. Libr. X. c. 23.: *mulieres Romae atque in Latio aetatem abstemias egisse, hoc est, vino sem-*

per, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt. Uterque locus facit ad acumen versus Rabiriani melius perspiciendum. Muretus, qui duas priores syllabas v. *temetum* corripuerat, castigatur a Santenio in Not. Prosod. ad Mureti Opp. T. IV. p. 31. R. cf. Lennepii Adnotat. ad Santenii Terentianum Maurum p. 452. At Montanarius in Rabirii versu dedit: *Abstemium temulenta fugit* etc., ubi docte Kreyssigius „Vereor," inquit, „ut satis accurate. Primum enim, licet *abstemius* et *temulentus* in poetae nescio cujus versiculo: *Hic abstemius, ille temulentus,* qui Martiali perperam tribuitur, pariter sibi respondeant, atque Prudentius adv. Symmach. I, 135. de Baccho scripserit: *Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter* etc., Rabirium sive potius Rubrium non solum secundam vocabuli *abstemius,* nisi vocalis *i* hic quoque, ut alibi, consonantis vice fungitur, sed etiam primam vocabuli *temulentus* syllabam corripuisse, atque librarios notissimum *temulenta* in rarissimum *merulenta* mutasse, vix credibile est; deinde in Hygini editione Basileensi a. 1549. sive 1570., ex qua Lugdunensis illa Fulgentii editio (a. 1608.) est exscripta, *Rubrius* quidem, ut in hac, pro *Rabirius, sed merulenta,* quod in ed. Bas. a. 1570. in *merulentia* corruptum est, et *Metenia* pro *temulenta* et *Mecennia* vel *Methenia* legitur." P. Crinitus itidem habet *temulenta.*

Jam cum unius Fulgentii, quem futilem et nullius fidei scriptorem appellat Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 104., testimonio cognoscamus, a Rabirio Satiras scriptas esse; in disceptationem vocari potest, num forte vulgatum ibi nomen *Rubrii* praeferendum

sit ac defendendum? Huic sententiae suffragari video Kreyssigium et Ramshornium. Gens *Rubria* apud Romanos haud ignobilis: v. Glandorpii Onom. p. 748. Et *Liebe* in Gotha Num. p. 399. cl. p. 44. numum affert, in quo *L. Rubrius Dossennus* memoratur, fortasse cognatus *Dossenni*, Atellanarum scriptoris, cujus meminit Horatius Libr. II. Epist. 1. v. 173. cf. Bothii Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 2. p. 31.

Verum tamen, utcumque de Fulgentii loco statuitur, majori cum fide tribuitur Rabirio, poetae epico, fragmentum, quod legimus apud Charisium Inst. Gr. p. 49. P. de v. *margo* genere feminino: „Et Rabirius extulit:

— — *Idaeos summa cum margine colles.*"

Sic hunc versum attulit, post G. J. Vossium de Analog. Libr. I. c. 22. p. 145. Vol. II. Opp., N. Heinsius ad Ovidii ex Pont. Libr. IV. Ep. 16. v. 5. Non inepte C. Barthius ad Statii Theb. Libr. X. v. 454. v. *extulit* copulando totum versum explevit:

Extulit Idaeos summa cum margine colles.

Ex quo Rabirii carmine hic versus sumptus sit, non adnotatur: poterat commode locum habere in ejus *bello Actiaco*, quod Spaldingius ad Quintiliani Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 90. Vol. IV. p. 74. per errorem appellavit *bellum Achaicum*. Inde error iste susceptus est ab aliis, quos notavit Kreyssigius, qui de Rabirio Poeta etiam conferri jussit Ferd. Winckelmanni: *Philologische Skizzen*, in Seebodii, Jahnii et Klotzii: *Archiv f. Philol. u. Paedag.* a. 1833. Vol. II. Fasc. 4. p. 564. Praeterea Burmannus ad Ovidii l. c. ex Charisii Inst. Gr. p. 188. P. affert:

„*Per* pro *perquam*, ut *perduellio* perquam duellio, plusquam hostis, ut Rabirius: *qui perduellionem fecisse dicebatur.*“ Verum haec ad Rabirium poetam nullo pacto referri debent, sed ad C. Rabirium perduellionis reum, quem Cicero a. U. C. 690. defendit. Jocularem hunc errorem Burmanni, titulum orationis Ciceronis, *Rabirius, qui perduellionem fecisse dicebatur*, pro Rabirii poetae fragmento accipientis, jam a Ruhnkenio ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 36. correctum esse, meus me admonuit Kreyssigius.

De *Pedone*, quem et ipsum Quintilianus non indignum cognitione, si vacet, appellat, post Wernsdorfium in P. L. M. Tom. IV. P. 1. p. 34. sq. pauca habeo quae dicam. Cur ab Ovidio dictus sit *sidereus*, exposui in Comment. *de Titio Septimio Poeta* §. 4. Intelligendus est *Pedo Albinovanus*, cui Ovidius inscripsit ex Pont. Libr. IV. Epist. 10., ex cujus versibus 71. sqq.

At tu, non dubito, quum carmine Thesea laudes,
Materiae titulos quin tueare tuae;
Quemque refers, imitere virum: vetat ille profecto
Tranquilli comitem temporis esse fidem:

collegit Ferd. Winckelmannus l. c., a Pedone scriptam esse *Theseidem*, sed totam periisse. Fortasse Pedo consilium tantum ceperat scribendae Theseidos, de qua cum inaudivisset Ovidius, scite eam rem in usum suum convertit ejusque mentionem epistolae ad amicum lacrimosae intexuit. Venustum illud carmen, *Consolationem ad Liviam Augustam de morte Drusi*, huic Pedoni sine ulla dubitatione ad-

scribit Winckelmannus: ego vero ἐπέχω cum Bernhardyo in *Grundr. d. Roem. Litteratur* p. 204. N. 368.

EXCURSUS V.

DE

ANNO, QUO *HORATII EPISTOLA AD AUGUSTUM* SCRIPTA SIT.

Jo. Massonus in Jano Reser. Sect. III. c. 8. §. 12. p. 210. sqq. et in Vit. Horatii ad an. U. C. 744. p. 360. sqq. ad Augustum Epistolam illam ab Horatio scriptam esse probat anno U. C. 744. exeunte seu anno U. C. 745. ineunte, eamdemque sententiam erudite confirmarunt Dacerius Vol. IX. p. 30. sq. et Sanadonus Vol. VI. p. 348. sq. Et insunt in hac Epistola tam multa et tam certa temporis, quo scripta sit, indicia, ut mirum sit, fuisse, qui aliter sentirent. Sed tamen discessionem a Massono nuperrime fecit Fr. E. Theod. Schmidius, doctissimus Horatii Epistolarum editor, qui Vol. II. p. 159. sq. negat quidquam hac in Epistola occurrere, quod nos cogat, eam ut post annum U. C. 734. scriptam putemus. Verum, ut pauca tantum commemorem, equidem vehementer dubito, num ab Horatio ante potuerit dici Augustus *solus* tanta negotia sustinere, quam magistratus, quos antea plures in civitate administraverant, sibi uni omnes vindicasset. Atqui, ut hoc utar, Pontificatum maximum, quem, ut Suetonius c. 31. ait, numquam vivo Lepido auferre

sustinuerat, mortuo demum suscepit: obiit autem Lepidus anno U. C. 741., ut discimus ex Dione Cass. Libr. LIV. c. 27. et Augustum mense demum Martio a. U. C. 742. cooptatum esse Pontificem Maximum ostendit Fogginius ad Fastos Praenest. p. 23. Neque puto eum morum legumque nomine potuisse prius laudari, quam recepisset morum legumque regimen perpetuum, quod anno U. C. 735. factum esse auctor est Dio Cass. Libr. LIV. c. 10., nec prius, quam dedisset legem Juliam de adulteriis, quam latam esse scimus anno U. C. 736. aut initio anni U. C. 737., ut docuerunt Stockmannus in Chrestomathia Juris Horat. Specim. VIII. p. III. (Lips. 1810.) et Bachii Histor. Jurispr. Rom. Libr. III. Cap. 1. Sect. 2. §. 2. p. 320. Porro Vir doctissimus urget, quod a Dione Cass. Libr. LIV. c. 36. tantum narretur, decretum fuisse, ut Janus Geminus clauderetur, sed quo minus id fieret, Dacos et Dalmatas obstitisse. At hanc difficultatem bene expedivit Massonus in Jano Reser. Sect. III. c. 11. p. 210. non temere referens verba Dionis: *καὶ ὅσα ἐπὶ ταῖς νίκαις ἐψήφιστο, ἢ καὶ ἄλλως καθήκοντα γενέσθαι, ἐπετέλεσαν* etiam ad Janum pacatis illis populis vere obseratum anno U. C. 744. Neque huic sententiae adversatur, quod Jano tertium clauso subjecit Parthos, qui redditis anno U. C. 734. signis Romam formidare coeperant. Sed quemadmodum saepe Horatius ante illum annum adhortatus fuerat Augustum, ut ne sineret Medos equitare inultos, ita posthac in ejusdem laudem commemorat hostes istos imperii Romani ferocissimos non amplius esse timendos. Igitur non opus est, ut hic de Jano iterum obserato anno U. C. 729. cogitetur. Poeta nec potest nec debet ad

chronologicum rerum ordinem adstringi! Recte quidem Schmidius verba Suetonii in Vit. Horat. Tom. III. p. 50. Wf. *post sermones lectos quosdam* de Horatii Epistolis Libri I. accipit, in quibus cum nullam sui mentionem factam invenisset Augustus, hoc carmen expresserit Poetae Venusino; sed ei incredibile videtur, Horatium decennio post demum Augusti precibus satis fecisse. At Liber Epistolarum primus non, ut Schmidius Vol. I. p. 451. censet, anno U. C. 734. exeunte aut ineunte anno U. C. 735. sed, ut alias probatum ibo, circa initium anni U. C. 738. editus est. Deinde non is erat Horatius, qui potentium precibus facile obsecundaret, praesertim quum pauca et raro scribere soleret et vel familiarissimis suis carmina rogantibus satis facere numquam non gravaretur. Denique haud sine magna veri specie Massonus hujus Epistolae versus 132. sqq. ad Carmen Saeculare, et versus 252. sq. ad bellum Raeticum refert. His rationibus adducor, ut Massonum in definiendo tempore, quo praestantissima illa Epistola scripta sit, verum vidisse credam ac pernegem, sermonem in ea esse de Virgilio et Vario tamquam vivis adhuc florentibusque poetis, ut Schmidius opinatur. In Massoni sententiam transiit etiam nuper Kirchnerus in Quaest. Horat. p. 38.

EXCURSUS VI.

DE
GRACCHO ET *PROCULO* POETIS.

Qui ad dicendum testimonium de L. Vario, poeta tragico, supra §. 12. a me allegatus est locus Ovidii ex Ponto Libr. IV. Epist. 16. v. 31.

Quum Varius Gracchusque darent fera dicta tyranni;
Callimachi Proculus molle teneret iter;

is uberiorem praebet disserendi materiam propter *Gracchum* et *Proculum* poetas, de quorum vita et carminibus non nisi levis et perobscura superest memoria. Non sine ratione cum Vario componi ab Ovidio existimandus est ille *Gracchus*, utqui itidem tragoediis illustris fuerit et nominatim *Thyestem* quoque scripserit. Hunc Gracchum poetam ex gente Sempronia fuisse dubitari nequit: vide Ellendti Prolegom. in Ciceronis Brut. p. XXXVII. sqq. — At mirifica est allucinatio G. J. Vossii de Analog. Libr. I. c. 22. p. 145. Vol. II. Opp. invenientis, ut videtur, apud Ovidium *Gajum Gracchum*, Tiberii, turbulentissimi istius tribuni pl., fratrem. N. Heinsius ad Ovidii locum Vossium in errorem ductum esse ait a Prisciano Libr. VI. p. 685., ubi legatur *C. Gracchus in Atalanta;* sed fallitur, ut infra videbimus. — Porro N. Heinsius refert, apud Calpurnium Pisonem libro secundo de Continentia Poetarum, quod opus P. Merula ad Ennii Annales saepius laudet, proferri versum Hexametrum *Sempronii Graji* cujusdam, pro quo *Sempronii Gracci* nomen reponendum censet. Verissime: ita enim

illud nomen olim scribi solitum inveniri adhuc in Numis et Codd. Mstis, et Glandorpius in Onomast. p. 780. admonuit, et inprimis copiose docuit Drakenborchius ad Silii Ital. Punic. Libr. IV. v. 495. cf. Cellarii Orthogr. p. 113. — P. Merula istud Calpurnianum opusculum, cujus titulus erat: *Calpurnii Pisonis Ms. de continentia veterum poetarum ad Trajanum principem tractatus*, in bibliotheca regia Parisiensi vidit et excerpsit: erat illud conjunctum cum Lucani Msto et inde a temporibus C. Barthii amissum evanuit, ut comperimus ex ipsius Barthii epistola ad Chr. Daumium in Miscellan. Lips. Nov. Tom. VIII. p. 363. Ex isto igitur opusculo Merula in Ennii editione (Lugd. B. 1595.) p. CCCVIII., ubi verba Enniana: „*Deque totondit*,“ et „*Saxo cere comminuit brum*“ illustrantur, haec protulit: „*Intoleranda licentia imitatur Sempronius Grajus:*

Praefracte oblatam stultum est medi spernere
cinam;“

uti bene *Praefracte* pro v. *Praefate* correxit Merula, qui etiam in n. *Grajus* latere suspicatus est *Gracchus* et de *Graccho* Ovidii cogitavit. At istum versum quovis pignore posito contendere ausim non scriptum, certe non evulgatum esse ab aureae aetatis poeta, et, ut dicam quod sentio, iste Tractatus Calpurnii Pisonis fortasse eodem in loco ac numero habendus est, quo libellus Apuleji de Orthographia, ubi §. 4. haec leguntur: „*C. Proculus in sua Lyde, et Sextus Gracchus in libro amorum historiam* (de Anio, Partheniae ab Apolline compressae filio) *elegantissime exornarunt.*“ Ab hoc auctore perquam futili in fraudem ductus ante hos quinque annos pro certo posueram, Varii aequalem illum poetam ap-

pellatum esse *Sextum Sempronium Gracchum*, eumque adeo carmina amatoria scripsisse. Nollem factum! Nam, ut ab hoc ordiar, de praenomine ejus non potest Apulejus adhiberi testis, si quidem nulli alii Semproniorum Gracchorum *Sexti* praenomen fuisse compertum habemus. Ant. Delrius in Syntagm. Trag. Lat. Vol. I. p. 28. scripsit: „Junius Gracchus, qui, auctore Terentiano, Thyestem docuit: unde Ovidius: Cum Varius Gracchusque darent fera dicta tyranno.“ Et Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 258. in medio relinquit, *Cajus Junius*ne, an *Sempronius* praenomen huic poetae fuerit, et contra Delrium monet, apud Terentianum nihil legi de Gracchi Thyeste. N. Heinsium voluisse Macrobii Saturn. Libr. II. c. 4. nomen *Lucii Gracchi* conjectura inferre, dictum est jam supra §. 2. N. 5. Praestat ea in re suam confiteri ignorantiam, quam inanibus indulgere suspicionibus. Id tantum nobis exploratissimum est, Augusto imperante Romae vixisse Gracchum poetam, L. Varii aequalem et tragoediis scribendis clarum. Ovidius de facie eum cognoverat, ejus Thyestem tragoediam spectaverat et eam in illa ex Ponto epistola pristini temporis memoriam jucundam repetens non sine laude commemorat. Hujus tragoediae et alibi fit mentio. Sic Priscianus Libr. VI. p. 719. P. c. 16. §. 85. Kr. „Gracchus in Thyeste:

Mersit sequentis humidum plantis humum.“

Bentlejus, qui hunc trimetrum ad Horatii A. P. v. 260. attulit, probaturus, leges Graecorum exactissime servatas esse a Tragicis Horatio aetate supparibus, legi maluit *plantas* pro vulg. *plantis*, existimans *humum* nominativum neutrius generis esse. Kreh-

lius a Codicibus, qui in lect. *plantis* conspirent, non discedendum arbitratus est. Omnes fere Prisciani Codices habent *Gratus*, ut apud Ovidium l. c. Cod. Erfurt., unus *Gracus*, Heidelb. *Gracchus*. Protulerunt hoc fragmentum P. Scriverius in Collectan. Vet. Trag. p. 156., A. Delrius in Syntagm. Trag. Lat. Vol. I. p. 151. cl. 186., N. Heinsius ad Ovidii l. c. et Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 272., qui *sequentes* edidit et prisce *humum* pro *humus* dici adnotavit. Caeterum ejusdem tragoediae *Gracchi* mentionem facit etiam Apulejus de Orthogr. §. 51. scilicet ex Ovidio! — Porro Priscianus Libr. VI. p. 683. P. c. 3. §. 15. Kr. „Quidam tamen veterum etiam feminino genere hoc (*cardinem*) protulerunt. Gracchus in Atalanta:

O grata cardo, regium egressum indicans.“

Sic *Gracchi* nomen sine praenomine legitur in editione Putschii, nec quidquam varietatis ex Codicibus enotavit Krehlius. Quare non video, quid, ut N. Heinsius ait, G. J. Vossio de Analog. Libr. I. c. 22. fraudi esse potuerit, nisi Index Auctorum Putschianus, in quo per errorem nescio dicam an per negligentiam eidem *C. Graccho*, cui oratio contra Q. Aemilium Tuberonem data est, h. e. tribuno plebis a. U. C. 632., etiam fragmentum Thyestae tragoediae adscriptum, hunc autem ex Atalanta Gracchi senarium ne memoratum quidem invenimus. Vossii errorem intactum praetermisit Car. Foertschius, diligentissimus Aristarchi Vossiani editor, P. I. p. 352. et Putschii negligentiam doleo susceptam esse et propagatam a Krehlio, qui Gracchi orationum fragmenta contra Q. Aemilium Tuberonem Libr. III. c. 2. §. 8. et ejusdem pro se

Libr. X. c. 4. §. 21. eidem C. Graccho debebat attribuere, cujus verba affert Priscianus Libr. VIII. c. 4. §. 19., quod fragmentum esse ex C. Gracchi dissuasione legis Aufejae, acute suspicatur Henr. Meyerus in *Oratorum Romanorum Fragmentis* (Turici 1832.) p. 126. Caeterum hunc quoque Senarium protulerunt Scriverius, Delrius, N. Heinsius, Bentlejus et Bothius ll. cc. — Denique Nonius s. v. *cardo*, p. 202, 20. „Cardo generis feminini. Grajus in Peliadibus: *Sonat impulsa regia cardo;*" ubi Mercerus in Ind. Auct. p. 50. pro *Grajus* suspicatur *Granius*, cujus poetae prorsus incogniti nomine hoc fragmentum receperunt Scriverius p. 155., Delrius p. 151. et Bothius p. 271. eique *Gaji* praenomen dederunt. Merceri conjecturae accessit etiam Th. Ruddimannus Inst. Gr. Libr. I. c. 1. N. 91. p. 16. St. Pro *Grajus* apud Nonium Langius in Vind. Trag. Rom. p. 10. conjecit *Gracchus*, eumque cum *Turranio* ex Ovidii e Pont. Libr. IV. Epist. 16. v. 19. in ordinem Tragicorum Romanorum recepit p. 8. Sed jam dudum Nonii locum ita emendaverant Scriverius et N. Heinsius ll. cc., qui pro *impulsa* dederunt *impulsu*, quod post Delrium recepit etiam Bothius, qui hunc anapaestum dactylicum edidit:

Sonat impulsu regia cardo.

De conjecturae illius veritate non licet dubitari, si memineris, et alibi *Gracchi* nomen in *Grajus, Gracus, Gratus* depravatum esse: v. Krehlius ad Prisciani Libr. VIII. c. 4. §. 19. — Praeterea N. Heinsius ad Ovidii l. c. adjecit: „Gracchum enim *cardinem* foeminino genere enunciasse jam ex Prisciano scimus. Nec mirum archaismis illum indulsisse, nam

illo adhuc tempore Accius et Pacuvius in deliciis erant. Unde et Auctor de caussis corruptae eloquentiae (c. 21.) Asinii Pollionis tragoedias, ut veterno Accii plenas, reprehendit. Exemere demum totam hanc animis nubem Neronianis temporibus Pomponius Secundus et Annaeus Seneca.“ Utilior et verior est Bentleji de Trimetris Gracchi observatio, qua simul probatur, eum fuisse L. Varii in Graecorum arte aemulum et aequalem, et dubitari non potest quin Ovidius Varium et Gracchum non tam propter cognominem, quam uterque ediderat, tragoediam, quam ob ingenii, artis et carminum praestantiam conjunctim commemoraverit. Videat igitur Heerkensius, quo jure Gracchum, poetam tragicum, appellaverit illaudatum in Praefat. ad Icones p. 80.

Superest, ut de *Proculo* videamus, quem Ovidius dicit molle Callimachi iter tenuisse. Plures celebrantur in historia *Proculi*, de quibus egit Funccius d. Immin. L. L. Senect. Cap. VIII. p. 460., et Kordesius ad Eberhardti libr. *Ueber d. Zust. d. sch. Wissensch. b. d. Römern* §. 54. p. 297. sqq. tres hujus nominis poetas distinguendos esse docet. Praeter *Proculum* Ovidii alius est, cui Plinius Libr. III. Epistolam 15. inscripsit, et alium memorant Sidonius Libr. XV. Epist. 15. Vol. I. p. 657. Sirm., et Ennodius Libr. I. c. 3. p. 1093. De *Proculo* Plinii scripsit Jul. Heldius in libr. *Ueber d. Werth der Briefsammlung d. j. Plinius.* (Bresl. 1833.) p. 32. sq. Proculum Ovidianum fuisse poetam et se ad Callimachi imitationem composuisse satis declarant vv. *molle — iter Callimachi:* vide Santenium ad Terentianum M. p. 317. ed. Lennep. et

m. libr. *Ueber das Leben u. Gedicht des Apollonius von Rhodus* Cap. I. §. 5. p. 31. sqq. — Fr. Osannus ad Apulejum de Orthogr. §. 4. p. 21. suspicatur, hunc C. Proculum esse *Valerium Proculum*, Virgilii ex alio patre fratrem, cujus meminerit Donatus in Vit. Virgilii c. XV. §. 56. Huic suspicioni certe non repugnat temporum ratio; sed quae idem Apulejus §. 4. et 43. de illo Proculo Ovidiano, Antimachi in Lyde imitatore ejusque centum et quadraginta elegorum libris profert, et quae Osannus defendere conatur, ea docte nuper examinavit et sobrie rejecit Herm. Paldamus in libr. *Römische Erotik* p. 77.

DE

CASSIO PARMENSI POETA.



DE

CASSIO PARMENSI POETA.

§. I.

Quamquam mihi de Cassio Parmensi Poeta scribere instituenti utique metuendum est, ne sint qui me quoque operae pretium fecisse negent; tamen aggrediar opus quamvis magnum ac difficile, sperans futurum esse, ut, si quos in eo commiserim errores, eorum mihi gratiam aequi Lectores faciant. Cum enim praeter Poetam, quo de agemus, nonnulli alii apud Romanos Cassii doctrina scriptisque ingenii monumentis inclaruerint eorumque frequens quidem apud scriptores veteres, at plerumque sine cognomine aliave discriminis nota mentio facta sit: nemo est quin intelligat, quam proclive sit in tanta testium ambiguitate errandi periculum. Et quotquot ante me in illustrando hoc argumento versati sunt, eorum nullus tam cautus fuit, quin subinde erraverit et in cura quamvis sollerti pro veritate umbram arripuerit. Id quam vere a me dictum sit, quilibet, opinor, intelliget, qui attente legerit et comparaverit, quae de Cassiis Romanorum eruditis, praeter P. Crinitum de Poet. Latin. Libr. III. c. 47. p. 469. et L. Gyraldum in Histor. Poet. Dialog. IV. p. 218. Opp., scripserunt G. J. Vossius de Histor. Lat. Libr. I. c. 21. Tom. IV. p. 35. et de Poet. Lat. c. 2. Tom. III. p. 237. Opp., Jo. Mollerus in Homonymoscop. p. 408., A. Dacerius ad

Horat. Epod. VI., Sat. I. 10. v. 62., Epist. I. 4. v. 3., Jo. Harduinus in Ind. Auct. Plin. Tom. X. p. 288. sq. Fz., alii, quorum errores hic neque referre, nedum exagitare operae mihi erit. Quid, quod ipse P. Baylius, qui eam rem in Diction. T. II. p. 74. sqq. uti copiosius, ita caeteris diligentius quoque tractasse sibi visus est, tantum abest ut omnem obscuritatem dubitationemque sustulerit, ut contra protulerit, quae ex vano hausta esse manifestum est, uti docuit Scip. Maffejus in Verona Illustrata (Veron. 1781.) Part. II. p. 29. sqq., cujus perdoctam disputationem patrio redditam sermone cum adnotationibus proposuit Kordesius ad Eberhardti Sueci libr. *Ueber d. Zustand d. schön. Wissenschaften b. d. Römern.* §. 34. p. 191. sqq. Verum tamen Maffejus quoque nonnulla scripsit, quae minime fidem mereantur omnesque habeant verisimilitudinis, nedum veritatis numeros.

Quae cum ita sint, nequaquam me eum esse arbitror, qui rem, in qua ipsos veteres scriptores vel haesitasse vel errasse deprehendemus, a me, discussa omni obscuritate, ad liquidum perduci posse sperem. Illud tamen hac in scriptione operam dabo, ut, quae jam subtili aliorum investigatione cognovi verissime disputata esse, rationibus denuo cum cura subductis, recipiam et, quae exstant, antiquorum scriptorum testimoniis plene et cum fide examinatis efficiam, ne quid in posterum *de Cassio Parmensi* dicatur vel scribatur, quod omni probabilitatis ratione et commendatione destitutum sit.

§. 2.

Gens Romanorum Cassia in duas divisa fuit familias, ut docuit Fulv. Ursinus in Familiis Roman.

p. 67. ed. Patin. Una fuit patricia *Viscellinorum*, altera plebeja *Longinorum*, quam Tacitus Ann. Libr. XII. c. 2. antiquam et nobilem appellat[1]). Utraque familia fecunda fuit virorum belli pacisque artibus eminentium, quos fuse ac sine ordine recensuit Jo. Glandorpius in Onomast. p. 202. sqq. Ex hac gente ortum esse Poetam, de quo scribimus, certum est; ad utram vero familiam pertinuerit, definiri nequit.

Sed priusquam de Cassii Parmensis vita et scriptis exponimus, consentaneum ac paene necessarium videtur, ut singulatim eos percenseamus Cassios, quos constat aliquid litteris mandasse et apud aequales posterosque doctrinae laudem tenuisse. Qua tamen in re, quoad ejus fieri potest, summae studebimus brevitati et ea maxime attingemus, quibus quisque horum Cassiorum a Poeta Parmensi distinguatur. Maffejus, quem potissimum hac in disputationis parte ducem sequi placet, quinque commemorat Cassios eo nomine illustres, Annalium scri-

---

1) Vulgo *Cassiorum* patriciorum cognomen exaratum invenitur *Bicellinus*, ut etiam Fulv. Ursinus dedit. Apud Dionem Cass. Libr. 59. c. 23. hodieque legimus *Βετιλλῖνον Κάσσιον*, ubi alias corruptelas notavit Sturzius Vol. III. p. 704. sq. Xylander ibi scribendum censuit *Βεκιλλῖνον*, quia ille Cassius ap. Ciceronem appelletur *Becillinus*. Sed videsis Fabricium ad Dionis Cassii l. c. Vol. VI. p. 345. et inprimis Gernhardum et Beierum ad Cicer. de Amicit. c. 11., qui Cassiis patriciis *Viscellinorum* cognomen fuisse evincunt. — *Cassiorum* plebejorum cognomen et ipsum passim depravatum est. Sic Nic. Gruchius ap. Ciceronem de Orat. Libr. I. c. 60. pro vulg. *Longo*, qui dicitur fuisse historiae et antiquitatis peritissimus, recte conjecit *Longino* ex orat. pro Planc. c. 24. §. 58., ubi Codex Erfurtensis *Longe* i. e. *Longo* pro *Longino*, quem ex *Cassiis* fuisse puto, et in Scholiis Vaticanis ad orat. pro Planc. l. c. ap. Wunderum p. 156. pro *Conco* et *Conci*, nomine Romanis incognito, *Longi* i. e. Longini nomen reponendum esse, mihi persuasissimum est.

ptorem, Oratorem, duo Poetas et Historicum. Sed de Cassiis, Annalium scriptore altero, altero rerum auctore dubia admodum et vaga est quaestio, in qua vereor ne Maffejus aliquid turbaverit et, si non patriae urbis nimio quodam studio, certe mendosis librorum lectionibus deceptus fuerit.

Annalium scriptor vulgo appellatur *L. Cassius Hemina.* Qui ei praenomen *Lucii* tribuunt, ut nuper etiam Aug. Krause in Vit. et Fragm. vett. Histor. Roman. (Berol. 1833. 8.) p. 155., unius Prisciani Libr. IX. p. 868. P. c. 9. §. 47. Kr. testimonio nituntur: nam Interpretum Ang. Maji ad Virgilii Aen. Libr. II. v. 717. nulla prorsus est ea in re auctoritas. Luculentus de eo locus invenitur apud Plinium N. H. Libr. XIII. c. 13.: „*Namque Cassius Hemina, vetustissimus auctor Annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Janiculo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnavit, situs fuisset.*“ Quo tempore vixerit, discimus ex Censorino de D. Nat. c. 17., qui de ludis saecularibus agens, „*At Piso Censorius,* inquit, *et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coss., id est, anno DCVIII.*“ Conferantur H. F. Clintonis Fasti Hellenici. (Oxford. 1830.) Vol. II. p. 103. Annales ejus videntur quatuor complexi esse libros, quorum reliquias cum aliis Sallustii editionibus, tum etiam Cortianae Vol. I. p. 449 — 453. edit. Frot. adjectas singulari libro, quem modo laudavi, auxit et illustravit A. Krause. Auctore Prisciano Libr. VII. p. 767. P. c. 13. §. 96. Kr. „*Cassius Hemina Annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: Bellum Punicum poste-*

rior[2])." De Annalium Cassianorum argumento et ambitu disseruit Frid. Lachmannus de Fontibus Historiar. T. Livii p. 44. haud temere suspicatus, Cassium Heminam ab Livio neglectum esse, quoniam in fabulis colligendis et in urbium nominibus ad etymologiam revocandis nimis curiosus fuisset. Scripsit etiam *de Censoribus*, cujus opusculi librum secundum laudat Nonius s. v. *moliri*, p. 346, 22. „*Et in area in Capitolio signa quae erant, demoliuntur*": quae verba a Krausio l. c. p. 159. in Annalium Libr. II. Fragmentis reposita esse miror.

§. 3.

Praeter Cassium Heminam, Annalium scriptorem, Maffejus probare studuit, exstitisse etiam historicum quemdam, *Titum Cassium.* Nam cum C. Plinius Libr. IV. Epist. 28. §. 1. amico cuidam suo, Severi nomine, scripserit: „*Herennius Severus, vir doctissimus, magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis et Titi Cassii: petitque, si sunt isthic, ut esse credibile est, exscribendas pingendasque delegem;*" inde Maffejus collegit, hunc Titum Cassium cum Cornelio Nepote Veronense conjunctum, et Veronensem fuisse et historiarum scriptorem. Atque, ut jam Cortius ad Plinii l. c. p. 314. adnotavit, solet apud alios quoque scriptores cum Nepote componi Cassius quidam. Sic Tertullianus

---

2) Est enim hoc in exemplis, quae Priscianus affert probaturus, vetustissimos scriptores neutrum Comparativorum in *or* finivisse et eamdem terminationem communem trium generum fuisse. Proinde Valerius Antias *senatus consultum prior*, Claudius *prior bellum* et *foedus prior* scripserant: vide Ruddimanni Inst. Gr. T. I. p. 19. No. 7. ed. Stallb.

in Apologet. c. 10. Vol. V. p. 31. ed. Seml.: „*Saturnum itaque quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus, aut Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejuscemodi antiquitatum aliud quam hominem promulgarunt.*" Adde ejusdem ad Nation. Libr. II. c. 12. Vol. I. p. 189.: „*Exstat apud litteras vestras usquequaque Saturni census: legimus apud Cassium Severum, apud Cornelios, Nepotem et Tacitum, apud Graecos quoque, Diodorum, quive alii*" etc.[3]). Cum Tertulliano paene ad verbum conspirat Lactantius, item de Saturni regno terrestri agens, Libr. I. de Fals. Relig. c. 13. p. 87. ed. Bünem.: „*Graeci, Diodorus et Thallus; Latini, Nepos et Cassius et Varro.*" Itemque Minucius Felix in Octav. c. 22. p. 150. ed. Lindn.: „*Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus et Diodorus hoc loquuntur.*" Tertulliani igitur auctoritatem secutus Maffejus Veronensi illi apud Plinium T. Cassio haud cunctanter tribuit cognomen *Severi*, praeeunte Cellario ad Lactantii locum cit. p. 88. ed. Bün. Et, quoniam Minucius Felix Cassii historiam, non annales, commemoraverit, consequens esse ait, ut hic Cassius secernatur a cognomini Annalium scriptore. Id sane apertum est, Minucium Felicem et Lactantium de eodem loqui Cassio, cujus testimonio utatur Tertullianus. Quid, quod credibile est, utrumque sua sumpsisse ab uno Tertulliano, homine perdocto et antiquitatis profanae scientissimo. Atqui uterque istum Cassium, omisso *Severi* cognomine, proferunt: id quod minime casu aut negligentia aliqua factum esse puto. Quam ob rem non vana mihi videtur

3) Confer Lobeckii Aglaopham. Tom. II. p. 999.

suspicio G. J. Vossii de Historic. Lat. Libr. I. c. 21. statuentis, Tertulliani locos glossemate librariorum interpolatos et nomen *Severi* intrusum esse Tertullianeae scriptionis contextui, quo nihil est corruptius ac mendosius. Cum Vossio faciunt Jo. Mollerus in Homonymosc. p. 407. et Havercampus ad Tertulliani Apolog. l. c. p. 47. Porro cum Tertullianus primus sit Patrum Ecclesiasticorum Latinorum, qui de Saturni fabula exponens testimonio Cassii cujusdam utatur, Minucius autem et Lactantius toti ab illo pendeant; perquam veri simile est, Tertullianum, qui esset in scriptoribus profanis admodum versatus, sua omnia ex ipsis hausisse fontibus, h. e. ex operibus Diodori, Thalli, Cassii et Nepotis, cumque in producendis testibus aetatem, qua quisque eorum vixisset, spectasse. Hunc aetatis ordinem impune negligere poterant Minucius et Lactantius, non item Tertullianus. Qui cum Cassium ordine ac loco praeposuerit Nepoti, erit quod conjiciamus, illum aetate etiam huic antecessisse. Quae cum ita sint, vera vidisse arbitror G. J. Vossium, qui Tertullianum Cassii Heminae testimonio usum esse contendit. Et profecto ea in re iste Annalium scriptor, quem vidimus putida cum diligentia versatum esse in fabulis narrandis, valde idoneus et locuples esse poterat auctor. Itaque recte Viri Docti nostrae aetatis haec Patrum Ecclesiasticorum testimonia de Cassio Hemina acceperunt eisque in Annalium ejus reliquiis locum dederunt[4]). Et quum huic sententiae inprimis obstare dicit Maffejus *historiae* nomen,

4) Vide Sallustii editionem Frotscheri Vol. I. p. 453. ibique Intpp., quibus suffragari dubitavit Krausius l. c. p. 166. Not. 3. ob adjectum *Severi* cognomen: quod quam suspectae sit fidei, satis demonstrasse mihi videor.

quo Cassii opus allegetur a Minucio Felice, in eoque suae opinionis de Cassio historico magnum praesidium inesse putat; vehementer errat, nec desunt, quae ei opponantur. Jam Kordesius attulit locum Macrobii Sat. Libr. I. c. 16. p. 289. Z. „— *et Cassius Hemina historiarum libro secundo.*“ Et satis notum est, scriptores veteres *Annalium* et *Historiarum* titulis promiscue usos esse. Sic Julius Firmicus de Error. profan. relig. p. 419. Titi Livii Historias appellat *Annales*: non temere! Nam ipse Livius Libr. XLIII. c. 3. scripsit: „*et quaedam religio tenet, — ea pro dignis habere, quae in meos annales referam.*“ Igitur dubitari non potest quin Cassii Heminae Annalibus et Historiis unum idemque designetur opus, ut etiam contra van Vaassen in Animadv. ad Fast. p. 169. de diversis operibus cogitantem monuit Frid. Lachmannus de Font. Histor. T. Livii p. 44.

Quapropter mea quidem sententia in Cassii Heminae Fragmentis recte reposita sunt, quae legimus apud Diomedem Libr. I. p. 379. P. „Cassius Hemina in secundo historiarum: *Pastorum vulgus sine contentione consentiendo praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit, sus parit porcos triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus*[5]).“ Consulto adscripsi integrum fragmentum. Maffejus enim in hoc Diomedis loco nomen *He-*

---

5) In hoc Diomedis loco Scioppius Suspect. Lect. ep. 2. ex Msto enotavit: *ita ut de imperio parent inter se*, pro *pares essent*: ubi Gronovius Observationum Libr. I. c. 10. *parent*, compendio scribendi ortum existimans, in *pararent* mutandum idque vulg. lectioni ap. Putschium praeferendum esse dicit.

minae in suspicionem vocat duplici motus ratione, tum propter operis titulum, tum ob dictionem, quae recentius aevum redoleat quam quo vixerit iste Annalium scriptor. Contra hanc Maffeji disputationem monet Kordesius, sibi gravius videri argumentum ab oratione petitum, quam illud de libri inscriptione, ideoque ipse addubitat, num istud fragmentum jure attributum fuerit Cassio Heminae[6]). Equidem secus statuo. Nam in eo nativam illam deprehendo orationis narrationisque simplicitatem, quam novimus Annalium scriptoribus propriam fuisse. Ea pariter remota est a maturitate, quae circa Ciceronem effloruit, atque ab exquisito et poetico orationis argutae cultu, quem adscitum esse scimus a scriptoribus saeculi noni, quo Cassium historicum floruisse putat Maffejus. Is enim ex Suetonii Vitell. c. 2., ubi Cassius Severus quidam de gente Vitellia egisse traditur, colligit, significari hic T. Cassium Severum historicum, quem ex antiquitatis tenebris eruere connititur, eumque post Imperatorem Vitellium, i. e. post annum U. C. 823. vixisse existimat. Qua in re Maffejus magni erroris manifestus tenetur, nec satis attento animo videtur Suetonii locum inspexisse. In fraudem procul dubio inductus est a Glandorpio, qui et ipse Cassium Severum, Imperatoris Vespasiani aequalem, profert perperam intellecto loco Plinii N. H. Libr. XXXV. c. 12. s. 46. Nam Suetonius, ut jam admonuit Kordesius, de

---

6) Sic contra ac Kordesius ad Eberhardti l. c. §. 34. N. *x*. p. 206. sq. judico de eis quae Aurelius Victor de Orig. gentis Roman. c. 6. ex Cassii Libro I. desumpta esse tradit. Mihi non dubium est quin Cassius Hemina intelligendus sit, cujus verba suspicor ab Aurelio Victore paululum mutata et detersis antiquitatis sordibus, suae aetati accommodata esse.

Cassio Severo illo ita loquitur, ut eum multo ante Vitellium vixisse appareat. „*Vitelliorum originem*, inquit, *alii aliam et quidem diversissimam, tradunt: partim veterem et nobilem, partim vero novam et obscuram, atque etiam sordidam: quod ego per adulatores obtrectatoresque Imperatoris Vitellii evenisse opinarer, nisi aliquanto prius de familiae conditione variatum esset.*" Deinde commemorato Q. Eulogii cujusdam ad Q. Vitellium, D. Augusti Quaestorem libello, in quo gentis Vitelliae vetustas et nobilitas declarata esset, pergit: *contra plures auctorem generis libertinum prodiderunt. Cassius Severus, nec minus alii, eundem et sutorem veteramentarium* sc. prodiderunt. Apertum est, Cassium Severum a Suetonio non commemorari ut scriptorem, qui Vitellio demum mortuo haec tradiderit memoriae, sed qui jam olim de gente Vitellia ejusque ignobili auctore exposuerit. Declarare enim voluit, aliquanto prius, quam Vitellius Imperator fieret, de familiae conditione variatum esse. Proinde Q. Eulogium profert, qui Vitelliorum originem nobilem esse, et Cassium Severum, qui eam obscuram atque etiam sordidam in aliquo libro prodiderat, utrumque autem ponit tamquam primarios et antiquissimos discrepantis istius sententiae auctores. Nihil igitur obstat quo minus hunc Cassium Severum faciamus aequalem Q. Eulogii, quem sub Augusto vixisse Suetonius attestatur. Maffejus hunc in errorem incidit paullo cupidius de Cassio historico suo disputans, nec vidit, ita detrudi illum paene ad aetatem Herennii Severi, qui Plinium rogaverat imagines Cornelii Nepotis et Titi Cassii. Quis vero credibile esse dicat, Herennium Severum scriptoris sibi fere aequalis et non ita clari imaginem tanti

fecisse dignamque habuisse, cui sua in bibliotheca locum daret?

Sed jam inscii propemodum relati sumus ad Plinii locum, a quo omnis progressa est Maffeji disputatio, qua evinceret, vixisse quondam historicum Romanum, T. Cassium Severum, eumque fuisse Veronensem. Atqui ostendisse nobis videmur, ex cunctis, quibus ille sententiae suae stabiliendae gratia usus sit, testibus ne unum quidem esse, qui de Cassii historici cognomine, nedum de patria ejus et vita et scriptis omnem tollat dubitationem. Igitur unus superest Plinii locus, quem, veluti Maffejanae opinionis arcem, operae pretium est diligentius excutere. Primum vero ipsum Titi Cassii nomen apud Plinium valde controversum est quippe in Codd. et Editt. vett. monstrose depravatum. Jam Catanaeus fatetur, se in libris Mstis non *Titi Cassii*, sed *Titi Catii* legisse, itemque Cortius in veterrimo quodam Cod. reperit *Titi Cati* i. e. Catii, quod reponendum censuit: id quod nuper fecit Titzius. In Aldina primum legitur *Titi Cassii*, quod ex Codice prodigiosae antiquitatis sumptum dicit Rezzonicus, Italus, in Disquisitionibus Plinianis T. II. p. 58. Atque ea nominis scriptura a plurimis probata obtinuit. Jam ut concedamus, Titi Cassii nomen in loco Pliniano genuinum esse et sanum; tamen ex eo, quod cum Cornelio Nepote hic conjunctus est, minime id effici et consequens esse, quod Maffejus deduxerit, cuivis apparebit. Dicit enim, ob Nepotis historicis clari monumentis mentionem sequi, ut etiam T. Cassius in eodem doctrinae genere inclaruerit. At, nisi me omnia fallunt, id modo inde discimus, Cassium istum ingenio scriptisque nomen et famam adeptum esse eam, qua Herennius Seve-

rus permotus fuerit, ut illius pariter ac Nepotis imaginem in sua ponere bibliotheca valde cuperet, et nihil impedit, quo minus vel de poeta vel de oratore cogitemus. Non minus judicium suum praecipitavit Maffejus in eruenda T. Cassii patria. Plinius *T. Cassium* et *Nepotem* appellat municipes Severi, cui per hanc epistolam illorum imagines exscribendas pingendasque delegat. Jam cum Cornelius Nepos in Veronensium vico, Hostilia, natus sit et dici haberique soleat Veronensis, Maffejus concludit, non tantum amicum Plinii, Severum illum, sed etiam T. Cassium Historicum Verona oriundos esse. Qua in re parum circumspecte egisse virum doctissimum, non difficile erit intellectu. Vulgaris ista de Nepotis patria opinio maxime G. J. Vossii de Hist. Latin. Libr. I. c. 14. T. IV. p. 23. Opp. auctoritate stabilita est; eam vero jam pridem labefactavit Rezzonicus in Disquisitionibus Plinianis l. c., et nuperrime Julius Held in Prolegom. ad Vitam Attici, quae vulgo Cornelio Nepoti adscribitur (Vratislaviae 1826. 8.) p. 4. sqq. evidenter docuit, de natali Nepotis loco nihil pro certo posse affirmari. Sed ipse Rezzonicus hunc, de quo agimus, locum Plinii illustrans a vero plane aberravit. Quum enim scribit: „*Cassius autem apud Veteres interdum uno gentilicio nomine, interdum a patria Cassius Parmensis, alibi rursus Cassius Severus appellatur;*“ vellem eruditissimus Italus unum saltem ex veteribus, quos jactat testes, excitasset scriptorem. Equidem neminem veterum novi, qui sententiae ejus patrocinetur; at recentiorum virorum doctorum permultos esse scio, qui Cassium Severum oratorem faciant Parmensem, et Cassio Parmensi Poetae cognomen Severi inditum fuisse

dicant. Utrumque autem falsum esse, infra §. 7. docebimus. Enimvero Rezzonicus apud Plinium invenit Cassium jussu Octaviani Caesaris necatum i. e. Cassium Parmensem: id quod posito quovis pignore contenderim inconsiderate ab eo scriptum esse. Quodsi Rezzonicus inde probare vult, Cornelium Nepotem Parmae vindicandum esse civem, manifesto in ejusdem *παραλογισμοῦ* crimen incurrit, de quo Maffejum haud injuria postulasse nobis videmur.

Apertum est, nihil hac in caussa quidquam profici posse, nisi investigata fuerit patria urbs Severi illius, cujus municipes a Plinio appellantur Nepos et T. Cassius. Tetigit eam rem etiam Heldius, qui non temere suspicatus est, Herennio Severo, cujus nomine Plinius illorum imagines rogaverit, etiam inscriptam esse Libri III. Epistolam 6., licet ibi simpliciter nominetur Severus. Is autem fuit, ut ex hac ipsa Epistola §. 4. colligi potest, Comensis. Epistola autem, de qua disputamus, data esse videtur ad Catilium Severum, ut jam vidit Gierigius ad Libri I. Epist. 22. et probabili admodum conjectura ad eumdem retulit Libri V. Epist. 1. et Libr. IX. Epist. 22. Ille fuit amicus, quem Plinius ob summum litterarum amorem magni faciebat, quocum seria, joca agebat et cui varia solebat injungere negotia. Haud dubie in titulo hujus Epistolae ante n. *Severi* excidit nomen gentilicium *Catilii:* cui quidem suspicioni favent Codd. et Editt. vett., in quibus invenitur *Julio Severo* vel *Annio Severo:* vid. Gierigius ad Libr. I. 6. et V. 1. Neque absonum est statuere, Plinium suos amicos nunc cognomine, nunc gentilicio tantum, nunc utroque appellasse nomine. Quapropter Catilium illum, cui festivum epistolium Libr. III. 13. inscriptum est, hunc ipsum Catilium Severum

esse puto. Jam licet multas ad eum dederit epistolas Plinius, tamen in nulla vel tenue occurrit indicium, quo, cujatis ille fuerit, intelligatur. Gierigius quidem ad Libri I. Epist. 22. eum appellat Veronensem, scilicet deceptus mentione Cornelii Nepotis, municipis ejus. Verum enim vero aut vehementer fallor, aut Catilius Severus ille si Veronae natus fuisset, Plinius non *municipum tuorum*, sed *nostrorum* scripsisset. Cum Veronensibus enim Plinio si non municipii communio, certe magna officiorum necessitudo intercessit, ut apparet ex Libri VI. Epistola 34., ubi illos blande *nostros* vocat. Ecquis autem sibi persuadeat, Plinium, qua erat ambitione et vanitate, de communis cum tantis viris municipii honore non gloriatum esse? Proinde fatendum est, nos Catilii Severi natalem urbem pariter ignorare ac Cornelii Nepotis et Titi Cassii.

Quae hactenus disputata sunt, eorum summam ubi feceris, id tantum fateberis evidens esse et certum, vixisse ineunte saeculo septimo post Urbem conditam Cassium Heminam quemdam Annalium sive Historiarum scriptorem, sed jure dubitari, num umquam fuerit Titus Cassius Severus Veronensis itemque librorum historicorum auctor. Quidquid autem est, utriusque Cassii memoriam et nomen obscuravit ac paene exstinxit gentilicius quidam orator, de quo nunc explicatius mihi dicendum est.

§. 4.

Cassius Severus Orator, cujus crebra apud scriptores veteres fit mentio, uberiorem quidem praebet scribendi materiam, nec tamen minoribus perplexam difficultatibus. Vulgo tribuitur ei praenomen *Titi:* cujus testem si quaerimus, revocamur ad

eumdem Plinium, a quo Libr. IV. Epist. 28. §. 1. Cassium oratorem cum Cornelio Nepote conjunctum esse, cum aliorum fuit opinio, tum maxime Glandorpii in Onomast. p. 209., quem non solum ii, qui de litteris Romanis scripserunt, sed etiam Plinii interpretes, quos novi, omnes secuti sunt. Atque in promptu sunt quae istam opinionem commendent. Nam primum in loco Pliniano quaeritur homo litterarum scientia et monumentis ingenii doctrinaeque insignis, qualem fuisse constat illum oratorem. Deinde Plinius, scriptor diligentissimus, dubitari vix potest quin, aetatis habita ratione, Nepoti Cassium oratorem utpote juniorem loco et ordine subjunxerit. Apud alios scriptores, quod sciam, omnes vel simpliciter *Cassius* vel *Cassius Severus*, omisso praenomine, appellatur. Nihilo tamen secius iste controversus Plinii locus hanc vim habuit, ut Kordesius apud Diomedem Libr. I. p. 370. P. pro vulg. *Actius Cassius* corrigendum et fidenter reponendum censeret *Titus Cassius*, quoniam ibi notissimus ille orator allegetur.

Non magis certae atque exploratae sunt Virorum Doctorum sententiae de illius oratoris urbe natali. A Catanaeo ad Plinium appellatur *Parmensis*: manifestus est error, quem multi inconsiderate amplexi sunt et secure propagaverunt. Aliis est *Veronensis* ob Cornelium Nepotem, ejus municipem: id quod valde incertum esse, supra ostendimus. Harduinus in Indice Auctor. ad Plinii N. H. T. X. p. 289. ed. Fz. eum fecit *Longulanum*. Nam in Summario Plinianae Historiae Natur. Libri XXXV. Tom. I. p. 156. Fz. auctorum, ex quibus Plinius sua duxerat, elenchum emaculans edidit: *Cassio Severo Longulano*. Quibus in verbis Harduinus

nihil mutavit, nisi interductum. Tria enim illa nomina in antiquioribus Plinii editionibus pessime distinguebantur. Hinc Simlerus in Epitome Pliniana Gesneri commentus est aliquem scriptorem, *Longulanum*, ex cujus libris excerpta dedisset Plinius. Error perridiculus! Harduini distinctionem merito adoptavit Silligius Vol. I. p. 116., et manifestum est, isti Cassio Severo loci natalis nomen adjectum esse, ut a Cassio Parmensi, quem et ipsum Plinius laudat, distingueretur. Atque Harduini de Cassio Oratore conjectura magnam habet verisimilitudinem, quae unanimi aliorum scriptorum silentio minime debilitatur. Fuit enim Longula parvum et ignobile Latii oppidum a Livio Libr. II. c. 33. et 39. memoratum, cujus memoria posthac plane oblitterata evanuit. Ex obscuro autem loco oriundum fuisse illum oratorem, inde colligo, quod Tacitus Ann. Libr. IV. c. 21. expressis verbis sordidam ejus originem commemorat. Estne igitur quod miremur, neminem alium scriptorum veterum mentionem fecisse loci, in quo ille natus esset? Accedit, quod Cassius Severus, licet eloquentiae maxime vacaret, tamen multa etiam varii argumenti opera ediderat et, ut infra videbimus, nominatim de Aegypto scripserat, de cujus terra fabris utilissima mentionem facit in illo libro Plinius c. 15. In Harduini sententiam transiit Sanadonus ad Horatii Epod. VI. Tom. IV. p. 248.

Certiora sunt quae de ejus vita, moribus et studiis memoriae prodita legimus apud scriptores antiquos, quorum testimonia maximam partem nuper collegit et edidit Henr. Meyerus in Oratorum Romanorum Fragmentis (Turici 1832.) p. 225. sqq. Vixit ille famaeque maturitatem habuit sub Augusto

et Tiberio, et libera adhuc civitate natus summam adeptus esse videtur senectutem. Pristinae libertatis tamquam lacte nutritus fuit unicus sub illis Imperatoribus ac postremus veri nominis orator, ut testatur Auctor Dial. de Oratt. c. 26. Primus tamen ab illa vetere atque directa dicendi via flexit non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum, sed judicio et intellectu. Nam vidit, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam, ut idem Auctor ait c. 19. M. Annaeus Seneca, qui aetate ei suppar erat, oratorias ejus laudes fuse et pulchre percenset in Excerpt. Controvers. Libr. III. p. 395—400. Bip. Oratio ejus cultu valens erat, ingentibus plena sententiis, nec quisquam minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse. Nulla pars erat, quae non sua virtute staret. Nihil, in quo auditor sine damno aliud ageret. Omnia intenta, aliquo petentia. Nemo magis in sua potestate habuit audientium affectus. His virtutibus accessit corporis magnitudo conspicua et suavitas valentissimae vocis[7]). Nec minus honorifice de eo judicans Quintilianus Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 116. „*Multa*, inquit, *si cum judicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus, qui si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter praecipuos foret.*

---

7) Conspicua ista corporis magnitudo nescio an effecerit, ut *Cassio Severo, celebri oratori, armentarii Mirmillonis objecta sit similitudo:* quae sunt verba Plinii in N. H. Libr. VII. c. 10. s. 12. Nec, qui secundum vocem plurimum in oratore potest, vultus ei defuit ad cujuslibet caussae rationem compositus: id quod mihi videor colligere posse ex Quintiliani Inst. Or. Libr. VI. c. 1. §. 43. „Non admittit hoc idem veritas, egregieque Cassius dicenti adolescentulo: *quid me torvo vultu intueris, Severe? Non me hercule*, inquit, *faciebam, sed sic scripsisti: ecce!* et, quam potuit, truculentissime eum adspexit.“

Nam et ingenii plurimum est in eo et vis summa, sed plus stomacho quam consilio dedit." Acerbae enim dicacitatis hominem fuisse Cassium Severum, praeter Quintilianum Inst. Or. Libr. VII. c. 3. §. 27. et Libr. XII. c. 10. §. 11., confirmat etiam Auctor Dialog. de Oratt. c. 26. dicens, eum in magna parte librorum suorum h. e. orationum plus puris habere quam sanguinis, eumque, contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum ipsis etiam, quibus utatur, armis incompositum et studio feriendi plerumque dejectum, non pugnare, sed rixari.

Hujus quidem Cassianae dicacitatis servata nobis exstant aliquot testimonia. Quintilianus Inst. Or. Libr. VIII. c. 3. §. 89. „Est et amarum quiddam, quod fere in contumelia est positum, quale Cassii: *Quid facies, cum in bona tua invasero? hoc est, cum te docuero nescire maledicere*[8])." Suetonius

---

8) Gernhardus vv. *cum te — maledicere* putavit esse Quintiliani interpretationem verborum Cassii: *quid — invasero:* id quod satis declarari ait v. *hoc est.* Deinde v. *nescire,* quod in Turic. Flor. Almel. deest, uncis inclusit et male additum existimavit ab eis, quibus videretur Cassius doceri non posse, quod jam dudum sciret. Ita rusticam fieri dicit contumeliam, quae amari quid habeat et tecti, si Cassius dicatur doceri id facere suo jure, quod soleat maledicus, nulla accepta injuria, facere. At aut egregie fallor aut ea omnia, quae litteris obliquis exprimenda curavi, verba Cassii sunt prolata a Quintiliano tamquam *virium* (§. 87.) genus, in quo amarum quiddam sit. Cassium Severum oratorem olim litigasse suspicor cum actore acerbo et mordace; cui iratus cum diceret: *Quid facies, cum in bona tua invasero?* horum ambigue dictorum interpretationem necesse erat ipse subjiceret. Actoris istius veluti bona erant acerbitas et maledicentia. Jam in haec bona invasurus erat Cassius, cum sua ipsius maledicentia istum doceret, eum nondum scire, quid esset maledicere. Minatur isti maledicta vehementissima et tecte significat, se male dicendi facultate longe superiorem esse. Verbum *nescire* salva loci sententia abesse posse, vidit jam Spaldingius, et mihi quoque Cassius dixisse videtur: *cum te docuero maledicere,* h. e. cum

de Illustr. Grammat. c. 22. „M. Pomponius Marcellus, sermonis Latini exactor molestissimus, in advocatione quadam (nam interdum et caussas agebat,) soloecismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus, interpellatis judicibus, dilationem petiit: *ut litigator suus alium Grammaticum adhiberet; quando non putat is, cum adversario de jure sibi, sed de soloecismo, controversiam futuram.*" Et M. Annaeus Seneca Controvers. Libr. II. 12. p. 173. Bip. refert: „Fabius Maximus nobilissimus vir fuit, qui primus foro Romano hunc comicum morbum, quo nunc laborat, intulit: de quo Severus Cassius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: *Quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es: unum tantum es non quasi, — vappa*[9])." Contumeliosa ista

---

tibi mea maledicendi rabie ostendero, quid sit maledicere. Atque ita amarum dicti Cassiani fere in contumelia positum est.

9) Bipontini male ediderunt: *Fabianus Maximus*, licet jam verum vidisset Nic. Faber. Intelligendus est *P. Fabius Paulus Maximus*, de quo docte egit Spaldingius ad Quintil. Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 52. Vol. II. p. 565. Consul fuit anno U. C. 743. et apud Augustum valde gratiosus. Inepta est Torrentii opinio dicentis, hunc Fabium perstringi ab Horatio Libr. I. Sat. 1. v. 14. et 2. v. 134. Multo autem verisimilius est, eumdem obversatum esse animo Poetae scribentis ad Venerem Libr. IV. Od. 1. v. 7.

Abi,
Quo blandae juvenum te revocant preces.
Tempestivius in domum
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi,
Si torrere jecur quaeris idoneum.

Porro Bipontini injuria retinuerunt vulg. *vomicum morbum*, secuti Schottum, qui ea verba de corrupto orationis tumore explicat. Meyerus in Orat. Rom. Fragm. p. 228. tacite recepit praeclaram Schultingii correctionem: *comicum morbum*, quae egregie confirmatur loco dialogi de Oratt. c. 26. p. 56. ed. Orellii. In Cassii Severi dicto item Meyerus adoptavit ejusdem Schultingii conjecturam: *unum tantum es non quasi, mapalia*: vereor, ut recte!

dicacitate sua et maledicentia fieri non poterat quin incurreret in multorum odia et nobilissimorum virorum inimicitias susciperet, ipsi serius ocius exitiosas. Rixosus cum esset ac litigiosus, multis diem dixit mera adductus libidine accusandi, ita ut plerique ab judicibus absolverentur. Qua de caussa Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4. p. 358. Z. narrat, Augustum aliquando de architecto fori sui exspectationem operis diu trahente ita jocatum esse: „*Vellem Cassius et meum forum accusasset.*“ Atque inde lucem accipiunt verba M. Annaei Senecae Excerpt. Controv. Libr. III. p. 396. Bip.: „*Nec tamen scio, quem reum illi* (n. Cassio Severo) *defendere, nisi se contigerit.*“ Erat enim, ut gravissimus auctor, Tacitus Annal. Libr. IV. c. 21. ait, homo ut sordidae originis, sic maleficae vitae, quam non mirum est multis multorum criminationibus pa-

---

Vulgata est: *quasi lapsam.* Schottus in libr. vet. reperit *quasi alapam:* quam vocem alii aliter tentarunt. Schultingii correctio utique facilitate commendatur, si quidem librarius, vocabulo *mapalia* per inversum ordinem lecto, proclivi oculorum errore in v. *alapam* incidere poterat. Schultingius emendationis suae gratia primum usus est loco Festi: „*Mapalia casae Poenicae appellantur, in quibus quia nihil est secreti, solet id vocabulum solute viventibus objici:*“ v. Lindemanni Corpus Gr. Lat. Tom. II. P. 1. p. 101. Deinde L. Annaeus Seneca in Lud. de Morte Claudii Caesaris c. 9.: „*Ego,* inquit, *P. C. interrogare vobis permiseram, vos mera mapalia fecistis.*“ At apud Senecam *mapalia* significant rus curiae oppositum: v. Ruhkopf. ad h. l. Tom. IV. p. 395. Neque in Fabium Maximum, qui foro comicum morbum intulisse dicitur, quadrant ruris inficetiae et sordes. Neque etiam vita soluta et corrupti mores illi poterant exprobrari a Cassio, ut ipse Schultingius videtur sensisse mirifice hic animo et sententia fluctuans. Quapropter verum vidisse puto Gronovium, qui *vappa* conjecit. Hanc vocem ego cum Bipontinis recepi, utpote rei ac personae apprime convenientem: cf. Heindorf. ad Horatii Libr. I. Sat. 1. v. 104. Cassius, postquam Fabio facundiam, formositatem et divitias per deridiculum concesserat, eum *ἀπροςδοκήτως* gravi et acerbo nomine *vappae, eines Taugenichts*, percutit.

tuisse. Ingenio igitur suo animoque obsecutus multos in judicium vocavit.

Atque prae caeteris celebratur ejus accusatio Nonii Asprenatis, quem veneficii reum fecerat, et unius patinae veneno triginta et centum convivas sustulisse arguerat, auctore Plinio N. H. Libr. XXXV. c. 12. s. 46. Jam Nonius Asprenas ille putatur a multis esse idem, qui in Julii Caesaris expeditione Africana a. U. C. 708. ad Thapsum duabus legionibus imperio proconsulari praeerat, ut narrat Auctor d. B. Afr. c. 80. Conferas Thorbeckii Comment. d. C. Asinio Pollione p. 69. sq., cui assensum praebuit etiam Meyerus in Oratt. Roman. Fragm. p. 212. Mihi autem factum illud ad temporis rationem examinanti non levis suborta est dubitatio, ita ut cum Dalechampio ad Plinii Nat. Hist. Libr. XXXV. c. 46. Tom. IX. p. 557. Frz. intelligi malim C. Nonium Asprenatem illum, quem Suetonius in Aug. c. 43. tradit in Trojae lusu quondam lapsu debilitatum, ab Augusto torque aureo donatum et ipsum ejusque posteros *Torquati* cognomine ornatos esse. Is haud dubie fuit Proconsulis illius filius, ejusque patrem quo minus ab Cassio Severo accusatum esse putem, his fere caussis impedior. Dio Cassius Libr. LV. c. 4., probaturus civilem Augusti animum, scripsit: *Φίλῳ τέ τινι δίκην φεύγοντι συνεξητάσθη, προεπικοινώσας αὐτὸ τοῦτο τῇ γερουσίᾳ· καὶ ἐκεῖνόν τε ἔσωσε, καὶ τὸν κατήγορον αὐτοῦ οὐχ ὅπως δι' ὀργῆς ἔσχε, καίπερ πάνυ πολλῇ παῤῥησίᾳ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ εὐθυνόμενον ἐπὶ τοῖς τρόποις, ἀφῆκεν· εἰπὼν ὅτι ἀναγκαία σφίσιν ἡ παῤῥησία αὐτοῦ, διὰ τὴν ἄντικρυς τῶν πολλῶν πονηρίαν, εἴη.* Quo in loco sermonem esse de Nonio Asprenate et Cassio Severo, discimus ex Suetonii Aug. c. 56. „Quum Asprenas Nonius, artius ei jun-

ctus, caussam veneficii accusante Cassio Severo diceret; consuluit senatum, quid officii sui putaret: *cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur.* Et consentientibus universis, sedit in subselliis per aliquot horas; verum tacitus ac ne laudatione quidem judiciali data.“ Atque factum illud Dio Cassius assignat anno U. C. 745. Jam licet probe sciam, Dionem haud raro res gestas, neglecto temporum ordine, connectere sola ductum similitudine; tamen sunt alia quae nobis suadeant, ut illam de veneficio actionem mediis Augusti temporibus institutam credamus. Primum enim dubitari licet, fueritne adhuc in vivis Augusto imperante Nonius Asprenas Proconsul; ejus filium autem perquam verisimile est tum floruisse et aetate et gratia apud illum Imperatorem. Deinde veneficii crimen magis cadit in juvenem quam in grandis virum aetatis, qualem necesse est fuisse statuamus Proconsulem istum vel ineunte Augusti imperio, id est, anno U. C. 725. Denique Asinius Pollio, qui Nonium veneficii reum defendit, pacata demum civitate labori forensi reorumque defensionibus frequentiorem videtur navasse operam: vid. Auct. Dialog. de Oratt. c. 38. Quibus de caussis inducor, ut, facta ab aliis discessione, non tam Nonium Asprenatem Proconsulem, quam ejus filium Nonium Asprenatem Torquatum circiter anno U. C. 745. de veneficio postulatum esse dicam. Asinii Pollionis et Cassii Severi in hujus Nonii caussa actiones eloquentiae studiosis legendas commendat Quintilianus Inst. Orat. Libr. X. c. 1. §. 23. Atque in eadem veneficii caussa accidisse suspicatur Spaldingius illud, quod Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 78. affert:

„Transtulit crimen Cassius Severus. Nam, cum objurgaretur a praetore, quod advocati ejus L. Varo Epicureo Caesaris amico convicium fecissent; *Nescio, inquit, qui conviciati sint: et puto, Stoicos fuisse.*“ Spaldingio, suam conjecturam in Praefat. ad Quintiliani Vol. II. p. VII. copiosius exponenti, accessit nuper Meyerus in Oratt. Rom. Fragm. p. 228. et videsis, quae ego supra disserui ad Commentat. *de L. Vario Poeta* in Excurs. I. p. 130. sq. Quintiliano Inst. Or. Libr. XI. c. 1. §. 57. ob confessam accusandi voluptatem non mediocriter displicuit Cassianae illius accusationis exordium: „*Dii boni, vivo: et, quo me vivere juvet, Asprenatem reum video*[10]).“

§. 5.

Quamquam Cassius Severus Nonium Asprenatem, hominem potentem et Augusto artius junctum, multa cum libertate et acerbitate reum egerat; tamen ea accusatio nihil damni incommodive ei attulit, si fides est Dioni Cassio Libr. LV. c. 4. Nam Augustus non modo nulla eum ira tum persecutus est, sed eumdem etiam morum caussa reum factum absolvit. Verum tamen cum iste non tantum accusandi libidine multos violaret, sed etiam procacibus scriptis viros feminasque illustres diffamaret, Augustus, quamvis ipse, ut ex Suetonio c. 55. scimus, sparsos de se libellos neque expavesceret nec magna cum cura redargueret, non poterat quin cognitionem de famosis libellis tractaret, specie veteris illius legis, de qua dixit Cicero de Republ. Libr. IV. 10. p. 436. ed. Moser. Id Augustum primum instituisse Cassii Severi libidine commotum, perspicue attestatur

---

10) Conferas Excurs. I.

Tacitus Ann. Libr. I. c. 72. Ejusdem rei mentionem facit Dio Cassius Libr. LVI. c. 27.: *καὶ μαθὼν ὅτι βιβλία ἄττα ἐφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο· καὶ ἐκεῖνά τε τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, τὰ δὲ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων, κατέφλεξε, καὶ τῶν συνθέντων αὐτὰ ἐκόλασε τινάς.* Cui quidem loco plurimum lucis accedit ex Suetonio, qui de Caligula memoriae prodidit c. 16.: „*Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta, Senatus consultis abolita, requiri et esse in manibus lectitarique permisit, quando maxime sua interesset, ut facta quoque posteris tradantur.*" Nam nova ista et insueta res, supplicia de studiis sumendi, et excogitata est jam sub Augusto et usurpari coepta. Jam cum Labieni historiarum libri ex Senatusconsulto comburerentur, M. Seneca Controv. Praef. Libri V. p. 321. Bip. refert, Cassium Severum, Labieno junctissimum, belle dixisse: „*nunc me vivum uri oportet, qui illos edidici*[11])." Ex quo intelligitur, eum tum temporis salvum adhuc et incolumem Romae versatum esse. Cum autem Labieni poena et exemplo nihil deterritus nobilissimis quibusque oblatrare et maledicere perrexisset, non tantum scripta ejus abolita sunt, sed ipse etiam Urbe cedere et abesse jussus est. Tacitus de rebus sub Tiberio a. U. C. 777. actis haec scripsit Ann. Libr. IV. c. 21. „*Relatum et de Cassio Severo exule, qui — per immodicas inimicitias, ut judicio jurati Senatus Cretam amoveretur, effecerat: atque illic eadem actitando, recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit.*" Qui quidem locus ita capiendus

11) De *T. Labieno* illo accuratius expositum est in Excurs. II.

est, ut Cassium statuamus jam sub Augusto Cretam amotum, eumque, quoniam illic non compesceret mordacis linguae petulantiam, graviore affectum poena ab Tiberio jussum esse in saxo Seriphio reliquos vitae annos trahere. Atque in hac exigua asperaque Cycladum insula consenuit et mortuus est, teste Hieronymo in Eusebii Chronic. ad annum Domini XXXIII. p. 158. „*Cassius Severus orator egregius, qui Quintianum illud proverbium luserat,* XXV. *exilii sui anno in summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.*" Annus Domini trigesimus tertius est ab Urbe condita annus 786. et Tiberii imperantis vigesimus [12]). Proinde facta computatione sequitur, Cassium Severum, Senatus judicio damnatum, in Cretam abiisse a. U. C. 761. i. e. anno prius quam P. Ovidius Naso Tomos relegaretur. At, ne quid dissimulem, huic rationi adversari videtur Plutarchus, qui de Discr. Adulatoris et Amici Tom. VI. p. 221. sq. R. narrat: *Τιβερίου δὲ Καίσαρος εἰς τὴν σύγκλητόν ποτε παρελθόντος, εἷς τῶν κολάκων ἀναστὰς ἔφη, Δεῖν ἐλευθέρους ὄντας παῤῥησιάζεσθαι καὶ μηδὲν ὑποστέλλεσθαι μηδ' ἀποσιωπᾶν τῶν συμφερόντων. Ἀνατείνας δὲ πάντας οὕτως, γενομένης αὐτῷ σιωπῆς, καὶ τοῦ Τιβερίου προςέχοντος, Ἄκουσον, ἔφη, Καῖσαρ, ἅ σοι πάντες ἐγκαλοῦμεν, οὐδεὶς δὲ τολμᾷ φανερῶς λέγειν· ἀμελεῖς σεαυτοῦ καὶ προΐεσαι τὸ σῶμα καὶ κατατρύχεις ἀεὶ φροντίσι καὶ πόνοις ὑπὲρ ἡμῶν, οὔτε μεθ' ἡμέραν οὔτε νύκτωρ ἀναπαυόμενος. Πολλὰ δ' αὐτοῦ τοιαῦτα συνείροντος, εἰπεῖν φασι τὸν ῥήτορα Κάσσιον Σευῆρον· Αὕτη τοῦτον ἡ παῤῥησία τὸν ἄνθρωπον ἀποκτενεῖ.* Haec in Senatu accidisse aeque manifestum est ac sermonem hic esse de Cassio Severo oratore, ut etiam vidit Wyttenbachius in Adnotatt. ad h. l. Vol. I. p. 378.

---

12) Vide Scaligeri Animadversiones in Chronologica Eusebii p. 187.

ed. Lips. Atqui illum oratorem ostendimus sex fere annis ante, quam Tiberius Augusto succederet, Roma amotum esse Cretam. Itaque haec inter se repugnant. Neque tamen est quod Plutarchi fidem in dubium vocemus. Equidem quae sit mea de illa re sententia dicam eamque, quoad ejus fieri potest, communiam. Et primum quidem monendum est, Cassium videri ab Augusto non in exilium missum esse, sed tantum in Cretam relegatum[13]). Minime obstat Tacitus, qui eum *exulem* appellat aut per prolepsin aut per promiscuum vv. *exulis* et *relegati* usum, de quo admonuit Masson in Vit. Ovidii ad an. U. C. 742. VI. p. 162. Sic D. Silanus, in nepti Augusti adulter, ab Tacito Ann. Libr. III. c. 24. *exul* nominatur, licet relegatus tantum esset. Jam sicut Tiberius huic Silano, fratre deprecante, reditum concessit; ita a vero minime abhorret, eamdem redeundi gratiam factam esse Cassio oratori, praesertim cum non laesarum religionum ac violatae majestatis nomine relegatus esset, sed per immodicas inimicitias, quas violento ingenio sibi suscitaverat, effecisset, ut in Cretam amoveretur. Accedit, quod ei artior quaedam necessitudo fuisse videtur cum Tiberio, cui librum quemdam inscripserat, fortasse in ipsa Creta compositum, ut infra docebimus. Igitur redeundi venia ab Tiberio impetrata, Cassius Romae aliquando in Senatu istum adulatorem perstrinxisse existimandus est. Sed haud dubie concessi istius reditus fructus brevissimus erat. Cum enim ille, quae erat vehemens et acerba ejus

---

13) Conferatur, praeter Heineccium in Antiq. Jurispr. Rom. Libr. I. Tit. 16. §. 9., 10. et 11. et Feam ad Horatii Libr. I. Epist. 20. v. 13., Herzog ad Sallustii Catil. c. 51. §. 22. p. 291.

natura, procacitati suae ac maledicentiae moderari moribusque suis invigilare nec posset nec vellet, videtur iterum jussus esse in Cretam redire ibique latere. Atque cum illic quoque eadem actitaret et famosis libellis recentia veteraque odia adverteret; tandem Tiberii jussu bonis exutus atque, interdicto igni atque aqua, in saxum Seriphium deportatus est: id quod evenit a. U. C. 777., quo anno Romae in universum accusatorum natio libere grassabatur.

Quo aetatis anno Cassius Severus obierit, in communi omnium scriptorum silentio ad divinandum perdifficile est. Sed tamen cum Tacitus eum consenuisse dicat, eumdemque fuisse constet hominem non minus ingenio quam corpore validissimum; non absonum fuerit suspicari, talem virum quamvis cum inopia aliisque exilii malis conflictatum ad summam venisse senectutem et fortasse octoginta et amplius vixisse annos. Id si pro certo sumimus, Cassium Severum natum esse dicemus sub initium saeculi ab Urbe condita octavi, quo pristina civitatis Romanae libertas jam dudum factionibus, dissidiis bellisque civilibus labefactata tandem per Julium Caesarem pessumdata et oppressa est. Et quae Caesaris caedem insecuta est aetas, tam ferax fuit rerum gravissimarum maximarumque conversionum, ut mirum quantum afficere deberet teneros et sequaces juvenum tum succrescentium animos. Jam in tam calamitosa temporum varietate cum adolevisset Cassius, non est quod cuiquam mirum videatur, eum a teneris magnos et truces sumpsisse spiritus et intemperantioris cujusdam et atrocioris libertatis amorem imbibisse, quem per omnem vitam prae se ferret et dictis suis factisque omnibus expromeret.

Adde rerum inopiam, qua eum quippe sordidae originis juvenem, antequam ex tenebris in solem et pulverem prodiret, laborasse verisimillimum est. Illa autem dubitari nequit quin istis praesertim temporibus ingenium ejus natura violentum et acre magis intenderit ad eluctandum quidquid esset vitae difficultatum, sed simul animum exasperaverit et ira odioque quodam hominum efferarit. Propterea vix adultus vitae maleficae infamia flagrare coepit et in aequalium odia incurrere. Postea vero, cum excellenti ingenio doctrinaque orator evasisset, multorum, quos subinde dictis scriptisque irritaverat, inimicitiis oppressus sic occubuit, ut grandis admodum inopsque senex et patria extorris in saxis Seriphiis obiret.

§. 6.

Praeter orationes a nobis jam commemoratas multa alia varii generis ab eo composita editaque esse opera, cum per se credibile est, tum etiam certis auctorum testimoniis cognitum habemus. Primum animum advertit nostrum illud opus, quod allegatur a Diomede Libr. I. p. 370. P. „Adolesco adolevit facit, nam Virgilius sic declinat, *mox cum matura adoleverit aetas.* Tamen adolui volunt quidam in sacrificio dici, et venire ab eo, quod est, adoleo. Sed et in sacrificio Actius Cassius ad Tiberium secundo, adolevit dixit. *Sic et contra Aegyptiis maximum sacrificium, ubi integrum anserem adoleverunt.*“ Eadem de v. *adolescere* profert Priscianus Libr. IX. p. 872. P., ubi Krehlius c. 10. §. 53. Tom. I. p. 468. edidit: „Cassius ad Tiberium secundo: *At contra Aegyptios sacrificium ubi integrum anserem adoluerunt.*“ Quae Prisciani verba

certum mihi videtur ex Diomede emendanda esse: *At contra Aegyptiis sacrificium* sc. est, et pro *adoluerunt* scribendum *adoleverunt*: nam a Varrone tantum *adolui* prolatum esse ait Priscianus. Apud Diomedem pro *Actius* correxisse Kordesium *Titus*, supra §. 4. monui. Me offendit praenomen, quod otiosum hic est: fortasse latet *Severus Cassius;* sed exspectanda est Lindemanni manus emendatrix. Mihi non dubium est quin uterque Grammaticus singulare quoddam Cassii oratoris opus laudaverit, quod de epistola ad Tiberium male accepit Maffejus, assentiente Meyero in Oratt. Rom. Fragm. p. 229. Ex Plinii N. H. Libr. XXXV. supra ostendimus, illum oratorem de Aegypto scripsisse. Idque opus fortasse composuit, cum relegatus in insula Creta degeret, inscripsitque Tiberio Imperatori, quo se in gratiam ejus insinuaret et redeundi veniam impetraret. Non magis ex epistola sumptum esse puto quod legimus apud Charisium Libr. I. p. 80. P. „Cassius Severus ad Maecenatem: *Gausapo purpureo salutatus*[14]).“ Hoc quoque Cassii fragmentum, omisso *Severi* nomine, affert Priscianus Libr. VII. p. 759. P. (c. 11. §. 56. T. I. p. 328. Kr.) In quo neminem non mirum habebit quod Cassius in libro ad Maecenatem *gausapi purpurei* mentionem facit. Gausape fuit vestis lanea eaque crassior, qua in itinere ad verendas maxime partes obtegendas uti solebant Romani: v. Petronii Satyr. c. 28. Maecenas, mollis ille et vestitu habituque cum offensione delicatus homo, appellabatur a Cassio gausapatus purpurea veste. Suspicanti igitur mihi, unde ista verba sum-

---

14) Videatur G. J. Vossius in Aristarcho sive de Arte Grammatic. III. 35. ibique Foertschius Part. I. p. 410.

pta sint, non improbabile videtur, ea lecta fuisse in libello, quo Maecenatem ejusque mollitiem perstrinxisset mordax iste et maledicus orator. Is enim, ut apud Tacitum legimus, viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamare solebat. Caeterum haec Cassii Severi verba et quae ex opere ad Tiberium allegantur fuerunt qui turpi errore Cassio Heminae tribuerent, ut jam notarunt G. J. Vossius de Hist. Lat. Libr. I. c. 7. T. IV. p. 9. Opp. et Harduinus in Ind. Auctor. Plinian. T. X. p. 288. Fz. Quae Priscianus Libr. VIII. p. 791. P. (c. 4. §. 15. p. 368. Kr.) profert: „Cassius similiter: *adulatique erant ab amicis et adhortati.* Adulati, κολακευθέντες, adhortati, προτραπέντες;" ea malim in Cassii Heminae, quam cum Maffejo et Meyero in Cassii oratoris Fragmentis reponi[15]). Sed jure attributum censeo oratori quod invenimus apud Diomedem de v. *sancire,* p. 368. P. „et in passivo Cassius Severus, *lege sancitum est,* inquit:" et ibidem p. 372. P. „Severus, *Distractos atque salitos.*" Quodsi vero Maffejus ad eumdem retulit ex Charisii Libr. I. p. 99. P. „Denique et C. Cassius in epistola, quam de Dolabella scripsit, *Arabi mirifico animo erga nos fuerunt,* inquit;" non attendit, huic Cassio praenomen *Caji* praefixum esse. Addo, Dolabella vivente, Cassium oratorem puerulum adhuc fuisse. Recte Kordesius ducem quemdam belli intelligendum esse censuit, et procul dubio ille est C. Cassius, cui bellum contra Dolabellam, Trebonio occiso, hostem judicatum, mandatum fuerat: v. Dio Cass. Libr. XLVII. c. 29. Appianus de B. C. Libr. III. c. 61. et 63. Ad

---

15) Mecum consentire video Kraussium, qui illa verba in incertis Cassii Heminae Fragmentis reposuerit l. c. p. 165.

eumdem refero ex Quintiliani Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 90.: „C. Cassius, qui militi sine gladio decurrenti, *Heus, commilito, pugno bene uteris,* inquit.“ Qui a Cassio oratore historias quoque scriptas esse dicunt Viri Docti, ut Glandorpius in Onomast. p. 209., Lipsius ad Tacitum Ann. Libr. IV. c. 21., Torrentius ad Suetonii Calig. c. 16. aliique, eorum sententia unice nititur loco Suetonii in Vitell. c. 2., de quo jam supra §. 3. disputatum est. Verum enim vero quis non videt, multum praestare, si de oratione sive famoso libello Cassii Severi cogitamus, quam de historia? Verisimilius profecto est, gentis Vitelliae auctorem appellatum esse a Cassio *sutorem veteramentarium* in satirico quodam quam in historico opere! Certius de historiis ejus testimonium sibi reperisse videbatur Kordesius apud Joannem Sarisberiensem in Policrat. Libr. VIII. c. 18. p. 640.: *Haec quidem possunt et apud historicos inveniri diffusius, qui tyrannorum atrocitates et exitus miseros plenius scribunt. Quae si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea quae Trogus Pompejus, Josephus, Egesippus, Suetonius, Q. Curtius, Corn. Tacitus, T. Livius, Serenus et Tranquillus et alii historici — comprehenderunt historiis.*“ Quo in loco Kordesius acute suspicatur, sub *Sereni* nomine latere *Severum* h. e. Cassium Severum. At scriptor, qui *Suetonium* et *Tranquillum* duo facit et inter se diversos historicos, levissimae sane, ne dicam nullius est fidei et auctoritatis. Et ut concedam, Cassium oratorem revera hic intelligendum esse, nonne is rectius tyrannorum atrocitates miserosque exitus in satiricis libellis tetigisse putandus erit? Igitur de Cassianis historiarum libris nihil certi pronuntiari potest.

Denique etiam sunt qui a Cassio oratore carmina scripta esse dictitent. Nam Horatii Epodos VI.

Quid immerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quaecunque praecedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,
Projectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambae spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

in multis et vett. Codd. Mstis inscripta est: *In Cassium Severum,* et Acron Scholiastes, „*Cassium,* inquit, *maledicum poetam in se irritat, minaturque, si solita rabie fuerit elatus.*“ Et Scholiastes Cruq. „*Invehitur in Cassium Severum, qui dicacissimus erat et amarulentia verborum optimos quosque insectabatur; sed facile placabatur ingluvie ventris, adeo ut si quis ei ventrem repleret, ab ejus cessaret conviciis. Quare Horatius eum cani comparat, qui cum clarissimos latratus contra aliquem emittat, projectum tamen vel lapidem vel panem odoretur. Ita hic accepta pecunia a maledicentia et nimia dicacitate in eos, qui lacessiti respondere non poterant, abstinebat. Huic itaque male minatur Horatius, si solita rabie incessere pergat miseros.*“ Scholiastae Cassium illum non oratorem

dicunt, sed poetam: quare in Edit. Basil. a. 1555. titulus est: *In Poetam Maledicum*, licet in toto carmine nihil sit, quod nos de poeta cogitare jubeat. Dubium autem vix esse potest quin Scholiastae oratorem istum maleficae vitae et caninae facundiae intellexerint, in eorumque sententiam transierunt multi, in quibus maxime commemorandi sunt Cruquius, Torrentius, Bentlejus ad Libr. I. Sat. 3. v. 82., Sanadonus, Dacerius et, cujus judicium ea in caussa magni facio, Jahnius. Cum Porphyrione, qui Horatium universe ἀλληγορικῶς de homine quodam maledico loqui ait, fecit Lambinus, cui nostra memoria adstipulatus est Doeringius. Istam de Cassio oratore sententiam primus, quod sciam, impugnavit Gesnerus, quem maxime offendit adulatio v. 9. et 10. commemorata. Si enim, inquit, adulari potuisset ille, in Seriphiis saxis non consenuisset. His Mitscherlichius jam opposuit, Cassium non adulando h. e. blanditiis et obsequiis, sed dicacitate sua invitis fere munera ista extorsisse. Ipsi tamen Mitscherlichio consultius videtur, rem in medio relinquere, cum plures Cassio oratori similes Romae exstitisse verisimile sit. Contra Spaldingius ad Quintiliani Inst. Or. Libr. VI. c. 1. §. 43. non videt, quare haec Epodos ad alium Cassium Severum, quam ad famosum istum oratorem, referatur, suamque sententiam in Praefat. ad Quintiliani Vol. II. p. VII. declaranda Horatii cum L. Varo Epicureo amicitia et communi utriusque in Cassium odio bene commendat. Spaldingii disputatio videtur latuisse Ch. Vanderbourgium, qui Tom. II. P. 2. p. 461. approbata Gesneri dubitatione, haec scripsit: „*Ce n'étoit point à l' homme qui déclaroit la guerre aux familles les plus puissantes, et qui fut banni*

pour son audace, qu' Horace auroit reproché de la lâcheté (v. 2.)*; ce n' est point à lui qu'il auroit dit que la moindre offrande calmoit sa colère* (v. 9 — 10.). *Ajoutons à ces raisons de Gesner, qu' Acron et un grand nombre de Mss. traitent de poéte médisant* (poetam maledicum) *le personnage qui figure dans cette Ode, et qu' aucun des auteurs cités plus haut ne donne à Cassius Sévérus cette qualité. Quintilien, Sénèque et l'auteur du dialogue* de Caussis corr. eloq. *parlent au long de ses talens d' orateur; aucun ne dit qu'il ait été poète; et si la chose en valoit la peine, on trouveroit, je crois, dans Sénèque, le moyen de prouver qu'il ne le fut pas.*" His argumentis nihil magnopere tribuendum puto. Nam, utcumque de tempore, quo Horatius Epodos singulas composuerit, statuitur, id tamen ex mea quidem sententia certum est atque indubitatum, nullum ἐπῳδῶν carmen esse, quod demum post annum U. C. 723. scriptum sit. Itaque isti quoque in Cassium iambi jam exarati sunt eo tempore, quo ille vixdum viginti annos natus ingenio clarescere coepit. Innotuisse autem eum maledicendi libidine, pariter credibile est atque eum, quem vidimus sordidae fuisse originis, non tam potentes ac divites, quam infimos ac pauperes linguae improbae procacia aggressum esse. In his sine dubio Horatium quoque, libertino natum patre, atro dente petierat. Hinc Poeta Venusinus vel obtrectationibus vel conviciis provocatus, stricto velut Archilochi seu Hipponactis iambo in istum κύνα κατήγορον invehitur eique ignaviam exprobrat, utqui tum juvenis adhuc ignobilis et inops potentioribus abstineret sive periculi metu sive lucelli alicujus spe obmutescens, et eos tantum, a quibus nihil metuendum esset, male-

dictis insectaretur. Postquam vero orator accusando inclaruerat, audacior factus ne principibus quidem civitatis pepercit, utique ab timiditate pariter atque adulatione alienissimus. Atque, ut supra ostendimus, sub finem demum imperii Augusti Cassius procacibus scriptis viros feminasque illustres diffamare coeperat. Itaque, temporum rerumque ordine accurate spectato, non video quid obstet quo minus Cassium Severum ab Horatio virulentissimis iambis Epodi VI. traductum esse statuamus. Neque opus erat ut illius nomen in ipso carmine positum legeretur. Quorum tum intererat scire, cui carmen illud inscriptum esset, eis haud dubie et Cassius satis notus erat et componendorum illorum iamborum occasio, et ne posteros lateret, providerunt ii quos de personis Horatianis scripsisse scimus. Ex hoc autem fonte hausta sunt ea, quae apud Scholiastas relata legimus. Ab his idem Cassius appellatur *poeta maledicus*: id quod mirationem sane facit, cum nemo alius scriptorum veterum de poetica ejus facultate aliquam mentionem injecerit. At hoc cum ipsius Horatii tum aliorum silentium non impedit quo minus a Cassio, juvene acris vegetique ingenii, suspicemur composita esse epigrammata, quibus integrae famae homines pungeret. Neque ego dubitaverim procacia ista scripta, quibus ab Tacito dicitur illustres utriusque sexus homines diffamasse, referre etiam ad versiculos famosos, quibus stigmata aliis imposuerit sibique perniciem pepererit. Verum tamen hujus facultatis si quam prioribus vitae annis adeptus fuerat laudem, ipse posthac existimandus est obscurasse eloquentiae suae splendore, in quo commemorando unice versati sunt M. Seneca, Tacitus et Quintilianus. Scholiastae autem

poetam nominare debebant eum, a quo scirent hujuscemodi versiculis provocatam esse Horatii iram. Qui cum rem sibi intelligeret esse cum poeta nascente eoque maledicentissimo, tanto asperius animosiusque insurrexisse in eumque omnem Archilochiam iamborum rabiem effudisse videtur. Sed non amplius vacat conjecturis indulgere, quibus id modo efficere studui, ut Scholiastarum fidem confirmarem eamque virorum doctorum dubitationibus potiorem habendam esse evincerem[16]). Quapropter, quae optimorum Codicum auctoritate nititur inscriptio: *In Cassium Severum*; eam si non ab ipso Poeta, conjunctim Epodos edente, certe ab antiquis ejus Commentatoribus profectam esse puto ideoque recipiendam, et totum hoc Horatii carmen in antiquis de Cassio Severo oratore testimoniis merito reposuit Henr. Meyerus in Oratt. Roman. Fragmentis p. 227.

§. 7.

Jam ab his, quos dixi, Cassiis idem Maffejus duo distinguendos esse ait ejusdem nominis poetas, *Cassium Etruscum* et *Cassium Parmensem*. Utriusque autem Cassii mentio ab uno Q. Horatio Flacco Libr. I. Satir. 10. v. 61. et Libr. I. Epist. 4. v. 3. facta est, idque obiter tantum ac velut in transcursu, et quae Scholiastae veteres ad utrumque Poetae Venusini locum de illis adnotarunt, ea pauca admo-

---

16) Hanc sententiam meam nuperrime Kirchnerus, Vir egregius, in Quaestionib. Horat. p. 23. sq. ea impugnavit doctrina et humanitate, quae quemque studiorum humaniorum professorem decet, nec tamen argumentis sive potius dubitationibus, quas movit, suis effecit, ut nunc a proposita olim sententia discedendum mihi esse judicem.

dum sunt ac perplexa, atque interpolatrice librariorum manu tam obscurata, ut diversissimis hominum eruditorum opinionibus patuerint dicique vix possit, quot et quantae inde natae sint controversiae ad nostram usque memoriam agitatae. Quas quum componere aggredior, non me praeterit, pleraque, quae hac in caussa in disceptationem veniant, non ducenda esse ex certis ac perspicuis scriptorum testimoniis, sed ex conjecturis, quarum ope nos tenuia rerum temporumque vestigia persequentes anquirere oporteat, quid veri sit simillimum.

Ac primum quidem nonnulla dicenda sunt de illorum poetarum nominibus, quae itidem variis conjecturis erroribusque obnoxia fuerunt. Quamquam uterque Poeta ab Horatio simpliciter *Cassius* appellatur et alter *Etrusci*, alter *Parmensis* nomine insignitur; tamen haud pauci fuere Viri Docti, qui utrique cognomen *Severi* imponerent. Sic, ut hoc utar, Jac. Cruquius aliique Horatii editores Cassio Etrusco *Severi* cognomen inditum fuisse dicunt. Et Cassius Parmensis, de quo omnis haec scriptio a nobis suscepta est, a Viris Doctis tantum non omnibus hodieque nominari et allegari solet *Cajus Cassius Severus Parmensis*[17]). At neque *Caji* praenomen nec *Severi* cognomen ullius testimonio scriptoris potest firmari. De cognomine cum jam Maffejus prudenter admonuerit; est sane quod mireris, illud probatum esse ab Kordesio ad Eberhardti libr.: *Ueber d. Zustand d. schön. Wissensch. b. d. Römern*, §. 34. p. 190. Qui ibidem ab Kordesio commemoratus est Jo. Mollerus in Homonymoscop. p. 408.,

17) Sufficiet commemorasse recentissimum et laudatissimum ex hoc genere librum: *Joh. Chr. Fr. Baehrii Geschichte d. Röm. Literatur* §. 35. p. 87. ed. 2.

eorum notavit errorem, qui cum Cassio Severo Parmensi confuderunt *Cornelium Severum*, ejusdem, ut ait, temporis poetam, belli Siculi et poematis de Aetna scriptorem[18]). Mollerus cogitat de illo Cornelio Severo, quem versificatorem quam poetam meliorem dicit Quintilianus Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 89. et quem alii commemoratum inveniunt apud Ovidium ex Pont. Libr. IV. Eleg. 2. v. 1. sq.

Quod legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis:

ubi Jac. Micyllus adnotavit, duo fuisse illa aetate poetas *Severi* nomine, alterum Cassium Severum Parmensem, qui tamen hic per temporis rationem intelligi non possit, alterum Cornelium Severum. Micyllum Parmensi Cassio *Severi* cognomen tribuentem quid in fraudem hic induxerit, nemini potest esse obscurum; recte autem illum Ovidii locum refert ad Cornelium Severum, de quo idem Ovidius ex Pont. Libr. IV. Eleg. 16. v. 9.:

Quique dedit Latio carmen regale Severus:

quem locum pariter ac superiorem de bello Siculo Cornelii Severi accipiendum esse, fusius ostendi in Excursu III. ad Comment. *de L. Vario Poeta* p. 150. Sunt enim qui Severum Ovidii poetam tragicum faciant, eumque non *Cornelium* sed *Cassium* Severum nominent: cujus mirificae allucinationis nomine notandus est ipse Fr. H. Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 262., deceptus exemplo et auctoritate P. Scriverii in Collectan. p. LX. et Ant. Delrii in Syntagm. Trag. Lat. P. I. p. 27. sqq.

---

18) Carmen illud *de Aetna* ἀδέσποτον, ab aliis *Quintilio Varo* tributum, multo probabilius compositum esse a Lucilio Juniore, monui in Excurs. I. ad Comment. *de L. Vario Poeta* p. 132.

Caeterum Scriverius etiam et Delrius Cassio Parmensi cognomen *Severi* impertiunt, communi isto errore ducti, a quo tamen sibi cavit Bothius. Recte: nam ad tuendum illud vindicandumque cognomen nemo erit qui testem producat istum Apulejum, in cujus libello de Orthographia §. 28. legimus: „*Cassius Severus in IV. tragoedia* . . .“, ubi A. Majus non dubitavit intelligere Cassium Parmensem, a quo multas tragoedias scriptas esse attestentur Acron et Porphyrion, Horatii Scholiastae. In Maji sententiam transiit Fr. Osannus p. 62. sq. At verissime, si quid judico, Jo. Nic. Madvigius in Prolus. Acad. Hafn. 1829. p. 21. sq. conjecit, istum Apulejum ex loco Ovidii ex Pont. Libr. IV. Eleg. 16. v. 9. male intellecto, cum pro Cornelio Severo Cassium significari putasset, eumque vulgari errore cum Parmensi confudisset, hunc Cassium Severum tragicum effecisse. Contra hanc Madvigii sententiam disputavit Fr. Osannus in Jahnii Annal. Litter. et Paed. Vol. XIII. p. 323. sq., nec tamen effecit, ut propter unum Apulejum, testem corruptum et propter ipsum tempus, quo vixit, ut Jurisconsultorum verbo utar, intestabilem, Poetae Parmensi cognomen *Severi* adhaesisse credam.

Quaerentibus autem nobis fontem, ex quo ille error emanaverit, non est ad intelligendum difficile, inde factum esse, quod, qui primum de Romanorum litteris scripsere Viri Docti, Cassium Parmensem Poetam cum Cassio Severo Oratore, de quo modo diximus, per incuriam quamdam confuderunt. Jam quo major illorum erat auctoritas et doctrinae fama, hoc plures, ut fieri assolet, inveniebantur, qui, re non amplius explorata, sequerentur et istum errorem veluti per traducem ad nostram usque

aetatem propagarent. Et quis non miretur, magnum illum virum, G. J. Vossium de Poet. Lat. c. 2. p. 237. Tom. III. Opp. commiscuisse Cassium Severum Oratorem cum Cassio Parmensi Poeta? Atque hunc Vossii errorem repetierunt multi, licet eum jam L. Gyraldus de Poet. Lat. Dial. IV. p. 160. Opp. notaverit, et utrumque Cassium recte distinxerit P. Crinitus de Poet. Lat. Libr. III. c. 47. p. 469.

Qui autem factum sit, ut Cassius Parmensis praenomen *Caji* inveniret, fateor me nescire, nisi statueris, Cassium Poetam confusum esse cum *C. Cassio Longino,* principe conjuratorum et M. Bruti socio: quo nomine vel nostra memoria castigandus est Harlesius in Introd. in Not. Litt. Rom. Vol. II. §. 15. p. 222. Primus, ni fallor, praenomen *Caji* poetae illi Parmensi praefixit P. Pithoeus, teste J. A. Fabricio in Bibl. Lat. Tom. III. p. 241. Ern., illique assensit P. Burmannus in Anthol. Lat. Libr. I. Epigr. 135. Vol. I. p. 97.

Verum tamen utrique nomini, quod vidimus omni fide historica destitutum esse, apud Nostrates insigniorem commendationem et auctoritatem suo assensu conciliavit vir magni nominis et excellentis doctrinae, Christoph. Saxius, qui in Onomast. Litter. Tom. I. p. 170. haec scripsit: „*C. Cassius Severus Parmensis, unus percussorum Caesaris, subitus versificator.*" De praenomine et cognomine Cassii Parmensis nihil amplius dicam; sed quum eximius ille vir eundem appellat *subitum versificatorem,* existimandus est alii errori multoque graviori patrocinatus esse. Nam id apertum est, Saxium in ea fuisse sententia, ut Cassium Parmensem non diversum esse censeret a Cassio Etrusco, itaque faceret

cum Henr. Glareano, Georg. Fabricio, Jac. Cruquio, Lambino, Dacerio, Sanadono aliisque Horatii interpretibus. Jam, ne quid dissimulem, fatendum est, hujus sententiae si non auctores, certe fautores habendos esse veteres Horatii Commentatores. At horum Scholia in confesso est quam multis in partibus detruncata atque interpolata ad nostram pervenerint aetatem, ut, qui eis ad historiae rerumque fidem vel stabiliendam vel convellendam uti velit, summa ei circumspectio sit adhibenda. Quapropter non est quod L. Torrentium vituperemus ambigentem, num Scholiastis ea in re auscultandum sit, praesertim cum de Etrusco et Parmensi Cassio tamquam de uno eodemque homine minime tam plane et expresse loquantur, ut dubitationi nullus relinquatur locus.

Omnium tamen, quos sciam, acerrimus ac disertissimus illius, cui Saxius favebat, sententiae vindex haud dubie est Jo. Massonus in Vit. Horat. ad an. U. C. 724., qui, quod satis mirari nequeas, ipsum Ruhnkenium ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 88. §. 1. in fraudem induxit. Alios ejusdem sententiae patronos, in his P. Scriverium l. c., R. Bentlejum ad Horat. Libr. I. Sat. 10. v. 59. et Burmannum ad Anth. Lat. l. c. atque unum itemque alterum Poetae Venusini interpretem, cum eam rem minime cum cura examinaverint maluerintque aliorum quam suopte uti judicio, hic silentio praetermittam. Qui autem a Torrentii partibus steterunt Viri Docti et Cassium Etruscum diversum fuisse censuerunt a Cassio Parmensi, commemorati sunt ab Kordesio ad Eberhardti librum cit. §. 34. N. z. p. 208., quibus R. van Ommeren Batavus in libr.: *Horaz als*

Mensch u. Bürger von Rom, Praelect. II. Not. 71. ex vers. L. Walchii p. 155., et Eichstadius in Addend. ad Haberfeldti Horat. Tom. IV. p. 226. sq. addendi sunt. Inter eos facile principatum tenet Scip. Maffejus, qui sive doctrinae copiam spectas sive argumentorum, quibus sententiam suam communiverit, pondus, non dubitari potest quin palmam praeripuerit ipsi Heindorfio ad Horatii Libr. I. Sat. 10. v. 61. Uterque autem suo quisque Marte Massoni opinationem impugnavit et Torrentii modestam suspicionem rationibus tam perspicuis et ad persuadendum aptis confirmavit, ut valde mirum me semper habuerit, quid tandem Fr. A. H. Spohnium permoverit, ut veteris istius ac paene explosae sententiae patrocinium denuo susciperet, teste Jahnio ad Horat. Libr. I. Sat. 10. p. 250. Verum enim vero cum res ipsa, de qua scribere coepi, tum etiam Spohnii doctrina et auctoritas me impellunt, ut primum locos Horatianos, in quibus utrumque Cassium Poetam commemoratum legimus, singulatim pertractem et, adhibitis Scholiastis aliisque, si qui sunt, testibus, cum cura examinem, deinde rationibus, quae in utramque partem prolatae sunt, diligenter compositis ac sine cupiditate ponderatis, evincere studeam, utra verior sit censenda Virorum Doctorum sententia. Quodsi docuero, locis Horatianis notas quasdam esse impressas cum ipsa ratione non minus quam fide historica conspirantes, quibus, vel refragantibus Scholiastis, Cassios istos alterum ab altero internoscamus necesse sit, mihi fortasse continget esse tam felici, ut controversiam diu multumque inter Viros Doctos agitatam in perpetuum componam.

§. 8.

Horatius in Libri I. Satira decima, egregia illa studiorum suorum poeticorum contra obtrectatores ac stolidos Lucilii admiratores Apologia, quam Spohnius mense Octobri a. U. C. 723. compositam esse putat, ad vindicandum sibi liberum de Lucilio judicium callide v. 53. ad exemplum ipsius Lucilii, quem dicit fuisse peracrem de Ennii et Attii versibus judicem, provocat et v. 56. pergit:

Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus: Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis.

His Poetae Venusini verbis subjiciam ea, quae in Scholiis adnotata legimus. Acron ad v. 61. Etrusci: „*Parmensis, quia de Parma civitate erat Hetruriae.*“ — Ad v. 62. rapido ferventius amni: „*Cassium malum poetam rapido amni, qui multa purgamenta secum trahit, comparat, qui multos* (sc. versus) *in parvo momento scripserat nullius utilitatis: ideo post mortem decrevit Senatus, ut libri cum corpore incenderentur.*“ — Porphyrion ad v. 61.: „*Cassium Hetruscum Parmensem dicit, cujus tragoedia Thyestes exstat.*“ — Ad v. 64. Ambustum: „*Aspere, quod tam verbose aut tam multa scripserit, ut, cum non viderentur legi digna, illis ipsis mortuus exustus sit.*“ — Scholiastes Cruq. ad v. 61.: „*Parmensis, quia de Parma fuit, quae*

est Etruriae civitas, cujus tragoedia Thyestes exstat." — Ad v. 62.: „*Cassium poetam comparat amni rapido, qui multa purgamenta secum trahit: ita Cassius multos versus parvi momenti scribebat: ideo post mortem decrevit Senatus, ut libri cum cadavere exurerentur.*"

Quae his in Scholiis memoratu digna sunt, huc fere redeunt. Primum dicitur *Parma* esse civitas Etruriae. Quamquam Etrusci olim planitiem Padi inter Ligures et Illyrios incoluerunt et ripas Benaci, Sebini et Larii lacuum attigerunt, ut ostendit C. Od. Müllerus in libro eximio: „*Die Etrusker*" T. I. p. 134.; tamen dubitari licet, num Parma dici haberique possit civitas Etruriae. De ejus origine nihil quidquam traditum legimus et Mannertus in Geogr. Gr. et Rom. Tom. IX. P. 1. p. 218. eam Celticae originis pagum fuisse suspicatur. Gallis enim Italiam invadentibus Boji eam planitiei Padanae occupaverunt regionem, in qua serius sitae erant Parma, Mutina et Felsina; Boji autem Celtae erant et in Italiam, superatis Alpibus, descenderunt circiter a. U. C. 364., ut docuit Müllerus l. c. p. 158. Felsina posthac dicta est Bononia, cujus originem Etruscam multi scriptores contestantur, ut Livius Libr. XXX. c. 37., XXXVII. c. 57., Vellejus Pat. Libr. I. c. 15. §. 2., Suetonius Aug. c. 96., quibus addatur Plinius N. H. Libr. III. c. 15.: „*Intus* (octava regione Arimino, Pado et Apennino determinata) *coloniae, Bononia, Felsina vocitata cum princeps Etruriae esset, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia.*" Ager Bononiae, ut Livius Libr. XXXVII. c. 57. ait, captus de Gallis Bojis fuerat: Galli Tuscos expulerant. Bononiam sub Gallis quoque Felsinam esse appellatam, idem Livius testatur Libr.

XXXIII. c. 37. Atqui Parmae, dum Tusci, Galli et Boji illam regionem tenebant, nulla fit mentio, sed demum seculo post U. C. sexto memoratur. Nam anno U. C. 571. M. Claudio Marcello et Q. Fabio Labeone Coss., ut auctor est Livius Libr. XXXIX. c. 55., „*Mutina et Parma coloniae Romanorum civium sunt deductae. Bina millia hominum in agro, qui proxime Bojorum, ante Tuscorum fuerat, octona jugera Parmae, quina Mutinae acceperunt.*“ Si igitur Parmae origo ad antiquiora tempora reducenda sit, praestiterit ad Bojos eam referre quam ad Tuscos, praesertim cum dubium sit, num tractus ille paludosus, in quo sita erat Parma, jam tum ab illis cultus fuerit[19]). Sin autem Parma, pulsis demum ex illa regione Etruscis, condita est, nullo jure videtur appellari posse civitas Etruriae. Atque inde intelligitur, cur, exceptis Horatii Scholiastis, nemo scriptorum veterum tradiderit, Parmam fuisse urbem Etruriae.

Deinde quod Acron et Scholiastes Cruq. tradunt, a Senatu decretum fuisse, ut Cassii Etrusci libri, quia nullius essent pretii, cum cadavere ejus incenderentur, id, si rem simpliciter spectamus, prorsus absonum est perque ridiculum. Nam quo tempore Cassius ille existimandus est obiisse, nondum coeptum erat animadverti in monumenta ingenii, id quod Augusti demum sub imperio usu venisse observat M. Seneca Controv. Libr. V. p. 321. Bip. Atque supplicia sumpta sunt de studiis T. Labieni, Cassii Severi et Cremutii Cordi, eorumque scripta Senatus consultis abolita, cum partim referta

19) Conferri possunt, quae de finibus et ambitu Etruriae disseruit *B. G. Niebuhrius* in *Röm. Gesch.* Tom. I. p. 119. sq. ed. 2.

essent contumeliis in summos ac nobilissimos quosque homines, partim tanta composita libertate, quantam suspicax Augusti Tiberiique imperium ferre non posset[20]). At Cassii Etrusci carmina, invenusta quidem et futilia, tamen innoxia et minime odiosa quis sibi persuadeat verumque esse putet Senatus decreto combusta esse? Nugae profecto sunt excogitatae sive a Grammatico, qui, neglecta omni temporum hominumque ratione, hunc Cassium, ut jam Ruhnkenius et Heindorfius suspicatur, cum Cassio Severo oratore confunderet, sive, quod malim, a librario stupido et male sedulo. Neque enim Helenio Acroni tam turpem imputaverim errorem: qua in opinione me confirmat Porphyrionis ea de re silentium. Mittamus igitur istud Senatus decretum, quod confictum est ab homine, qui Horatii mentem ac consilium non assequeretur. Permirum utique est, quod Horatius de illa re locutus est tamquam incerta et quam fando tantum accepisset. Quidni pro certo affirmat, Cassium Etruscum capsis librisque esse ambustum? Num illud multis seculis ante factum jam exciderat hominum memoria temporis diuturnitate oblitteratum? Et cur tandem Cassii cadaver carminibus, quae ille vivus scripserat, combustum est? Haec et alia, quae attentum hujus loci lectorem suspensum dubitantemque teneant necesse est, me adducunt, ut, quidquid de Cassii Etrusci sepultura hic relatum legimus, ab Horatio jocose fictum esse credam. Cui suspicioni meae multum probabilitatis accedit ex v. *ambustus*, quod tantum abest ut idem sit quod *combustus*, ut illud eodem cum acumine usurpatum esse putem, quo Libri IV.

---

20) Ea de re infra copiosius expositum est in Excurs. II.

Od. 11. v. 25. *ambustus* dicitur Phaëthon et apud Ciceronem pro Milon. c. 5. §. 12. *ambustus tribunus plebis.* Horatius enim indicare vult, illum conjectis in rogum libris quasi ustulatum esse. Sic plus irrisionis inest ac joci. Ac simul discimus, non tam copiam, quam vilitatem carminum a Cassio scriptorum hic declarari. Multitudinem enim si Horatius voluisset indicare, mihi non dubium est quin scripsisset *combustum,* quo significaretur, totum rogum ejus libris exstructum fuisse. Quid autem Poeta in hoc commenticio sepulturae genere spectaverit, non erit ad intelligendum difficile, si totius loci consilium accurate consideraveris. Si licuit, inquit Horatius, Lucilio versus Ennii et Attii reprehendere, quid vetat me quoque illius scripta examinare, et videre, num ille vel sua culpa vel rerum, quas tractat, natura et vitio versus fecerit incompositos et asperos, an id tantum sibi proposuerit, ut versus quotidie faceret quam plurimos. Repetit igitur variata paululum oratione judicium, quod Satir. IV. v. 9. de Lucilio fecerat:

in hora saepe ducentos,

Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.

Quibus verbis nihil aliud notatur quam Lucilii in versibus scribendis velox et festinata opera, qua factum esse ait v. 11. ut, cum flueret lutulentus, esset quod tollere velles [21]). Jam quod Satira quarta per imaginem a flumine petitam uno verbo „*lutulentus*" declaratur, idem hic significatur mentione et exemplo Cassii Etrusci, cui ingenium tribuitur rapido ferventius amni. Quod ne quis in laudem illius dictum acciperet ac cogitaret de vate quodam,

---

21) Illum Horatii locum accuratius tractavi infra in Excurs. III.

altero Pindaro, qui item Libr. IV. Oda 2. dicitur velut amnis monte decurrens fervere immensusque ruere ore profundo, festiva admodum et joculari fictione subjecit Horatius, illum capsis librisque propriis ambustum esse. Haec utique ad Lucilium non spectabant: acumen enim comparationis inest tantum in vv. *rapido ferventius amni*; Lucilius autem similis erat Cassio Etrusco in fundendis summa velocitate versibus, unde apud Cassium nata esse postremis verbis indicatur ea carminum vilitas et tenuitas, ut rogo scriptoris imponerentur et exstincto eo simul exstinguerentur atque ex usu et notitia hominum evanescerent. Qua in re dubitari nequit quin Horatius suo more simul id spectaverit, ut tecte et quasi aliud agens stomachum faceret Lucilii admiratoribus, utqui, si Lucilium suum compositum comparatumque viderent cum tam misello et contempto versificatore, qualis fuisset Cassius Etruscus, non possent non vehementer indignari et ira excandescere. Verum tamen, utcumque de commenticia Cassii sepultura judicatur, id in aprico est, hunc Cassium Etruscum non laudari hic ab Horatio, sed irrideri et commemorari tamquam malum poetam atque in eo vitiosum, quod pariter ac Lucilius versus festinante stylo effuderit et metuens laborem limae chartis illeverit. Atque Acron Scholiastes eum expressis verbis appellat *malum poetam*, qui rapido amni multa purgamenta secum trahenti assimilatus sit, quod multos versus in parvo momento scripsisset nullius utilitatis: qua quidem interpretatione nihil potest esse verius[22])!

---

22) Comparatio vel orationis vel dicentium cum flumine satis obvia est apud utriusque populi scriptores, sed pro scribentis

Denique Porphyrion et Scholiastes Cruq. referunt, illius Cassii Etrusci exstare tragoediam Thyestem. Si memineris, illud argumentum quam frequenter a tragicis utriusque populi poetis in scenam fuerit productum, ut probavi in Comment. *de L. Vario Poeta* §. 13. N. 67.; non incredibile tibi videbitur, etiam Cassium Etruscum, malum quidem at industrium poetam, idem argumentum tractandum sibi sumpsisse et Thyestem edidisse. Verum tamen si ulla in his Scholiis verba reperiuntur de origine spuria in suspicionem vocanda, ea profecto sunt, quae apud utrumque Scholiastam iisdem litteris totidemque syllabis leguntur: *„cujus tragoedia Thyestes exstat.“* Nam primum Acronis ea de re silentium non parvi est faciendum. Deinde locus, cui ista verba allita sunt, plane ineptus est isti adnotationi. Thyestae illius tragoediae mentio si facienda erat, eam oportebat conjungi cum v. 62., ubi de Cassii poematis sermo esset. Enimvero sciolus quidam librarius, quisquis fuit, quum autumaret, Etruscum et Parmensem Cassium unum et eumdem esse poetam, et compertum haberet, a Parmensi scriptam esse Thyestem, sine haesitatione ista, quae suspectamus, verba appinxit ei loco, in quo agebatur

---

consilio admodum diversa; vid. Interpr. ad Horatii Libr. I. Sat. 7. v. 27. et quos allegat Baehrius ad Plutarchi Alcibiad. c. 21. p. 179. Adde nobilissimum locum Callimachi ex Hymn. in Apoll. v. 107.:

Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος· ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ᾽ ὕδατι συρφετὸν ἕλκει,

quem si Blomfieldus ad h. v. p. 95. suspicatur Horatio de Cassio Etrusco scribenti obversatum esse, fallitur, nec vidit, diversissimam esse utriusque loci rationem. A Callimacho enim, qui *μέγα βιβλίον* esse existimaret *μέγα κακὸν*, illis versibus perstringi Apollonii Rhodii Argonautica, ostendi in libr.: *Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius v. Rhodus.* Kap. I. §. 13. p. 78. sq.

de Parma, Etruriae civitate. His rationibus adducor, ut aperte et simpliciter negem, Etruscum Cassium umquam edidisse Thyestem, eamque tragoediam Scholiastarum aetate adhuc superstitem fuisse. Nam si qua tum exstabat hujus nominis tragoedia, ea fuerit necesse est aut L. Varii aut Cassii Parmensis, de quo nunc planius dicam.

§. 9.

Cassium Parmensem Horatius commemorat Libri I. Epistola *quarta*, quam Albio Tibullo inscripsit, v. 3.:

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?

Ad quem locum v. 3. Acron de Cassio Parmensi: „*Hic aliquot generibus stylum exercuit: inter quae opera elegiaca et epigrammata ejus laudantur. Hic est, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum militavit: quibus victis Athenas se contulit. Quintus Varus ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit et peremto eo scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt, Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas alias tragoedias.*“ — Porphyrion: „*Hic,* inquit, *est Cassius, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum militavit; quibus victis Athenas se contulit. Q. Varus ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit et perempto eo scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt, Thyestem Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas tragoedias Cassius.*“ Quae in Scholiis Cru-

quianis leguntur, ea hic transscribere supersedeo, utquae cum eis, quae apud Acronem leguntur, ad verbum conspirent[23]).

Quae hic apud veteres Horatii Commentatores de Cassio Parmensi relata legimus, ea tantum non omnia, ut in se sunt verisimilia, ita etiam ex veteri et illustri fama ducta esse videbimus, si discesserimus ab uno isto errore de Thyeste tragoedia per Varium furtim ablata et edita: qua de re satis expositum est in Comment. *de L. Vario Poeta* §. 13. Atqui haec ipsa tragoedia, qualem etiam Cassio Etrusco ab Scholiastis adscriptam esse vidimus, praecipue in caussa fuit, ut Viri Docti in utroque Horatii loco unum eundemque Cassium deprehendere sibi viderentur. At hoc argumentum quam leve sit atque infirmum, nemo non intelligit. Nam ut concedamus, quod minime concedendum est, genuina esse ista Scholiastarum de Thyeste, Cassii Etrusci tragoedia, verba, quis non videt, inde non certi quidquam posse colligi, quo illud utriusque poetae discrimen tollatur, cum ab utroque Cassio tragoedia cognominis scribi potuerit atque exstare. Alterum argumentum, pro quo, secundum Dacerium et Sanadonum, inprimis Massonus propugnat, repetitum est ab urbe Parma, quae cum ad Etruriam pertinuisse crederetur, illi non dubium est visum, quin, qui fuisset Parma oriundus, potuisset etiam

23) Haec Scholia tractavi jam in Commentat. *de L. Vario Poeta* §. 13. Burmannus ad Anthol. Lat. Vol. I. p. 98. ex Cod. Franequer. affert verba Glossatoris ad h. l. Horatii de Cassio Parmensi: „*Hic Epicurus fuit et poeta*“: quae emendat: *hic epicus fuit poeta.* Ingeniosius tentavit Ruhnkenius ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 88. §. 1.: *hic Epicureus fuit et poeta.* De re ipsa nihil affirmaverim; licet me non lateat, quot viri illa aetate de grege Epicuri fuerint.

promiscue appellari Etruscus. Jam qui Scholia ad Satir. X. v. 61. scripserunt, eis negari nequit Cassium Parmensem videri obversatum esse; at mirum hercule est, quod Scholiastae ad Epist. IV. v. 3., quamvis accurate et copiose de Cassio Parmensi exponant, nihil monuerunt, hunc esse eumdem, qui alio loco ab Horatio cognominatus esset Etruscus. Inde haud temere nobis videmur conjicere, ista de Cassio Etrusco, qui idem sit ac Parmensis, non profecta esse ab Acrone. Praeterea a nobis supra demonstratum est, quam dubia et incerta sit Etrusca Parmae origo. Et etiamsi verum esset ac fide scriptorum comprobatum, Parmam olim pertinuisse ad Etruriam, tamen non tanta inde isti sententiae accedere potest auctoritas, quanta vulgo putatur, ut jam admonuit Scip. Maffejus. Is autem quum negat, *Etrusci* nomen a terra, quam Tusci obtinuissent, assumptum Horatii aetate jam in usu fuisse, vereor, ut verum viderit. Nam, licet vocabulum „*Etruscus*" pro „*Tuscus*" post M. Catonis tempora demum usurpari coeptum sit, observante Niebuhrio in Histor. Rom. T. I. p. 113. ed. 2.; tamen Horatius ad designandum hominem in Etruria natum illo uti potuit. Ac quum idem Maffejus contendit, natalicium nomen nemini cuiquam impositum esse a terra patria, sed ab urbe, in qua natus esset, aut quid sentiret, non satis perspicue explicavit, aut per errorem lapsus est. Nam, ut eos transeam, qui nobis *Galli*, *Marsi*, *Afri* cognominibus innotuerunt[24]), sic ille, qui apud Plutarchum in Vit. M. Antonii c. 67. *Ἀλέξανδρος ὁ Σύρος* appellatur,

24) Vide, si placet, quae ea de re disserui in Comment. *de Domitio Marso Poeta* §. 1. p. 242. sqq.

alias c. 73. nominatur Ἀλεξᾶς i. e. Ἀλέξανδρος ὁ Λαοδικεύς. Itaque per se nihil obstabat, quo minus ille Cassius promiscue nunc Etruscus nunc Parmensis designaretur. At sunt alia, quae huic sententiae adversa fronte repugnent. Et recte Maffejus nomen *Etrusci* pro cognomine illius Cassii perpetuo ac stabili habet, quod illum aut ipsum aut unum ex majoribus ejus invenisse suspicamur. In usu autem illud fuisse et nulla loci natalis ratione habita tributum, illustri documento est ille *Claudius Etruscus,* qui Tiberii Caesaris libertus sub Imperatoribus sequentibus, varia quidem usus fortuna, ad magnos honores majoresque opes pervenit et senex octogenarius sub Domitiano mortuus est. Celebrantur ejus thermae ab Statio Sylv. Libr. I. Carm. 5. et a Martiale Libr. VI. Epigr. 42. et in ejus mortem exstat Epitaphium Martialis Libr. VII. Epigr. 40. cl. Libr. VI. Epigr. 83. Ille libertate donatus patroni sui nomini adjecerat *Etrusci* cognomen, licet Smyrnam urbem natalem habuisset, ut attestatur Statius Sylv. Libr. III. Carm. 3., quod *Lacrimae Etrusci* inscribitur, v. 60. Porro commemoratur a Maffejo *Herennius Etruscus*, Trajani Decii filius, cujus integrum nomen *Q. Herennius Etruscus Messius Decius* occurrit in Numis ap. Raschium L. N. II. 2. p. 228—232. et in Inscriptt. ap. Orellium N. 995. et 996. Denique a Kordesio ad Eberhardti libr. c. §. 34. N. *gg.* p. 210. additur *Etruscus Messenius,* cujus Epigramma in Piscatorem legitur in Brunckii Anal. Tom. II. p. 307. cl. Jacobsii Animadv. Vol. III. P. 3. p. 892. Hos omnes certum est non tulisse a terra natali nomen *Etrusci*. Atque idem de Cassio Horatiano dicendum est, qui aut vehementer fallor, aut si a solo patrio designandus erat, non

Cassius Etruscus, sed *vates Etruscus* nominandus fuisset. Sic, ut hoc utar, Virgilius nomine *vatis Etrusci* insignitur a Phoca Grammatico:

His fave dictis: retegenda vita est
Vatis Etrusci, modo qui perenne
Romulae voci decus adrogavit
Carmine sacro;

quoniam Mantua Etruscorum urbs habita est ex certissimis scriptorum testimoniis [25]). Jam sicut nemo, opinor, probabit, *Virgilium Mantuanum* dici etiam potuisse *Virgilium Etruscum*, ita nego, *Cassium Parmensem* promiscue nominatum esse *Cassium Etruscum*, quoniam oriundus fuisset Parma, pro Tuscorum urbe habita.

Quae cum ita sint, magnopere metuo, ne Viris Doctis, qui sententiam suam de Etrusco et Parmensi Cassio tamquam uno eodemque poeta huic potissimum argumento superstruendam duxerunt, fraudi fuerit Scholiastarum ad Satir. X. v. 61. testimonium sublestum istud et explorata historiae fide prorsus destitutum. Neque iidem animum satis attenderunt, quantum reliqua ab Scholiastis de utroque Cassio narrata inter se discrepent! Age, et singula rerum traditarum momenta spectemus. Cassius Parmensis narratur fuisse in partibus Cassii et Bruti tribunus militum; de Etrusci militia et stipendiis nihil proditur. Parmensem Athenis peremptum esse tradunt;

---

25) Illa Phocae Grammatici leguntur in P. Burmanni Anthol. Lat. Libr. II. Ep. 186. Tom. I. p. 363., in Wernsdorfii P. L. M. Tom. III. p. 410. et in Testimoniis de Virgilio ap. Heynium T. I. p. XXXXVII. ed. Wagner. Wernsdorfius Phocam, quod Mantuam Etruriae adscripserit, erroris insimulat: injuria! Originem Mantuae Etruscam contestatur ipse Virgilius Aen. Libr. X. v. 198. sq. Cf. C. Od. Müllerus in libr.: *Die Etrusker*, T. I. p. 137. sqq. et p. 161. itemque Niebuhrius in Hist. R. T. I. p. 119.

Etruscum naturali morte obiisse tacite profitentur. Illius scripta ablata et scrinia expilata esse referunt; hujus capsas librosque cum ipsius cadavere exustos esse memorant. Illius varia genera carminum commemorantur; hujus tantum Thyestes tragoedia exstare fertur. Quae quidem omnia ita mihi videntur esse comparata, ut, etiamsi reliqua consentirent, tamen hic diversos inter se homines agnoscere cogeremur.

§. 10.

Verum tamen gravissimum omnium argumentum, quo vetamur Etruscum et Parmensem Cassium pro uno eodemque poeta habere, et quo simul, quae apud Scholiastas relata legimus, alia refelluntur, alia comprobantur, positum est in ipsius Horatii verbis eorumque recta interpretatione.

Atqui Viri Docti, qui in utroque Horatii loco unum eumdemque Cassium commemoratum invenirent, duplicem et plane oppositam inierunt interpretandi viam, cum sensissent, non potuisse eumdem poetam ab Horatio nunc laudari propter scripta carmina, nunc cum irrisione reprehendi. Proinde alii, qui intelligerent Cassium Parmensem eximie esse laudatum, probatum iverunt, Cassium Etruscum minime vituperatum esse; alii contra ostendere conati sunt, Cassium Parmensem quoque non tam laudari ab Horatio quam irrideri, ut hac ratione discrepantia utriusque loci tolleretur.

Prioris illius sententiae si non auctor, certe vindex et ingenio et doctrina praecipuus habendus est Ruhnkenius, qui ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 88. §. 1. de Horatii Sat. X. v. 61. ita disputat: „*Nec Horatius laudi, quam altero loco* (Epist. IV. v. 3.)

Cassio dedit, quidquam detrahit, sed tantum fervidi ingenii in versibus fundendis celeritatem et inde natam librorum multitudinem reprehendit.“ Scilicet Ruhnkenius in Acronis adnotatione, quam allegat, tot inesse dicit errores, quot verba! At ab Acrone Etruscum Cassium jure meritoque dictum esse poetam malum, non quod multos, sed leves imperfectosque versus fuderit, ego §. 8. abunde probasse mihi videor, ita ut, qui Cassium Parmensem ab Horatio laudari concedat, ut Ruhnkenius, necessario utrumque Cassium diversum esse debeat statuere. Quo factum est, ut alii, in his Spohnius, quem posterioris sententiae auctorem dico habeoque, contenderent, Parmensem Cassium pariter reprehensum esse ejusque carmina nequaquam ab Horatio cum laude commemorari. Ad hanc Spohnii opinationem et examinandam et refutandam necesse est rem paulo altius repetamus et de universa illius Epistolae Horatianae ratione ejusque consilio disputemus.

Et primum quod ad tempus, quo illa ad Tibullum data esse videatur, attinet, vix memoratu dignum fuerit, quod ea de re proposuit Massonus in Vit. Horat. ad an. U. C. 723. VI. p. 155. Is enim, cum Horatius de Cassio Parmensi loquatur ut mortuo, et hunc constet periisse post pugnam Actiacam, in aprico esse ait, Epistolam illam non potuisse scribi ante annum U. C. 723. Neque multum lucramur, si cum J. H. Vossio in Praef. ad Tibullum p. IV. ponimus, librum Epistolarum Horatianarum primum juris publici factum esse anno U. C. 733., ita ut ante hunc annum illa quoque Epistola necessario fuerit composita. Scimus, eidem Tibullo etiam inscriptam esse ab Horatio Libri I.

Odam 33., quae et ipsa vulgo putatur exarata esse circiter a. U. C. 723. At cum Tibullus ab Horatio in Libri I. Satira decima, quam cum Spohnio statuimus editam esse anno U. C. 723. exeunte, nondum inter amicos et aequos Satirarum judices numeretur, evidens est ac certum, neque Odam illam, nedum Epistolam, in qua Tibullus *candidus Sermonum judex* appelletur, ante annum U. C. 724. potuisse componi. Tempus, quo Horatius cum Tibullo familiariter fuerit conjunctus, certo definiri nequit. Jahnius in Annal. Philol. et Paedag. Vol. II. 2. p. 410. probabili ratione censet, illos familiares esse factos circiter a. U. C. 727. Cum autem Oda illa et Epistola summum spirent amorem, artam animorum necessitudinem atque intimum studiorum voluntatumque consensum, scriptionem utriusque carminis ad seriores annos rejiciendam esse liquet. In Oda admonet Horatius amicum, ut ne plus nimio doleat memor immitis Glycerae neve decantet elegos miserabiles. Jam cum nullum carminum Tibullianorum hodie supersit, in quo Glycera quaedam memoretur; Spohnius in Disputat. *de A. Tibulli Vit. et Carm.* Cap. II. p. 50. et Cap. V. p. 96. sqq. probare studet, Glyceram apud Horatium esse Deliam Tibulli, quae mutato nomine nunc Nemesis nunc Neaera appellata fuerit. Spohnius ab hac conjectura progressus verisimile reddit, Odam illam et Epistolam Horatii interno quodam rerum consiliique vinculo connexas esse et inter se aptas. Tibullus ex expeditione redux compererat, Deliam alii nupsisse. De Neaerae i. e. Deliae perfidia questus est Libri III. Elegia secunda, in qua se ferendo isti dolori imparem confitetur, et quamvis ipse se nonnumquam ad hilaritatem excitaret, ut canit

Libri III. Elegia sexta, tamen non potuit animi moerorem dispellere. Hoc tempore Horatius ex Spohnii conjectura ad Tibullum misit illam Odam, consolaturus amicum suum et exhilaraturus. Qua tamen cum nihil effecisset, non multo post ad eum Epistolam dedit, qua et ipsa amicum moerentem suavi alloquio excitaret. Huic conjecturae Spohnianae neutiquam obstat, quod in Epistola nihil de moerore isto ejusque caussa occurrit. In Oda Horatius doloris luctusque caussam suo more levius ac jocosius attigerat, ideoque nihil solatii amico attulerat; in Epistola circumspectius versatur et amici ejusque naturae mollis graviterque afflictae potiorem habet rationem. Infelicem amici amorem, quae erat ejus perspicacitas animi humani, prudenter silentio praetermittit ac se dubitantem nescientemque simulat, quid ille ruri agat? Et quum nequeat credere, amicum otio in villa frui inerti ac desidioso, ex eo quaerit, quod opus poeticum meditetur? Qua ratione tecte eum monet, ut litterarum studiis curas molestiasque amoris extenuet diluatque. Deinde quo citius ad pristinam animi hilaritatem redeat, eum commonefacit beneficiorum a Diis acceptorum, formositatis, divitiarum et sapientiae, qua vitae humanae finem intelligere ejusque bonis frui possit. Cui monito ut omnis abstergatur offensio, suaviter de se suaeque vitae ratione jocatur. Tibullum illo tempore in villa Pedana commoratum esse, ipsa Epistola docet. In eam procul dubio secesserat, ut aut dolori de perfida puella indulgeret, aut animi moestitiam villae inter Tibur et Praeneste sitae amoenitate dissolveret. Caeterum Spohnius illam Epistolam scriptam esse suspicatur circiter a. U. C. 728.

Jam quae a Spohnio de nexu utriusque carminis Horatiani ac consilio perscite perque ingeniose disputata sunt, eis facere non possum quin totus assentiar. At secus statuo de Glycera illa ac de tempore, quo Horatius illa ad Tibullum carmina composuisse dicitur. Ego enim, quod ad Glyceram attinet, faciendum esse arbitror cum Fr. Passovio in Seebodii *Archiv für Philol. u. Pädag.* Vol. II. 1825. p. 189. sqq., qui secutus testimonium Ovidii Libr. III. Amor. Eleg. 9. v. 31.:

Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
Altera cura recens, altera primus amor;

duas tantum puellas dicit a Tibullo fuisse amatas sic, ut prima cura esset Delia, postrema Nemesis, uti perspicue attestetur idem Ovidius ibidem v. 55.:

Delia discedens „Felicius", inquit, „amata"
„Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram."
Cui Nemesis „Quid" ait „tibi sunt mea damna dolori?
„Me tenuit moriens deficiente manu."

Cuivis autem quaerenti, utram ex illis puellis mente habuerit Horatius, Glycerae nomine dictam, facile sese offert *Nemesis*. Atque eam intelligit Passovius his potissimum rationibus permotus. Primum *Glycerae* et *Nemesis* nomina sibi respondent non solum numero, sed etiam quantitate syllabarum, ita ut Horatius morem istum in nominum permutatione a poetis usurpari solitum exacte observaverit[26]). Deinde *Nemesis* i. e. Glycera longe verius *immitis* dici poterat quam Delia. Illa enim avara fuit, ut Tibullus

---

26) De isto poetarum more copiosius a me expositum est in Comment. *de Iarbita Timagenis Aemulatore* §. 5. p. 412.

conqueritur Libr. II. Eleg. 4. ibique v. 6. *saeva puella* et Eleg. 6. v. 28. *dura puella* appellatur. Denique *miserabiles elegi*, quos Horatius commemorat, accipi possunt de Libri II. Elegiis 3. 4. et 6. Praeterea Passovius quoque statuit, Epistolam non multo post Odam illam ab Horatio ad Tibullum datam esse[27]).

---

27) Bauerus in Praefat. ad Tibull. p. VIII. sqq. inita subtiliore temporum annorumque ratione evincere studet, *Deliam* a Tibullo amatam esse per annos U. C. 723 — 726. ac *Nemesin* ab anno 733. usque ad annum 735. Quod interjectum illis annis esset temporis spatium, non vacuum amoribus fuisse dicit eique attribuit p. X. amorem *Neaerae*. De cujus fide et amore cum Tibullus inter spem metumque suspensus moestitiae se daret, ad eum Bauerus putat missam esse ab Horatio Epistolam illam. Sic igitur ei de tempore, quo illa scripta sit, cum Spohnio convenit. Ad idem illud temporis intervallum refert Bauerus amorem *Glycerae:* quam diversam esse censet a Delia, Nemesi et Neaera. Sed, ut dicam, quod sentio, periculum est, ne, ubi poetis veteribus tot puellas revera amatas tribueris, quot puellarum nomina in carminibus celebrata occurrant, ridiculo modo fallaris castosque antiquitatis poetas facias homines propudiosos! Nonne illi suas poterant habere rationes, ob quas nonnumquam vel ficta puellarum suarum nomina variarent, et, quo melius laterent, neglecta ista nominum permutandorum lege, permutarent? Nihil definiam, sitne *Delia* alio tempore dicta *Neaera.* Ipsum *Neaerae* nomen, jam ap. Homerum Odyss. Libr. XII. v. 133. obvium, gerebat etiam meretrix ap. Athen. Lib. XIII. c. 51. Tom. V. p. 120. Schw. Quod vero ad *Glyceram* attinet, non dubito negare, umquam hujus nominis puellam a Tibullo, brevis aevi homine, fuisse amatam. Nam *Glycerae* nomen apud Graecos frequens est: auctore Suida T. I. p. 486. Glycera ἑταίρα τις fuit, haud dubie filia Thalassidis ap. Athen. Lib. XIII. c. 6. Tom. V. p. 118. Schw., concubina Harpali, amata a Menandro: vid. Meineke ad Menandri Fragm. p. 39. Et sic Pausias, pictor Sicyonius, amavit in juventa *Glyceram* municipem suam, inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam, ut narrat Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 11. cl. Libr. XXI. c. 2. Romani id nomen mutuati blande imponebant puellis, quas amabant. Jam cum ipse Horatius puellam *Glycerae* nomine amaret, ut constat ex Libri I. Od. 19. v. 3. III. 19. v. 28.; non difficile est intellectu, cur hoc nomine usus sit ad designandam Tibulli *Nemesin.* Est h. l. *Glycerae* nomen appellative positum, *die Süsse,*

Cum igitur Tibullus postremis vitae suae annis ad mortem usque, quae accidisse putatur a. U. C. 736., deperierit Nemesin; consequens est suspicari, utrumque illud carmen Horatianum serius, quam Spohnius opinetur, scriptum esse. Atque in neutro carmine quidquam reperitur, quod huic suspicioni adversetur. Nam Librum Odarum primum carmina complecti, quae intra annos U. C. 718—736. composita sint, certum est. Neque obest, quod in Epistola *forma* tribuitur Tibullo, quem verisimile sit proximis ante mortem annis corpus habuisse morbis curisque maceratum. Nam *forma* seu *formositas* dicitur de decora corporis specie et apta omnium partium compositione, quae moveat alterius animum et ad venerationem adducat, ita ut etiam *senex* appellari queat *formosus*, non item *pulcher*, observante Manutio ad Ciceronis Epist. ad Divers. IX. 14. §. 9. Non igitur est, quod ideo de Delia, prima Tibulli cura, aliave puella cogitemus. Et acute etiam monet Passovius, verba ista Horatii v. 3. *cur tibi junior* etc. non posse commode referri nisi ad eum Tibullum, qui jam aetate provectus Nemesis amore perierit. Adde, quod Tibullus Libr. II. Eleg. 4. v. 53. metuit, ne jubeatur ab avara Nemesi villam suam vendere. Ubi locorum, quaeso, haec citius faciliusque ei in mentem venire poterant quam commoranti in villa Pedana et hanc Elegiam prorsus miserabilem exaranti? Idcirco Horatius in Epistola eum amice admonet divitiarum, quas possideat, et victus mundi et crumenae non

---

Dulcinea, et cum Nemesis dura, ut vidimus, et saeva esset puella, per suave oxymoron appellatur *immitis Glycera*, *die unholde Huldin*, ut vertit Jahnius p. 260. edit. 1.

deficientis. Quibus omnibus adducor, ut et Odam illam et Epistolam ad Tibullum ab Horatio scriptam missamque esse censeam circiter a. U. C. 733. seu 734. Atque mecum consentire nunc video Grotefendum in Gruberi et Erschii Encyclop. Sect. II. P. 10. p. 473.

§. 11.

Sed revocanda jam est scriptio nostra ab illa, quam fecimus, digressione ad Cassium Parmensem, cujus mentionem honorifice et peramanter injectam esse contendimus ab Horatio in Epistola illa ad Tibullum. Qui quum v. 1. nominatur *candidus Sermonum judex*, nemo, opinor, non ridebit mirifica commenta, quae Ph. Am. de Golbéry protulit in Comment. de Tibulli Vit. et Carm. §. 1. p. 441., cui non videtur a vero alienum esse, Horatium paene quadragenarium ac poetam clarum Satiras suas Tibullo, adolescentulo sedecenni, judicandas commisisse! — Ego quidem controversam hanc rem ita expediendam puto. Sicut Liber Satirarum primus ab Horatio absolutus editusque est sub finem a. U. C. 723., ita Librum secundum probabilibus ostendi potest argumentis evulgatum esse aut anno U. C. 726. exeunte aut ineunte anno U. C. 727. Ergo omnes Satirae scriptae sunt, priusquam Horatio artior familiaritas et usus cum Tibullo esset. Hac temporum rerumque ratione mecum reputata in eam deductus sum sententiam, ut Tibullum hic candidum Sermonum judicem salutari credam oppositum obtrectatoribus Satirarum malevolis et malignis earum lectoribus, quos Horatius, dum vivebat, expertus est quam plurimos, uti ex Epistolis permultis, inprimis ex illa ad Augustum, postrema omnium,

quas scripsit, apparet. Cum igitur Tibullus, Horatii amicus factus, de illo carminum genere, tam multis odioso, candide ac sine invidia judicasset, eo nomine in principio hujus Epistolae laudatur, et simul hac studiorum communium commemoratione ab Horatio, emunctae naris homine, traducitur ad id, unde praesentissima doloris ac moestitiae remedia petenda essent. Quis enim non videt, Horatium sic amico tecte suadere, ut aut legat carmina, quae hilarent animum, aut scribat, quibus ab amore ejusque curis avocetur? Neque tamen hoc Tibullo rectis verbis suadet, sed callide circuitione quadam usus et quasi ignarus aerumnosissimae, qua ille cum maxime conflictetur, sortis quaerit ex eo: quid dicam te facere in villa Pedana? dicamne, te scribere quod *vincat opuscula Cassii Parmensis?* Quo quidem in loco haud diffiteor habere aliquam ambiguitatem vv. *opuscula vincere*, quae duplicem admittunt interpretationem. Nam cogitari licet aut de virtutibus quibusdam carminum Cassianorum, ut, qui ea vincere tentet, aliquid praeclari et eximii moliri significetur, aut de certis quibusdam vitiis, ob quae carmina illa nota fuerint et apud homines eruditos contempta, ut, qui Cassio superior esse velit, carmina scribere notetur pessima ac vilissima. Posterior ratio videtur aliquatenus juvari v. *opuscula:* cui Deminutivo notionem contemptionis cujusdam et vilitatis inesse posse, nemo nescit[28]). Sed quid sit, cujus nomine Cassius Parmensis ejusque carmina apud Romanos in tanto fuerint contemptu atque infamia, quis, tacentibus illius tem-

28) Sic Horatius Libr. I. Epist. 19. v. 35. sua carmina per simulationem appellat *opuscula* et v. 42. *nugas*.

poris scriptoribus, tam sagax est ac divinus, ut investiget et ad quamdam probabilitatis speciem perducat? Id autem mihi, si quid aliud, certissime persuasum est, falli Spohnium aliosque, qui de vasto ambitu operum Cassianorum cogitent et Horatium faciant ex Tibullo quaerentem: dicamne, te opus moliri, quod ambitu suo vasta Cassii Parmensis opera superet[29])? Nam cum hac interpretatione non assequor quomodo conciliari queat Deminutivum „*opuscula*", quod utcumque accipis certe de operum vastitate et ambitu nullo pacto intelligi potest. Solent eo nomine in universum insigniri minora omnis generis poemata. Sic Plinius Libr. VII. Epist. 9. ingenii lusus et versus, quibus summi quique viri se exercebant et delectabant, commemorans ait §. 13.: „*Nam mirum est, ut his opusculis animus intendatur remittaturque.*" Idem Libr. VIII. Epist. 21. §. 4.: „*Liber fuit et opusculis varius et metris.*" Addatur Terentianus Maurus de Metris v. 1891.: „*Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper*": ubi intelligenda sunt A. Septimii Sereni *opuscula ruralia*, quae minutis variique metri carminibus constitisse docuit Wernsdorfius in P. L. M. Tom. II. p. 251. sqq. — Itaque si qua Parmensis Cassii vituperatio hic quaerenda erit, praestiterit cum Ruhn-

---

29) Jahnius ad Horat. Sat. X. p. 250., quae Spohnius de hoc loco in Scholis disseruerit, referens ita scribit: „*Fuit ille* (n. Cassius Etruscus sive Parmensis) *poeta multorum carminum, quae tamen nullius pretii erant. Errant enim, qui Cassium ab Horatio Epist. I.* 4. 3. *laudari putant. Ibi enim Horatius nihil dicit nisi: scribisne tu opus quoddam, quod vastitate sua etiam vasta Cassii opuscula superet?*" Et ad locum Epistolae l. ab Jahnio p. 274. adnotatum legimus: „vincat *sc. vasto ambitu, neque vero praestantia. Cassius enim multos et vastos libros scripserat, qui tamen nullius pretii erant.*"

kenio cogitare de copia ac multitudine librorum quam de vasto eorum ambitu.

Verum enim vero utramvis sequeris interpretationem, in eodem incili adhaerebis. Nam si statueris, Cassium Parmensem hic esse notatum ac reprehensum, fatearis necesse est, Horatium utrolibet nomine cum Tibullo, amico et candido Sermonum judice, non modo non candide et amanter, sed rustice adeo et inhumaniter egisse. Tibullus enim sic diceretur male uti otio suo, id si agere existimaretur, ut scribendis carminibus Cassii opuscula sive vasta sive copiosa vinceret. Adeone Horatium sui oblitum esse et humanitatem exuisse, ut ad amicum, cujus animum exhilarare vellet, ea scriberet, quibus ille non posset non laesum se violatumque putare? At quantum humanitatis ac suavitatis his in verbis inest, si Cassii opuscula praeclara ac venusta fuisse credimus; si Horatium ex diuturno Tibulli silentio suspicatum esse ponimus, amicum in villa delitescentem carmina meditari quae ipsis Cassianis quamvis egregiis praestent! Atque haec interpretatio unice vera et idonea est! Humanitatis erat, poetica amici opera componere cum praestantissimi alicujus poetae carminibus; prudentiae vero et cautionis, in consolando excitandoque amico vitare, quaecunque ejus animum levius gravius offendere possent.

Quapropter ne illud quidem ponamus licebit, Horatium, male sentientem de Cassii poematis, jocari tantum voluisse cum Tibullo ejusque vitam in villa otiosam ac desidem cavillari. Huic opinioni refragatur non modo consilium, sed ratio etiam et color totius Epistolae, in qua omnia, si finem exceperis, ad severitatem et gravitatem sunt composita et a quovis joco et ludibrio aliena. Poeticis Tibulli studiis,

quibus eum dicit ad Cassii Parmensis laudem et praestantiam adspirare, commemoratis statim subjicit v. 4.:

An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?[30])

Num quis dicet, his quoque verbis Horatium cum Tibullo cavillatum esse? Nonne potius fatendum est, illius reprehensionis et cavillationis in tota hac Epistola nec volam nec vestigium apparere? Adde, quod Tibullus, cum non nisi Elegiis suis praestans et clarus esset, percommode etiam componi poterat cum Cassio Parmensi. Is enim, ut Scholiastae testantur, licet in aliquot carminum generibus stylum exerceret, tamen in primis propter opera elegiaca laudabatur. Atque has ipsas Elegias ut hic Horatium mente habuisse et opusculorum nomine significasse putemus, suadet sententiarum series ac tenor. Nec dubium mihi est quin Wernsdorfius in P. L. M. Tom. II. p. 261., quum apud Horatium *opuscula* Cassii de carminibus bucolicis accipit, non minus in errore versetur quam Spaldingius ad Quintiliani Inst. Or. Libr. V. c. 11. §. 24., qui Cassii

30) Scholiastae improprie accipiunt v. *silvas:* Acron „*libros philosophorum appellat*", et Porphyrion „*libros φιλοσοφουμένους significat.*" Sic enim Porphyrionis verba correcta dedit jam G. Fabricius in Horat. Edit. Basil. 1555., quod latuisse videtur A. Majum ad Apuleji Fragm. de Orthogr. §. 28. p. 62. ed. Osann. Sed h. l. *silvae* proprie sunt intelligendae de eis, quae erant in vicinia villae Pedanae. Inter eas Tibullus reptabat, h. e. moestus et aegrotus incedebat. Propter situs amoenitatem appellantur *salubres,* i. e. bonae valetudini conducentes: sic ap. Ciceronem ad Divers. Libr. I. Epist. 57.: „*salubrisne an pestilens annus futurus sit.*" Horatius amici aegritudinem ejusque caussas, quibus adductus silvarum solitudinem quaereret, prudenter praeteriens suspicatur, eum per silvas obambulare philosophandi caussa et meditandi de eis, quae digna sint sapiente bonoque.

Epigrammata intelligi maluit. Nam nisi intellexeris Elegias easque amatorias, nulla apparebit ratio, ob quam dici potuerit Tibullus ruri id agere, ut Cassium Parmensem carminum praestantia vincat. Atque in eadem sententia, praeter Wielandum et Th. Schmidium, Epistolarum Horat. Editores, mecum esse video A. Matthiam in: *Grundr. d. Gesch. d. Gr. u. Röm. Litteratur* p. 186. ed. 3. et H. Paldamum in *Römische Erotik* p. 76., qui etiam Huschkii illepida commenta in Diar. Litter. Lips. 1825. N. 237. proposita haud inmerito exagitat.

At erunt fortasse qui dicant, Scholiastas tantum Horatianos de Cassii Parmensis operibus elegiacis mentionem facere, neque eorum fidem esse ejusmodi, in qua acquiescere possimus. Quibus autem quae respondeam, non desunt. Si enim paulo ante ratione evidentissima demonstratum est, Tibullum non nisi cum poeta elegiaco eoque praecellente sine offensa potuisse componi, in confesso, opinor, erit, testem de Elegiis Cassianis et auctorem locupletissimum adesse ipsum Horatium, cujus fides cum omnium aliorum scriptorum, tum inprimis Ovidii silentio minime labefactetur. Quemadmodum enim verisimillimum est, tristissima ista sorte, quam Cassius Parmensis Athenis subiisse fertur, simul ingenii ejus laudem carminumque memoriam obrutam esse ac deletam; ita etiam credibile admodum est, ejus mentionem consulto praetermissam esse ab Ovidio subtimente, ne illius laude in Augusti offensionem incurreret.

§. 12.

Nam Cassius Parmensis, cum unus ex percussoribus Julii Caesaris fuisset, in magno atque in-

expiabili, dum vivebat, odio apud Augustum fuit, ejusque jussu, tribus lustris post illud facinus paene peractis, Athenis crudeliter interemptus est. Operae pretium erit ante, quam de caussa, ob quam unus Horatius Cassium illum et memoraverit et eximia ingenii poetici laude ornaverit, aliquid dicamus, ea quae passim apud scriptores veteres de Parmensis Cassii vita rebusque gestis memoriae prodita legimus, recensere et, quoad ejus fieri potest, ad certum temporum ordinem revocare. Qua ratione futurum esse speramus, ut, quae Scholiastae Horatii tradiderunt, et dilucidentur et corrigantur et suppleantur totique loco Horatiano plurimum lucis afferatur.

Ab Scholiastis Cassius Parmensis Poeta dicitur in partibus Cassii et Bruti tribunus militum fuisse. Ejus rei fidem confirmat Appianus de B. Civ. Libr. V. c. 2., ubi *Κάσσιος ὁ Παρμήσιος ἐπίκλην* narratur a Cassio et Bruto relictus esse in Asia cum classe et exercitu, ut pecunias exigeret: id quod anno U. C. 712. ineunte factum est. Tum pergit Appianus: *Κασσίου δὲ ἀποθανόντος, οὐδὲν ἐλπίζων ὅμοιον ἐν Βρούτῳ, Ῥοδίων ἐπελέξατο* (sc. Cassius Parmensis) *νῆας τριάκοντα, ὅσας ἐνόμιζε πληρώσειν, καὶ τὰς λοιπὰς διέπρησε χωρὶς τῆς ἱερᾶς, ἵνα μὴ δύναιντο νεωτερίσαι. Καὶ ὁ μὲν τάδε πράξας, ἀνήγετο ταῖς τε ἰδίαις καὶ ταῖς τριάκοντα. Κλώδιος δὲ, ἐκ Βρούτου πεμφθεὶς ἐς Ῥόδον ἐπὶ νεῶν τρισκαίδεκα, τοὺς Ῥοδίους νεωτερίζοντας εὑρὼν (ἐτεθνήκει γὰρ ἤδη καὶ ὁ Βροῦτος) ἐξήγαγε τὴν φρουρὰν, οὖσαν ὁπλιτῶν τρισχιλίων, καὶ ἐς τὸν Παρμήσιον ἐχώρει. Ἀφίκετο δὲ αὐτοῖς καὶ Τουρούλιος, ἑτέρας ναῦς ἔχων πολλὰς καὶ χρήματα, ὅσα προεξείλεκτο ἀπὸ τῆς Ῥόδου. Ἐς δὴ τὸ ναυτικὸν τοῦτο, ὡς ἐς ἤδη τινὰ ἰσχὺν, συνέθεον ὅσοι ἦσαν κατὰ μέρη τῆς Ἀσίας ἐπὶ τῶν ὑπηρεσιῶν, καὶ αὐτὸ ὁπλίταις τε ἐξ ὧν ἐδύναντο ἀνεπλήρουν, καὶ ἐρέταις ἐκ θεραπόντων ἢ δεσμωτῶν, ἐπιπλέοντες δὲ ταῖς νήσοις, καὶ ἀπὸ τῶν νησιωτῶν. ἦλθον δ' ἐς αὐτοὺς καὶ Κικέρων*

ὁ Κικέρωνος, καὶ ὅσοι ἄλλοι τῶν ἐπιφανῶν ἐκ τῆς Θάσου διεπεφεύγεσαν· καὶ ταχὺ πλῆθος ἦν, καὶ σύνταξις ἀξιόχρεως ἡγεμόνων τε καὶ στρατοῦ καὶ νεῶν. Προσλαβόντες δὲ καὶ Λέπιδον μεθ᾽ ἑτέρας δυνάμεως, ὃ Βρούτῳ καθίστατο Κρήτην, πρὸς Μοῦρκον καὶ Δομίτιον Ἀηνόβαρβον, ἐπὶ μεγάλης δυνάμεως ὄντας, ἐς τὸν Ἰόνιον διέπλεον. καὶ αὐτῶν οἱ μὲν ἅμα τῷ Μούρκῳ διέπλευσαν ἐς Σικελίαν, καὶ τὴν ἰσχὺν Πομπηΐῳ Σέξτῳ συνῆψαν· οἱ δὲ κατέμειναν παρὰ Ἀηνοβάρβῳ, καὶ τὴν αἵρεσιν ἐφ᾽ ἑαυτῶν καθίσταντο. Τοιάδε μὲν ἐκ τῶν λειψάνων τῆς παρασκευῆς Κασσίου τε καὶ Βρούτου πρῶτα συνίστατο[31]).

Cassius Parmensis igitur procul dubio, cum M. Antonius Cos. Romae omnia miscere coepisset, relicta cum C. Cassio et M. Bruto Italia in Asiam fugerat ineunte mense Septembri anni U. C. 710. ibi-

31) Prudens sciensque transscribendum curavi integrum Appiani locum, utqui testis sit de Cassio Parmensi ejusque rebus gestis admodum disertus. Rhodios Caesarianis faventes sub finem anni U. C. 711. proelio navali devicerat C. Cassius et totam insulam, rem immanis operis, ut ait Vellejus Pat. Libr. II. c. 69. §. 6., acri atque prosperrimo bello ceperat, teste Appiano de B. Civ. Libr. IV. c. 65. sqq. Hinc Parmensis Cassius, comperta C. Cassii apud Philippos morte, classem suam Rhodiorum navibus triginta auxit et reliquas incendit, ut illi res novas moliri non possent. Jam *Clodius* quoque a M. Bruto post C. Cassii necem missus videtur, ut aut invigilaret Rhodiis rerum novarum studiosis, aut praesidium inde deductum Philippos adduceret. Sed, Clodio Rhodum navigante, M. Brutus vigesimo post primam pugnam die iterum confligit, vincitur ac perit: qua re audita Clodius se cum Cassio Parmensi conjungit. Hunc Clodium Pighius Annal. Rom. Tom. III. p. 478. sine certo auctore statuit Tribunum plebis fuisse a. U. C. 710. s. 711. Id autem mihi non dubium est quin idem sit ille C. Clodius, qui C. Antonium, Triumviri fratrem, a M. Bruto in custodiam ipsi traditum Apolloniae interfecisse dicitur a Dione Cass. Libr. XLVII. c. 24. Conferatur Drakenborch. ad Livii Epitom. Libr. 121. Praeter Clodium et Turullium, Cassio Parmensi se adjunxit etiam *M. Tullius Cicero*, M. filius, de quo vide Excurs. IV. De *Lepido*, quem cum alia manu, ut Appianus narrat, Cassius Parmensis assumpsit, nihil certi dici potest: Schweighäuserus suspicatur, eum esse filium L. Aemilii Pauli, fratris Triumviri.

que bello parando occupatus fuerat[32]). Tribunus militum factus et classi praefectus terra marique strenuum fortemque se gessit, et quanta apud commilitones fuerit auctoritate, inde colligi licet, quod C. Clodius, cum Cassius et Brutus, ultimi Romanorum, apud Philippos cecidissent, se cum classe ad eum contulit. Fuit quodammodo princeps eorum, qui Duumviris illis de medio sublatis, de recuperanda libertate non desperantes coiverunt nihilque sibi ad opprimendam Triumvirorum potestatem reliqui fecerunt. Facta illius classis divisione, Cassius Parmensis cum L. Statio Murco Siciliam petiit viresque addidit Sexto Pompejo, cui haud dubie magis confideret, quam Cn. Domitio Ahenobarbo, propriam factionem constituenti[33]). Hoc actum esse

---

32) Brutum et Cassium Urbe excessisse jam mense Aprili medio et Italiam reliquisse initio Septembris a. U. C. 710. ostendit G. Drumannus in libr. *Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung u. s. w.* Tom. I. p. 134. et p. 143. sq.

33) *Cn. Domitius Ahenobarbus*, auctore Suetonio Ner. c. 2., inter conscios Caesarianae necis, quamquam insons, damnatus lege Pedia se contulit ad Cassium et Brutum, a quibus classi praefectus mare Ionium tenuit variaque clade Triumviros afflixit: v. Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 7. ibiq. Fabricius. — *L. Statius Murcus* (v. Ciceronis Philipp. XI. c. 12.) ex praetura a. U. C. 709. ab Julio Caesare obtinuerat Syriam pro Consule missusque fuerat contra Caecilium Bassum, qui circa belli Africani tempus Syriam consilio privato occupare ausus erat, auctore Dione Cass. Libr. XLVII. c. 76. sq. Interfecto Julio Caesare cum aliis Capitolium petiit seque conjuratis adjunxit, ut facti particeps illius sociusque videretur: v. Intpp. ad Dion. Cass. Libr. XLIV. c. 21. T. V. p. 422. Strz. Cum Domitio Ahenobarbo conjunctus, devicit mari Domitium Calvinum primi proelii Philippensis die: v. Appianus de B. Civ. Libr. IV. c. 115. sqq. Utrique postquam Cassius Parmensis suam classem adjunxerat, Domitius propriarum partium dux factus est, donec ab Asinio Pollione cum M. Antonio reconciliaretur, teste Vellejo Paterc. Libr. II. c. 76. §. 2.; Murcus cum Cassio Parmensi ad Sext. Pompejum transiit, a quo proditionis

putabimus per annum U. C. 713. Ab hoc inde tempore Cassius Parmensis in Sexti Pompeji castris versatus contra Caesarem Octavianum non tantum in proeliis maritimis pugnavit, sed etiam, ut alias probabimus, istum Triumvirum sibi infensum epigrammatum aculeis petiit vulneravitque. Nam ex lege Pedia damnatus redeundi veniam nec sperare poterat neque impetrare volebat. Eum apud Sext. Pompejum mansisse usque ad annum U. C. 718., quo anno ille ab Agrippa inter Mylas et Naulochum victus est, licet nemo scriptorum veterum tradat, veri tamen est simillimum. Nam cum Sext. Pompejus, accepta ista clade, Asiam velis petivisset ibique contra Titium M. Antonii ducem ejusque ingentes terra marique copias, dissuadentibus amicis, imprudenter et, ut Vellejus ait, inter ducem et supplicem tumultuatus bellum pararet, accidit id, quod Appianus de B. C. Libr. V. c. 139. his verbis enarrat: *Κάσσιος δὲ ὁ Παρμήσιος, καὶ Νασίδιος, καὶ Σατουρνῖνος, καὶ Θέρμος, καὶ Ἀντίστιος, ὅσοι τε ἄλλοι τῶν ἀξιολόγων ἔτι τῷ Πομπηΐῳ παρῆσαν φίλοι, καὶ ὁ τιμιώτατος αὐτῶν Φάννιος, καὶ ὁ κηδεστὴς αὐτοῦ Πομπηΐου Λίβων, ὡς εἶδον αὐτὸν οὐδὲ Τιτίου παρόντος, ὅτῳ τὰ περὶ αὐτὸν Ἀντώνιος ἐπιτρέπει, παυόμενον τοῦ πρὸς τὸν ἀμείνονα πολέμου, ἀπέγνωσαν αὐτοῦ καὶ πράξαντος ὑπὲρ ἑαυτῶν πίστιν, ἐς Ἀντώνιον μετῆλθον* [34]). Inde probabili conjectura pro certo

---

insimulatus interfectus est a. U. C. 714., auctore Dion. Cass. Libr. XLVIII. c. 19. De *Murco* et *Domitio* nonnulla egregie disseruit Wesselingius Observatt. Libr. I. c. 12. ibique Frotscher. p. 36.

34) *C. Fannium*, qui ab Appiano h. l. ὁ τιμιώτατος amicorum Sext. Pompeji nominatur, non esse *Fannium*, istum *convivam Hermogenis Tigellii*, quem Horatius Libr. I. Sat. 5. v. 21. et Sat. 10. v. 80. perstringat, contra Spohnium, hujus commenti Cruquiani patronum, probare studui in Comment. *de Horatii Obtrectatoribus* §. 4. N. 21. p. 296. — De *M. Titio* accurate egit Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 30. cl. Libr. XLIX. c. 18., qui

ponimus, Cassium Parmensem in Sicilia fidum mansisse belli armorumque socium Sext. Pompeji ejusque rebus ibi fractis comitem fugae in Asiam fuisse. Coactus igitur Sext. Pompeji temeritate et invitus cum aliis nobilissimis Triumvirorum adversariis, pacta fide, ad M. Antonium transierat, cujus veniam hoc facilius impetrabat, quo magis discordiae et inimicitiae inter Antonium et Caesarem Octavianum ab aliquo inde tempore agitatae crescere et semel iterumque ad bellum spectare coeperant. Defecerat autem ad M. Antonium anno U. C. 719.

Jam ab hoc inde tempore Cassius Parmensis in M. Antonii comitatu fuisse videtur, remotus ab Urbe, ut tutus esset ab ira et vindicta Caesaris Octaviani; neque a vero abhorret, eum, qui esset aversissimo ab illo animo, discordiam inter utrumque Triumvirum scriptis minisque conflatam auxisse potius sua opera quam sedasse. Num per hocce tempus imperio aliove munere militari functus sit, uti a nullo scriptore traditum reperitur, ita ne veri quidem simile est[35]). M. Antonii amicis et satellitio adscriptus, maximam partem Alexandriae commoratus et otio litterisque vixisse existimandus est. Cum autem bellum utrimque pararetur, M. Antonii castra secutus est et pugnae ad Actium d. IV. Non. Septembr. a. U. C. 723. commissae interfuit, teste Valerio Maximo Libr. I. c. 7. n. 7.: „*Apud Actium M. Antonii fractis opibus, Cassius Parmensis, qui*

---

illum perfidiae et ingrati animi accusat in Sext. Pompejum, quem Mileti jugulavit: vid. Vellejus Pat. Libr. II. c. 79. §. 3. et Intpp. ad Taciti Annal. Libr. I. c. 2.

35) Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 163. nominat Cassium Parmensem M. Antonii legatum: qua auctoritate, nescio.

partes ejus secutus fuerat, Athenas confugit: ubi concubia nocte, cum sollicitudinibus et curis mente sopita in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba et capillo demisso: interrogatumque, quisnam esset, respondisse κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro visu, et nomine horrendo, servos inclamavit, sciscitatusque est, si quem talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidissent. Quibus affirmantibus, neminem illuc accessisse, iterum quieti et somno se dedit, atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque, fugato somno, lumen introferri jussit puerosque a se discedere vetuit. Inter hanc noctem et supplicium capitis, quo eum Caesar affecit, paululum admodum temporis intercessit [36])." Cui quidem narrationi quum nihil obstet quo minus fidem habeamus, magni gravisque erroris convictos tenemus Horatii Scholiastas, dicentes, Cassium Parmensem fractis apud Philippos Cassii et Bruti partibus Athenas se contulisse ibique interfectum esse. Jam cum constet, Caesarem Octavianum devicto apud Actium M. Antonio in Graeciam profectum esse ad res constituendas et, cum Athenas venisset, Cereris et Proserpinae sacris initiatum esse; sunt qui credant, illud, quod Valerius Maximus narraverit, accidisse

36) Joan. Vorstius ad hunc Valerii Maximi locum recte vidit, hunc Cassium Parmensem tamquam insignem Poetam memoratum esse ab Horatio; at Abr. Torrenius Etruscum et Parmensem Cassium pro uno eodemque habet Poeta, et de multitudine scriptorum ejus utrumque Horatii locum interpretanti sibi negat opponi posse, Cassium Parmensem bellis civilibus districtum non videri potuisse multa scribere. Quid enim, inquit, non scribere multa possit homo, utcunque occupatus, qui *amet scripsisse ducentos Ante cibum versus, totidem coenatus*?

paulo post pugnam Actiacam, et Cassium Parmensem, praesente Athenis Caesare Octaviano, jugulatum esse. Obiisset igitur sub finem anni U. C. 723. At huic sententiae quantumvis nonnulla in Valerii Maximi narratione patrocinari videantur, tot tamen ac tantae adversantur difficultates ex rerum tum gestarum ordine natae, ut assensum nos oporteat cohibere.

§. 13.

Memorabilis admodum hac in caussa est locus Velleji Paterc. Libr. II. c. 88. §. 1.: „*Ultimus — ex interfectoribus Caesaris, Parmensis Cassius morte poenas dedit, ut dederat primus Trebonius*[37]).“ Qui quidem locus quum in controversiam sit deductus, meum esse arbitror, Velleji fidem et auctoritatem, si qua potero, defendere ac stabilire. Id vero quanta poterimus maxima cum cura et industria agemus.

In Julium Caesarem conspiratum esse a sexaginta amplius viris, C. Cassio Marcoque et Decimo Bruto principibus conspirationis, auctor est Suetonius c. 80. Ex illis perpauci tantum nomine nobis innotuerunt. Qui apud Ciceronem Philipp. II. c. 11. sqq., Appianum de B. C. Libr. II. c. 112. sqq. et Dionem Cass. Libr. XLIV. c. 14. commemorantur, eorum indicem confecit Casaubonus in Comment. ad Sueton. Vol. III. p. 212. sq. ed. Wf. Eum hic emendatiorem plenioremque dabimus:

---

37) Recepi, sublatis uncis, divinam prorsus Aldi Nepotis aut Puteani conjecturam *primus*, quod quidem verbum a Codice et Edit. pr. abest. Hanc emendationem Ruhnkenius vere statuit tam certam et perspicuam esse, ut sine stupore vix dubitari posse videatur.

1. *M. Junius Brutus Caepio.*
2. *D. Junius Brutus Albinus.*
3. *C. Cassius Longinus.*
4. *L. Cassius C. frater.*
5. *P. Servilius Casca.*
6. *C. Servilius Casca P. frater.*
7. *Q. Ligarius.*
8. *P. Turullius.*
9. *Serv. Sulpicius Galba.*
10. *L. Tillius Cimber.*
11. *L. Minucius Basilus.*
12. *M. Spurius.*
13. *Sext. Popilius Laena.*
14. *Caecilius.*
15. *Bucolianus.*
16. *Rubrius Ruga.*
17. *Sextius Naso.*
18. *Pontius Aquila.*
19. *Atilius.*
20. *Petronius.*
21. *Cornelius Cinna.*
22. *Cassius Parmensis.*
23. *Cn. Domitius Ahenobarbus.*
24. *Sextus Pompejus.*
25. *M. Antistius Labeo.*
26. *C. Trebonius.*

L. Cassius, C. frater, inter percussores numeratur a Casaubono ad Sueton. Jul. C. c. 80. et Fabricio ad Dion. Cass. Libr. XLII. 6. N. 45. Vol. V. p. 327. sq. St. aliisque ob locum Suetonii J. C. c. 63., in quo tamen *C. Cassium* intelligendum esse docuit BCrusius. Male huc refert Fabricius Sueton. J. C. c. 82., ubi *alter e Cascis*, non *Cassiis* legendum esse dudum viderunt Intpp. — Jam Drumannus in

Histor. Rom. Tom. II. p. 121. N. 41. et p. 152. contendit, *Lucium* C. fratrem prorsus eximendum esse conjuratorum numero, partim quod Ciceroni plausus a multitudine L. Cassio datus, si fuisset conspirationis socius, non facetus visus fuisset, ut scribit ad Attic. Libr. XIV. 2. §. 1., partim quod M. Antonius ei veniam petenti tum non pepercisset, ut fecit auctore Appiano B. C. Libr. V. c. 7. De *Domitio* et *Sext. Pompejo* ipsi Casaubono aliqua dubitatio injecta est. Domitium enim pars scriptorum inter conjuratos ponit; alii eum hujus facinoris crimine absolvunt[38]). Et Sext. Pompejus tempore conjura-

---

38) De utroque *Bruto* et *C. Cassio*, conjurationis principibus, diligenter egit Wetzelius in Praefat. ad Cicer. Epist. Libr. XI. N. I. II. III. p. 357. sqq. — Duo *Cascas* gentis Serviliae interfuisse caedi, testatur Cicero Philipp. II. c. 11. eosque fratres fuisse, discimus ex Plutarchi Jul. Caes. c. 66. — De *Serv. Galba* dictum est in *Lection. Venus. Partic.* II. §. 2. et de *Tillio Cimbro* in Comment. de *Domitio Marso Poeta* §. 1. N. 2. p. 242. Apud Appianum de B. Civ. Libr. II. c. 113. vulgo editum legitur: *Ἀτίλιον καὶ Κίμβρον* — *Μινούκιον καὶ Βάσιλλον*: ubi Schweighäuserus copularum trajectione edidit: *καὶ Τίλλιον Κίμβρον καὶ Μινούκιον Βάσιλλον*. Haec emendatio si vera est, *Atilius* s. *Attilius*, qui a Casaubono inter Caesaris percussores refertur, loco movendus erit, utqui aliunde non cognitus sit. Verissime autem Schweighäuserus, deleta importuna copula, conjunxit n. *Μινούκιον Βάσιλλον* et intellexit *L. Minucium Basilum*, memoratum ab Jul. Caesare de B. G. Libr. VI. c. 29., ubi ante Oudendorpium edebatur *Basilium:* quam depravatam scripturam secutus est Casaubonus. Quid? quod ab Ernestio in Ind. Hist. quidam *Basilius* Caesarianus recensetur, qui postea in Caesarem conspiraverit. Ad illum dedit Cicero epistolium illud Libr. VI. 15.: „*Tibi gratulor; mihi gaudeo: te amo: tua tueor; a te amari et quid agas quidque agatur, certior fieri volo.*“ Orellius autem ibi recte edidit: *Cicero Basilo* pro *Basilio*, nec potest dubitari quin ibi intelligendus sit ille *L. Minucius Basilus*, de quo accurate egit Beierus ad Cicer. de Offic. Libr. III. c. 18. §. 74. Scribendum esse hoc nomen *Basilus*, non *Basillus*, ut Schweighäuserus dedit, docuerunt jam Freinshemius et Dukerus ad Flori Libr. IV. c. 2. §. 32. ex Lucani Phars. Libr. IV. v. 416.: „*Et Basilum videre*

tionis, ut Casaubonus recte admonuit, Romae non aderat, ac verisimile est, eum ne conscium quidem fuisse conspirationis. Itaque si non Domitius, certe Sext. Pompejus eximendus erat ex conjuratorum numero et ordine, sed recipiundi *Labeo* et *Trebonius*, ut jam observarunt Fabricius ad Dionem Cass. Libr. XLIV. c. 14. Vol. V. p. 416. cl. 422. et Tzschuckius ad Eutrop. Libr. VI. c. 25. p. 414. sq.

Ac de C. Trebonio quidem dicendum hic est paulo copiosius, cum Vellejus Paterculus eum dicat primum ex interfectoribus Julii Caesaris morte poenas dedisse. Eum in principibus conjuratorum numerant Livius Epitom. Libr. CXVI. et Dio Cassius Libr. XLIV. c. 14., ac Vellejus Paterculus Libr. II. c. 56. §. 1. eum ingratissimum adversus merita Julii Caesaris appellat[39]). Nam ille, postquam Tribunus plebis a. U. C. 699. legem tulerat, ut Gallias in

---

ducem", ubi Cortius laudat Malaspinam in Cicer. ad Attic. VII. Ep. 11. in. — *Caecilium* et *Bucolianum* Appianus dicit *ἀδελφὼ δύο*, quorum posterior *Bucilianus* nominatur a Cicerone ad Attic. Libr. XV. Ep. 17. et XVI. Ep. 4. ibiq. Orelli. — *Rubrii* cognomen vacillat apud Appianum, ubi Schweighäuserus edidit *Ῥούβριον Ῥῆγα*, licet hanc scripturam de mendo suspectam haberet: v. Adnott. Vol. III. p. 774. sq. — *Pontium Aquilam*, D. Bruti legatum, in pugna Mutinensi periisse scribit Pollio in Ciceron. Epist. ad Divers. X. c. 33. §. 10., eumque statua honoratum esse, refert Dio Cass. Libr. XLVI. c. 40. — *Cn. Domitius Ahenobarbus* percussoribus Caesaris adnumeratur a Cicerone Philipp. II. c. 11. et a Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 7.: *ὁ γὰρ Δομίτιος ἦν μὲν τῶν σφαγέων* κ. τ. λ., sed eum inter conscios necis, quamquam insontem, lege Pedia damnatum esse tradit Suetonius in Ner. c. 3. vid. BCrusius. — De *M. Antistio Labeone* conjuratorum socio dubitare nos non sinit Plutarchus in Brut. c. 12. cl. Appian. d. B. Civ. Libr. IV. c. 135.

39) De *C. Trebonio* videsis quae collegerunt Manutius ad Ciceronis ad Divers. Libr. XII. Epp. 15. et 16., Wetzelius in Praef. ad Ciceron. ad Divers. Libr. X. N. IV. p. 314. sq. et Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLIV. c. 19. Tom. V. p. 420. St.

alterum quinquennium obtineret Julius Caesar, ejus in Gallia legatus factus est, et Praetor urbanus a. U. C. 706. creatus anno sequente in Hispaniam missus est, ut Longino mortuo succederet: vid. Cicero ad Divers. Libr. XV. Epist. 21. cl. Jul. Caes. d. B. G. Libr. V, 24. VII, 81. VIII, 46. et de B. Civ. Libr. I, 36. III, 20. Anno U. C. 709. quum Julius Caesar mense Septembri ex Hispania redux se Consulatu abdicasset, Q. Fabium Maximum et C. Trebonium, suos hucusque legatos, sibi suffecit. Nihilo tamen secius C. Trebonius cum, ut Cicero Philipp. II. c. 11. ait, libertatem P. R. unius amicitiae praeponeret, depulsorque dominatus mallet esse quam particeps, cum Bruto et Cassio conspiravit. Quid, quod jam ante, quam illi conspirarent, id consilii agitaverat. Nam, auctore Plutarcho in Vit. Antonii c. 13., ille, Julio Caesare ex Hispania redeunte, M. Antonium Narbone in Gallia appellaverat de caedis communione, et idem Plutarchus in Vit. Bruti c. 18. refert, M. Antonium ipsa caedis die circa curiae januam seductum a Trebonio et injecto sermone foris detentum esse[40]). Paucis diebus post, quam Julius Caesar interfectus fuerat, C. Trebonio provincia ab Senatu decreta est Asia, in quam Praetor cum imperio consulari confestim abiit. Jam cum Brutus et Cassius, spe per ludos Apollinares plebem sibi conciliandi frustrati in provincias ab Julio Caesare ipsis decretas, Brutus in Macedoniam, in Syriam Cassius, Roma profecti properassent, Cn. Dolabella, Antonii in consulatu collega, per populum, invito Senatu, effecerat, ut

---

40) Plutarchi ea in re fidem praestat Cicero Philipp. II. c. 14. et XIII. c. 10. cl. Appian. de B. Civ. Libr. II. c. 117.

sibi provincia Syria decerneretur. Dolabellae in Asiam cum exercitu irrumpenti Trebonius obstiterat eumque Pergamo et Smyrna excluserat. Quam ob rem Dolabella periratus, Trebonium simulata amicitia et pactione securum, Smyrna per nocturnum introitum capta, foede necavit, ut narrant Cicero Philipp. XI. c. 2., Appianus de B. Civ. Libr. III. c. 26. et Dio Cassius Libr. XLVII. c. 29. ibiq. Fabricius Tom. V. p. 524. St. Factum id est, ut legimus in epistola M. Antonii apud Ciceronem Philipp. XIII. c. 10., intra finem anni vertentis, i. e. ejus anni, quo Julius Caesar occisus est, mense Decembri a. U. C. 710., ut ostendit Henr. Norisius Cenotaph. Pis. Dissert. II. §. 4. p. 277[41]).

Quibus expositis luculenter apparet, quam recte scripserit Vellejus Paterculus, C. Trebonium ex Julii Caesaris percussoribus primum cineri et ossibus clarissimi illius viri, ut M. Antonii verbis utar, poenas dedisse. Atqui idem Vellejus dicit, Cassium Parmensem ultimum fuisse, qui ob istud scelerate factum supplicium subiisset. Huic autem Velleji testimonio controversiam movit ejusque fidem destruere conatus est P. Wesselingius Observatt. Libr. I. c. 26. p. 109. sq., licet cum Vellejo faciat Orosius Histor. Libr. VI. c. 19.: „*Et Cassius Parmensis, ultima violati patris Caesaris victima*[42]).“ Qua in caussa agenda ne in cupiditatis ac praevaricationis cujusdam suspicionem incurram, Wesselingii

---

41) Facta subtiliter temporum rerumque ratione Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 575. N. 71. probatum ivit, C. Trebonium mense demum Februario a. U. C. 711. jugulatum esse.

42) Dedimus hunc Orosii locum ex egregia Wesselingii correctione pro vulg. *violatae partis*, quam confirmant Havercampi Codices Msti: vid. Frotscher. p. 85.

verba hic transcribenda esse duxi. „Profligato, inquit ille, ad Actium Antonio, fractisque partibus, Cassius Parmensis Athenas confugit, exterritusque nocturno visu, brevi post Caesaris Octaviani jussu interfectus est. (Valerius Libr. I. 7. 7.) Factum id videtur, quo tempore Caesar, rebus Graeciae et veteranorum militum constitutis, mysteriis Eleusiniis initiatus est, sicuti est apud Dionem Libr. LI. p. 509. Neque enim vero simile fit, voluisse Caesarem victorem, et satis in civilibus his bellis acerbum, patris sui percussorem suumque adversarium in vicina urbe tolerare. Secundum haec milites in Italia tumultum concitarunt, ad quem compescendum media hieme, quantum potuit, Brundusium Caesar festinavit. Hoc felicissime sedato, militumque veteranorum desideriis ordinatis, trigesimo quam in Italiam venerat, die revertit in Graeciam, mox trajecturus in Asiam ad persequendum bellum. Hic degenti legati Antonii occurrunt, de pace acturi: qui cum nihil impetrarent, mox altera venit legatio, magnam pecuniae vim promissura, et veteris amicitiae ac propinquitatis Caesarem commonitura: utque eo faciliorem ad pacem sibi viam emuniret Antonius, tum noxae Caesari tradidit P. Turullium, suum amicum, sed Caesaris percussorem. Is ductus in insulam Coon est, et apud lucum Aesculapii, quem olim ad naves fabricandas magna ex parte succiderat, contrucidatus. Sic Dio Cassius Libr. LI. p. 513. et ante eum Valerius Maximus Libr. I. 1. 19. Ecquid jam animadvertis hunc rei gestae ordinem Velleji Orosiique sententiae esse adversum? Is si veritate nititur, ultimus ex percussoribus Caesaris P. Turullius morte poenas persolvit, non Cassius Parmensis.“

In hac Wesselingii disputatione vehementer desidero accuratiorem rerum gestarum enarrationem subtilioremque temporis, quo quidque actum sit, notationem, qua hac in caussa nequaquam carere possumus.

§. 14.

Postquam Caesar Octavianus, comperta Cleopatrae et M. Antonii ex proelio Actiaco fuga, aliquot naves Liburnicas, Eurycle duce, emiserat, quae illos persequerentur, ipsa Antonii classis diu fortiterque obluctata demum hora ejus diei decima victa succubuit, auctore Plutarcho in Vit. Antonii c. 68. et 69. Sed supererat exercitus terrester, integer adhuc et undeviginti legiones et duodecim millia equitum explens, qui, repudiatis Caesaris Octaviani legatis, per septem dies constanter in fide maneret et, elapso demum ex castris Canidio duce, victori se traderet. Quo facto Caesar Octavianus Athenas navigavit, *τά τε ἐν τῇ Ἑλλάδι διῴκησε, καὶ τῶν τοῖν θεοῖν μυστηρίων μετέλαβεν*, ut utar verbis Dionis Cassii Libr. LI. c. 4. cf. Suetonius c. 93. Id fieri debuit per menses Octobrem et Novembrem a. U. C. 723. Rebus in Graecia constitutis in Asiam trajecit sciscitaturus de fuga M. Antonii, et Sami hibernans cum M. Licinio Crasso quartum iniit consulatum, ineunte anno U. C. 724. Jam degenti ei in illa insula et bellum paranti Roma allatae sunt litterae ab Agrippa, quem post pugnam Actiacam remiserat et cum Maecenate Romae Italiaeque administrandae praefecerat. Illis litteris in Italiam vocatus est, ut ortas ibi militum veteranorum seditiones componeret. Ex Asia igitur sive insula Samo, quae ad Asiam provinciam pertinebat, non

ex Graecia, ut Wesselingius statuere videtur, in Italiam profectus est, ut planissime perspicitur ex narratione rerum apud Plutarchum in Vit. Anton. c. 73. et 74. et apud Dionem Cassium Libr. LI. c. 4. Brundisium cum pervenisset, non est ulterius progressus, sed, tumultu militum prospere sedato, trigesimo, quam venerat, die reversus est, non, ut Wesselingius ait, in Graeciam, sed per Graeciam, et translatis propter hiemem per Isthmum Corinthiacum navibus, recta in Asiam contendit, tanta in omni hoc negotio usus celeritate, ut Antonio et Cleopatrae eodem tempore de ejus discessu juxta ac reditu nuntius allatus fuerit [43]). Jam Caesarem Octavianum ex Italia reducem factum adierunt legati ab Antonio et Cleopatra missi, quorum princeps Euphronius erat, praeceptor filiorum Antonii, ut auctor est Plutarchus c. 73. Per hos legatos Cleopatra liberis suis regnum Aegypti petebat; Antonius postulabat, ut, si non daretur in Aegypto, certe Athenis sibi privato liceret reliquam vitam agere. Octavianus, rejectis Antonii postulatis, Cleopatrae respondit, nihil clementiae ei defuturum esse, si Antonium sustulisset aut ejecisset, misitque cum legatis libertum suum, Thyrsum, quem *οὐκ ἀνόητον ἄνθρωπον, οὐδ᾽ ἀπιθάνως ἂν ἀφ᾽ ἡγεμόνος νέου διαλεχθέντα πρὸς γυναῖκα σοβαρὰν καὶ θαυμαστὸν ὅσον ἐπὶ κάλλει φρονοῦσαν* appellat Plutarchus in Vit. Anton. c. 74. Aliquanto copiosior hac in re est Dio Cassius Libr. LI., qui ter legatos esse narrat ad Octavianum missos, et tertiae legationi cum Antyllo, Antonii filio, sine responso dimissae additum esse ait c. 8. libertum

---

43) De hoc Caesaris Octaviani itinere diligenter exposuit Drumannus in Histor. Rom. Tom. I. p. 487.

istum[44]). Primae legationis mentionem facit Dio Cassius c. 6. Per secundam legationem Cleopatra pollicita est Octaviano magnam pecuniae vim; Antonius autem veteris eum amicitiae et affinitatis admonuit, *καὶ τέλος Πούπλιον Τουρούλλιον, βουλευτήν τε ὄντα, καὶ σφαγέα τοῦ Καίσαρος γεγονότα, τότε τε φιλικῶς οἱ συνόντα, ἐξέδωκεν αὐτῷ,* ut refert Dio Cassius c. 8. Ille autem Turullius Senator, cum inter Julii Caesaris percussores fuisset, bello contra Triumviros exorto, praefuerat classi, quam L. Tillius Cimber in Bithynia comparaverat, ut attestatur Cassius nescio quis in Epistola quadam ad Ciceronem data[45]), ac post proelium Philippense istam classem, ut supra dictum est, adduxerat Cassio Parmensi, quocum haud dubie, fractis Sexti Pompeji opibus, in Asia se in M. Antonii fidem dederat a. U. C. 719. Ab hoc inde tempore P. Turullius pariter ac Parmensis Cassius in M. Antonii comitatu et convictu videtur fuisse, ac cum dubitari nequeat, quin idem interfuerit pugnae ad Actium, suspicari licet, Turullium fuisse inter illos amicos, qui ex fuga collecti, auctore Plutarcho c. 67., Antonio cum Cleo-

44) Lectionem *Θύρσον* pro *Θύρσον* ap. Plutarchum tuetur Dio Cassius l. c. ibique Fabricius T. VI. p. 8. Strz. Conferatur Kreyssigius in Adnot. ad *Carminis Lat. de bello Actiaco sive Alexandr. Fragm.* Col. III. p. 142., ubi Vir egregius suspicatur, servatam esse particulam orationis ad Cleopatram habitae a Thyrso, quem Poeta induxerit loquentem. Caeterum a Plutarcho tertiam tantum eamque postremam commemorari legationem, inde patet, quod ejus princeps dicatur fuisse Euphronius, qui haud dubie secum duxerat Antyllum, filium Antonii ex Fulvia susceptum, cui Octavianus a. U. C. 718. desponderat Juliam filiam, teste Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 54. Aliter statuit Drumannus in Histor. Rom. Tom. I. p. 491. Neque tamen est credibile, Antyllum vixdum puberem sine comite et magistro missum esse ad Octavianum.

45) Illa Epistola invenitur inter Ciceronianas ad Divers. Libr. XII. 13.

patra ad Taenarum appulso nuntiarent, classem esse profligatam, sed terrestres copias arbitrari se constare. Cum Antonio in Aegyptum ex clade Actiaca reversus et familiarissime conjunctus, tamen, cum iterum legati mitterentur, ab eo, in cujus fidem et clientelam se commiserat, perfidiose objectus est irae et poenae Caesaris Octaviani et hujus jussu a militibus contrucidatus in insula Co ad Aesculapii lucum, cujus magnam partem olim classi praefectus ad fabricandas naves succiderat. Eam rem suo more enarrat Valerius Maximus Libr. I. c. 1. n. 19.: „*Nec minus efficax contemtae religionis — Aesculapius, qui consecratum templo suo lucum a Turullio, praefecto Antonii, ad naves ei faciendas, magna ex parte succisum dolens, inter ipsum nefarium ministerium devictis partibus Antonii, imperio Caesaris destinatum morti Turullium, manifestis numinis sui viribus eum in locum, quem violaverat, traxit, effecitque, ut ibi potissimum a militibus Caesarianis occisus eodem exitio et eversis jam arboribus poenas lueret et adhuc superantibus immunitatem consimilis injuriae pareret.*" Turullium occisum esse in insula Co, perspicue testatur Dio Cassius c. 8., qui et ipse in hac caede aliquam numinis vim agnoscit[46]). Facta autem videtur illa Turullii caedes sub finem hiemis anno U. C. 724. Nam Antonius cum ne Turullio quidem ad poenam objecto Octavianum placatum videret, cum multo auro misit Antyllum filium ejusque magistrum, Euphronium: quae quidem legatio tertia eaque postrema pariter irrita

---

46) Eamdem rem hoc nomine attigit Lactantius Inst. Div. Libr. II. c. 6. §. 17. p. 212. B.

erat. Sic hibernum tempus legatis ultro citroque mittendis et bello apparando transactum est et, simulac ver appeteret, Octavianus per Syriam et duces ejus per Africam contra M. Antonium moverunt et utrimque Alexandriam aggressi sunt.

Jam si verum esset, quod Wesselingius pro certo ponit, Cassium Parmensem occisum esse, cum Octavianus post pugnam Actiacam Athenas venisset, in manifesto turpique errore deprehenderetur Vellejus Paterculus, siquidem rerum tum gestarum ordo, quem scriptores fide dignissimos secuti exposuimus, docet, P. Turullium ex Julii Caesaris percussoribus fuisse ultimum, qui morte poenas persolvisset. Verum tamen disputatio Wesselingiana, quamvis scite excogitata et subtiliter concinnata, jam apud Ruhnkenium ad Velleji Paterc. Libr. II. c. 88. §. 1. non eam habuit vim, ut Velleji fidem in dubium vocandam putaret. Neque injuria! Nam quod Wesselingius sumit, Cassium Parmensem, adveniente Octaviano, Athenis jam fuisse, id veri est dissimillimum ac permultis refelli potest, quae quamvis et ipsa anquirenda sint fallacis conjecturae ope, tamen multo majorem habere videantur probabilitatem.

Primum non est credibile, Cassium Parmensem, partis Antonianae principibus post cladem Actiacam in diversas regiones fugientibus, recta Athenas contendisse. In tanta trepidatione omniumque pavore verisimilius est eum in vicina aliqua urbe perfugium sibi latibulumque quaesivisse. Neque a vero abhorret, eum ex iis fuisse, qui, cum ex pugna ad Antonium Taenari commorantem fugissent, ab eo navem acciperent magna pecuniae vi et supellectile regia onustam, ac juberentur ea

inter se partiri suaeque saluti prospicere; qui abnuentes flentesque ab eo dimitterentur scriptis ad Theophilum procuratorem Corinthi litteris, ut illis securitatem expediret atque absconderet eos, quoad Octavianum placare potuissent, ut refert Plutarchus c. 88. Quidquid vero ejus rei est, equidem pro certo affirmare ausim, Cassium Parmensem per proximos post illam cladem menses in quodvis aliud Graeciae oppidulum latitandi caussa se recepisse, quam Athenas, quo facile suspicari posset propediem venturum esse Octavianum. Et cum probe nosset, illum sibi infensiorem iratioremque esse, quam qui umquam placari reconciliarique posset, profecto maxime temerarius omniumque stultissimus fuisset, si Athenas, praesente eo, se contulisset, aut adveniente eo ibi mansisset. Quamdiu Octavianus in Graecia versaretur, tamdiu mihi persuasum est latuisse Cassium in alio quopiam loco et vitasse Athenas. Praeterea, id quod inprimis considerandum est, Octavianus illo praesertim tempore aliis gravioribusque occupatus districtusque erat rebus ac curis, quam qui posset animum advertere ad investigandos puniendosque patris percussores. Porro cum Horatii Scholiastae tradant, missum esse ab Augusto Q. Varum, qui Parmensem Cassium occideret, eo deducimur, ut Octavianum cogitemus absentem potius fuisse Athenis quam praesentem, alioquin ex veterum loquendi more in Scholiis scriptum legeremus, illum ab Augusto interfectum fuisse. Denique adde, quod iste Q. Varus dicitur Cassium Athenis invenisse studentem et ejus scrinia abstulisse. Quid vero? num credibile est Cassium Parmensem recentem ex clade Actiaca et, Antonio patrono suo ac defensore profligato, sollicitum de sua

salute litterarum studiis vacasse in tantis praesertim rerum turbis, quas Athenis quoque tum fuisse statuamus necesse est?

Quae cum ita sint, multo est verisimilius, Cassium serius demum, compositis jam per Octavianum in Graecia rebus, ex fuga Athenas se recepisse, ut ibi in secessu lateret ac litteris viveret. Huic suspicioni minime adversatur Valerius Maximus, scribens, Cassium fractis M. Antonii apud Actium opibus Athenas confugisse eumque, cum sopita mente vexatus curis ac sollicitudinibus in lectulo jaceret, vidisse istam speciem, et hanc inter noctem et supplicium paululum admodum temporis intercessisse. Nam Valerius Maximus non is est, qui in rebus enarrandis temporis ordinem religiose observet. Sic, ut hoc utar, P. Turullium inter ipsum nefarium ministerium, devictis partibus Antonii, imperio Caesaris morti destinatum dicit, quod vidimus longe secus se habere. Itaque M. Antonii opes fractae quidem erant apud Actium, sed nondum deletae; quamdiu ille vivebat, habebat Cassius, quod de fortitudine ejus et belli gerendi peritia speraret, et, eo superstite, tutus etiam erat et defensus ab ira Octaviani. At quum Athenis delitescens inaudivisset de crudeli fato Turullii, quem Antonius in fidem receptum ac familiariter ipsi conjunctum nefarie prodiderat, nihil erat quod amplius speraret. Quid igitur mirum, si ab hoc inde tempore sibi suaeque vitae timeret? si ei per concubiam noctem in lectulo jacenti et curis et sollicitudinibus agitato ista *κακοδαίμονος* species objiceretur? Quis enim est qui dubitet, quin Cassii Parmensis animum magis sollicitum habere graviusque percellere debuerit ista M. Antonii in amicos et familiares per-

fidia, quam ejus apud Actium clades? Atque, ut dicam quod sentio, hacce conjectura proxime ad verum accessisse mihi videor. Noverat Octavianus duo sui patris percussores, P. Turullium et Cassium Parmensem, ab Antonio in gratiam amicitiamque esse receptos. Id quamquam procul dubio aegerrime tulerat, tamen non potuerat impedire, et poenam, quae ab illis ex lege Pedia sumenda esset, debuerat differre. Jam cum ipsi Turullius ad poenam traderetur, haud dubie sciscitatus de Cassio Parmensi, quem etiamnunc in Antonii contubernio esse putasset, ab illis legatis compererat, hunc Athenis, non Alexandriae vivere. Hac re comperta Octavianus, quae erat ejus ulciscendi cupiditas, extemplo misit Q. Varum, militum ducem, qui Cassium Athenis investigaret eumque interficeret. Atque hac ratione accidere poterat, quod Valerius Maximus scribit, inter eam noctem, in qua Cassius somnium istud vidisset, et supplicium, quo eum Caesar Octavianus affecisset, paululum admodum temporis intercessisse.

Verum enim vero periculosum est ac paene miserum, talia comminisci et hujuscemodi commentis ac veri falsive visionibus scriptorum veterum fidem aut labefactare velle aut communire. Quae tamen cumque a me contra Wesselingium in medium prolata sunt, ea, spero, hanc habebunt vim, ut, quam temere ille de Velleji auctoritate et fide dubitaverit, cuivis luculenter appareat. Vellejum non potuit latere triste P. Turullii fatum. Atqui Turullius, ut certis validisque argumentis demonstratum est, occisus est hieme exeunte anni U. C. 724. Ergo, cum a Vellejo dicatur ultimus ex interfectoribus Julii Caesaris morte poenas dedisse Parmen-

sis Cassius, sequitur, ut hunc negemus brevi post pugnam Actiacam anno U. C. 723. exeunte obivisse[47]).

§. 15.

Consentaneum nunc fuerit, eorum, quae hactenus de vita rebusque Cassii Parmensis partim ope conjecturae partim scriptorum testimoniis freti disseruimus, hic summam facere, et quae inde de controversis illis Horatii locis effici cogique possint, breviter declarare.

Cassius, qui Parma oriundus cognomine Parmensis dici solet, primum quidem apud rerum Romanarum scriptores commemoratur nominis celebritatem adeptus Julii Caesaris caede, cujus socius fuisset. Inde autem non temere colligimus, eum jam anno U. C. 710. fuisse virum aetate, honoribus, meritis ac fide spectatum, alioqui non assumptus fuisset in conjurationis societatem. Cum C. Cassio et M. Bruto in Asiam se contulerat, ibique ab eis in Macedoniam belli gerendi caussa proficiscentibus

---

47) In Wesselingii sententiam transiit nuper Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 163. haec scribens: „*Er* (Cassius Parmensis) *entfloh nach der Schlacht bei Actium nach Athen, wo Octavian ihn a.* 31. *durch Quintus Varus tödten liess. Nach Einigen büsste er unter Cäsars Mördern zuletzt; allein die Alten sind in solchen Angaben nicht genau, und auch diese ist auf die Verschworenen zu beschränken, welche das meiste Aufsehn erregten. Denn Octavian kam bald nach dem Siege, vor der Reise nach Brundusium, nach Athen, wo das längst gesprochene Urtheil an Cassius vollzogen wurde; dass dieser nach Antonius Tode gewagt habe, sich nach Attika zu begeben, ist höchst unwahrscheinlich. Erst im folgenden Jahre* 30. *wurde sein Mitschuldiger P. Turullius von Antonius während der Unterhandlungen an den Gegner ausgeliefert und auf Cos hingerichtet, wo er früher den Hain des Aesculap für seine Flotte benutzt hatte, und auch ihn mochte mancher weniger bekannte unter den Verschworenen überleben, deren Zahl mehr als sechzig betrug.*“

ad pecunias exigendas cum exercitu et classe relictus est. Illis ad Philippos devictis mortuisque de recuperanda libertate non desperans suae partis vires adjunctis aliorum navibus et copiis insigniter auxit, bellum contra Triumviros strenue persecuturus. Anno U. C. 712. se cum classe ad Sext. Pompejum contulit eique constanti fide adhaesit usque ad annum U. C. 718., quo anno illum in Asiam comitatus est. At Sext. Pompeji consiliis et temeritate commotus cum aliis per pactionem in M. Antonii fidem se tradidit anno U. C. 719. Hujus familiaris et comes mansit usque ad pugnam Actiacam anno U. C. 723. Cui cum interfuisset, M. Antonium cum Cleopatra in Aegyptum fugientem non secutus in Graecia remansit, et sive belli civilis calamitatem pertaesus sive vitae annorumque gravitate confectus reliquam aetatem a rebus gerendis procul habere constituit. Rebus in Graecia compositis pacatisque, litterarum studiorumque caussa Athenis consedit circiter anno U. C. 724. ineunte. Ejus sedem ac latebras cum cognovisset Caesar Octavianus, qui patris sui percussores velut parricidas ad internecionem persequeretur, ex Asia Athenas misit Q. Varum, belli ducem, qui illum inermem ac quiescentem interficeret. Id autem non valde errabimus, si factum esse statuerimus, paulo post P. Turullii obitum, mense Majo a. U. C. 724.

Inde primum evidentissime perspicitur, Cassium Etruscum illum non esse posse Parmensem, si quidem verum vidit Spohnius admonuitque, Satiram decimam ab Horatio compositam esse mense Octobri anni U. C. 723. Hoc enim tempore vivebat adhuc Parmensis; de Etrusco autem ibi sermo est ut de homine jam pridem mortuo et ex hominum me-

moria paene deleto. Deinde etiamsi non contenderim, Horatium artissimo amicitiae vinculo conjunctum fuisse cum Cassio Parmensi, quem verisimile est multis illi annis aetate praestitisse; tamen neque publica nec privata fingi excogitarique potest caussa, quae suspicioni locum faciat, Poetam Venusinum iratum illi fuisse tantoque opere infensum, ut eum in Epist. IV. multis annis post mortem acerbe vituperaret ac palam irrideret. Quid enim? uterque, licet fortasse nunquam castrorum et contubernii necessitudine conjunctus, tamen pro una eademque caussa pugnaverat et contra Triumviros arma tulerat. Parmensis in rebus, quae ipsi mandatae essent, administrandis alacrem se strenuumque ostenderat, et, ubi caussa libertatis post Cassii et Bruti obitum in summum adducta esset discrimen, minime animum desponderat. Quae quidem agendi ratio non poterat quin Horatii animum studio ejus, amore atque admiratione imbueret. Parmensis transierat quidem ad Sext. Pompejum; at nonne idem fecerat Pompejus Grosphus? Et quantum hujus commilitonis reditu laetatur atque exsultat Horatius Libr. II. Oda 7.! Idem ille tradiderat se M. Antonio: non est quod eam ob caussam averso a Parmensi fuisse animo credamus Horatium, quem constet et ipsum isti Triumviro favisse et bene cupivisse[48]). Et ne forte suspiceris, Horatium privata impulsum caussa Cassio Parmensi, suo quondam commilitoni, post

---

48) Vide quae ea de re dixi in Commentat. *de Iarbita Timagenis Aemulatore* §. 5. p. 445. sq., ubi istius in M. Antonium favoris caussam inprimis repetivi ex artiore familiaritate, quae Horatio fuisse videtur cum *Iulo Antonio*, Triumviri filio, de quo expositum est in Excurs. V.

mortem insultasse, reminiscaris eorum, quibus supra demonstravi, hunc Julii Caesaris percussorem a mense Septembri anni U. C. 710. perpetuo Roma abfuisse moxque damnatum esse lege Pedia et omni redeundi impunitate privatum. Quapropter dubitari licet, num ei apud Sext. Pompejum et M. Antonium commoranti omnino innotuerint primitiae illae ingenii Horatiani, Satirae Libri primi? Et fac, eas innotuisse illi et, cum displicuissent, palam improbatas vituperatasque ab eo esse, unde hoc rescierat Horatius, et quid caussae erat, ut viventi ei parceret, ac mortuum demum perstringeret ejusque sepulturam irrisui haberet? Ita enim statuit Spohnius, referente Jahnio ad Horatii Sat. X. v. 61. p. 261. ed. 2.: „Jocans ejus mortem respicit: hoc ipso tempore fama fert, Cassium interfectum suis libris in rogum exstructis esse ambustum.“ Adeone Horatium jam anno U. C. 723. oblitum esse sceleris, quod ipse anno U. C. 712. admiserat, arma ferens contra Triumviros, occisi Dictatoris ultores, ut jocaretur de infelici sorte commilitonis boni ac fortis, et ut hac acerba irrisione quodam modo palam probaret Caesaris Octaviani crudele factum? — Id ut credam, nullo umquam pacto a me poterit impetrari!

Itaque Cassius Etruscus ille neque est nec potest esse Parmensis Cassius. Iste irridetur et tanto cum contemptu memoratur, ut appareat, eum hominem obscurum et ignobilem fuisse neque ullo officio cum Horatio conjunctum; hic eximie laudatur. Atque ea laus ipsi Horatio est summo decori atque ornamento: tribuitur enim post mortem si non amico, certe commilitoni strenuo et libertatis amantissimo, et ingenuo cum animo instauratur memoria ejus, qui, cum fuisset inter Julii Caesaris percussores,

decennio ante, Augusti jussu, inermis et in otio vivens misere trucidatus fuerat. O factum praeclarum et Horatii animo candido ac liberali dignum! Is haud dubie jam adolescens Cassii Parmensis ingenium et scripta poetica, ex quibus, ut alibi docebimus, jam ante annum U. C. 710. nobilis erat ac clarus, admirabundus suspexerat, eumque posthac depulsorem dominatus ac libertatis vindicem pluris etiam fecisse videtur nec sine summo moerore de ejus nece inaudivisse. Atque ut constans erat in amicitia et amore aliorum Horatius, ita etiam Cassium Parmensem post mortem pie colebat, et cum ad Tibullum ἐλεγειοποιὸν scriberet, quid aptius erat, quam in hac ad amicum epistola praestantissimi illius poetae elegiaci mentionem facere, et quid liberalius, quam data hac occasione intermortuam commilitonis olim sui crudeliter jugulati memoriam ingenua cum libertate renovare? [49])

§. 16.

Reliquum est, ut de generibus carminum, quibus Parmensis Cassius stylum exercuisse traditur, singulatim agamus et, si quae eorum passim apud

---

49) Mihi temperare non possum quin hic nonnulla ex *Fr. Jacobsii*, Viri eximii, Miscellaneor. Opp. Vol. V. Praef. p. VIII. sq. subjiciam: „*In den Gesinnungen des Alterthums ist Offenherzigkeit eine herrschende Tugend. Heftiger Zorn, bittere Feindschaften, und was damit zusammenhängt, Schmähungen und schneidenden Spott finden wir überall; nicht aber jene kalte Bosheit, die unter dem Scheine des Wohlwollens verwunden will, schmeichelnd verhöhnt und mit treuherziger Miene persiflirt. Ich sehe keinen Grund, bei Horaz und seinen Werken eine Ausnahme Statt finden zu lassen. Offene Angriffe finden wir bei ihm in Menge; seine Feindschaft ist aufrichtig, und ich bin überzeugt, dass auch seine Freundschaft es ist.*“

scriptores veteres inveniantur reliquiae, eas hic in unum collectas locum illustremus. Jam primum

I. *Tragoedias* aliquot ab eo scriptas exstitisse, nòn modo Scholiastarum Horatianorum, sed aliorum quoque scriptorum auctoritate et testimoniis comprobari potest. Proinde in Poetarum Tragicorum apud Romanos numero eum retulerunt Scriverius, Delrius, Bothius, Langius in Vindic. Tragoed. Rom. p. 10. sq., alii. Ex tragoediis ejus prae caeteris nobilitata est *Thyestes*, de qua Scholiastae Horatii mentionem faciunt obscuriorem quidem variisque dubitationibus subjectam, in qua tamen quid veri insit, uberius docui supra in Commentatione *de L. Vario Poeta* §. 13. Ad Cassium, quo de agimus, Scipio Maffejus retulit locum M. Varronis de L. L. Libr. V. p. 53. Vol. I. Bip.: „Inter vesperuginem et jubar dicta *nox intempesta*, ut in Bruto Cassii, quod dicebat Lucretia,

Nocte intempesta nostram devenit domum."

Quo in loco Victorius, Turnebus et Scaliger Vol. II. p. 122. Bip. primum pro vulg. *Cassii* ediderunt *Cassius*, deinde *C. Attius* pro *Cassius* legendum conjecerunt, cum Attii *Brutus* alias quoque memoretur, ut ap. Ciceronem de Divinat. Libr. I. c. 22. et pro Sextio c. 58. Hanc correctionem verissimam esse dixit Kordesius ad Eberhardti Libr. cit. §. 8. p. 58. et §. 34. N. 1. p. 205., eamque ne monito quidem lectore de lectione vulgata amplexus Bothius istum versum fragmentis Attianis intulit in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. I. p. 192. At recentissimi Varronis editores, L. Spengelius et C. Odofr. Müllerus, lectionem vulgatam Codicum optt. auctoritate firmarunt et retinuerunt non solum h. l., sed etiam Libr. VI. p. 94. Bip., ubi Codices omnes:

„Quod est apud Cassium, Nocte intempesta nostram devenit domum.“ Et Müllerus verissime admonuit, isti correctioni etiam illud obstare, quod Attio praenomen *Lucii,* non *Caji* fuerit: vid. Libr. V. §. 80. p. 32.[50]) Neque ego dubito quin apud Varronem Libr. VI. p. 85. Bip. pro vulg.: *„Quasi Hellespontum et claustra,“* Müllero praeeunte edendum sit: „Cassii:

Hellespontum et claustra;“

quo facto novum lucramur tragoediae Cassianae fragmentum. Pro v. *Quasi,* quod Codices habent, jam Scioppius conjecerat *Cassius,* sed Ursinus: *C. Attius.* Spengelius, retinens quidem apud Varronem Libr. VII. p. 307. lectionem vulgatam, pervidit tamen ac confessus est, in v. *quasi,* vel ob seqq. *„ut Ennius ait,“* latere nomen auctoris. Qua de caussa probandam recipiendamque duco Mülleri conjecturam ad Libr. VII. §. 21. p. 127.

Jam ut verum sit, *Cassium* quemdam a Varrone commemorari *Bruti* tragoediae scriptorem; tamen nondum certum est exploratumque, sermonem esse de Cassio Parmensi. Is erat aequalis M. Varronis, fortasse aliquot annis minor. Quapropter erunt, qui negent, Varronem scriptoris aequalis auctoritate et testimonio usum esse in hoc de Lingua

---

50) Varronis verba haec sunt: „Consul nominatus, qui consuleret populum et senatum, nisi illinc potius, unde Accius ait in Bruto:

Qui recte consulat, consul fiat;“

ubi Codex Havniensis *Tatius,* sub quo Müllerus suspicatus est latere *L. Accius,* nisi forte praestat in hac corrupta lectione agnoscere veram nominis scripturam: *Attius,* de qua supra in Comment. *de L. Vario Poeta* §. 2. N. 7. dictum est. Caeterum de hac Attii fabula, quae praetextata fuit, conferas quae scripsit Niebuhrius in Hist. Rom. Tom. I. p. 543. N. 1078. ed. 2.

Latina opere, malintque intelligi *Cassium Etruscum*, quem suspicari licet C. Lucilio aetate fuisse supparem. Eccui autem credibile est, a Varrone tantum honoris et auctoritatis tributum esse misello isti versificatori? Atque ut ne dubitemus de locis testimoniisque scriptorum aequalium a Varrone allegatis, facit mentio *Cn. Mattii* Libr. VII. §. 95. et 96., *C. Aelii* Libr. VII. §. 2. ed. Mr., aliorumque, de quibus dixit Schneiderus in Vit. M. Terentii Varronis Tom. I. Scriptt. de Re Rustic. P. 2. p. 228. sqq. Ut vero prae caeteris *Brutus*, tragoedia Cassii Parmensis, quamvis aetate junioris, a Varrone laudaretur, non modo praestantiam illius fabulae, sed alias quoque rationes et caussas effecisse suspicor ex publica utriusque vita repetendas. Varronem scimus a Pompeji Magni partibus stetisse; num veri dissimile est, Parmensem Cassium, posthac Julii Caesaris percussorem, easdem in bello civili secutum esse partes? Varro post pugnam Pharsalicam a Caesare in gratiam receptus, in villarum secessu totus ad litterarum studia incumbebat; nonne probabile est, Cassium quoque, impetrata a Caesare, ingenium doctrinamque in quovis adversariorum suorum magni faciente, et vivendi et redeundi venia, pariter in patriam reversum litteris vacasse et Romae delituisse, donec ad caedis societatem evocaretur? Jam cum Müllerus in Praefat. ad Varron. de L. L. p. V. evidentissime docuerit, hos de Lingua Latina libros a Varrone exaratos esse per annos U. C. 708. et 709.; consequens est statuere, illam tragoedlam a Cassio scriptam et, si non publici juris factam, certe cum Varrone communicatam esse ante annum U. C. 708. In quo autem argumento et digniore et rebus temporibusque illis

accommodatiore poterat versari studium Cassii Parmensis, Pompejani illius et Julii Caesaris dominatum aegerrime ferentis, quam in cogitanda describendaque L. Junii Bruti, regum expulsoris, virtute[51])? Et quae tragoedia Varroni Pompejano poterat videri dignior mentione ac laude, quam *Brutus Cassii*, sui nuper commilitonis et poetae egregii? Sed quidquid est hujus conjecturae, id in confesso fuerit, Cassium Parmensem jam ante Julii Caesaris caedem ex doctrina nobilem et clarum fuisse atque inprimis carminum gloria floruisse. Hinc etiam comprobatur id, quod verisimili conjectura ducti §. 15. scripsimus, Horatium jam prius, quam Athenas abiret anno U. C. 709. ac M. Bruti castra sequeretur, Romae novisse Cassium Parmensem, eumque propter ingenii carminumque praestantiam magni aestimasse.

Itaque satis certum esse videtur, duas certe a Cassio Parmensi scriptas fuisse tragoedias, *Brutum* et *Thyestem*. Nam quum apud Apulejum de Orthograph. §. 28. legimus: „*Cassius Severus in IV. tragoedia;*" planum quidem est, sub isto numero *IV.* latere nomen alicujus tragoediae et Fr. Osannum in Jahnii Annal. Philol. et Paedagog. Vol. XIII. 1830. p. 324. peracute conjecisse *Io*. At vero iste Apulejus quam temere vocetur ad testimonium de Cassio Parmensi dicendum, jam supra §. 7. ostendimus.

II. *Epigrammata* Cassii Parmensis cum laude commemorari, affirmant Scholiastae Horatii. Ad

51) Hoc enim argumentum prae caeteris populare erat. Quod superest fragmentum continet verba Lucretiae ad parentes suos, cum de nefaria audacia Sext. Tarquinii conquereretur, ut bene observat Scaliger ad Varron. Vol. II. p. 122. Bip.

ea refertur locus Quintiliani Inst. Or. Libr. V. c. 11. §. 24. „Et, quoniam similium alia facies in tali ratione, admonendum est, rarius esse in oratione illud genus, quod εἰκόνα Graeci vocant (quo exprimitur rerum aut personarum imago, ut Cassius: *Quis istam faciem lanipedis senis torquens?*) quam id, quo probabilius sit, quod intendimus.“ Burmannus h. l. inscienter Cassium Severum Oratorem intelligit eique adeo tragoediam, ex qua ista verba sumpta fuerint, adscribit! Spaldingius, cui non dubium est quin hic de Cassio Parmensi sermo sit, recte negat ex aliqua tragoedia istum versum assumptum esse, sed potius ex epigrammatis. „Versus est, inquit, Scazon; nec tamen usquequaque emendatus. Burmannus, metro consulens, *iste* legi suadet pro *istam*, quod Gesnero placet; non immerito. Sed restat anapaestus in quarta sede, alienus et ipse, quem non tam facile compendifacias. Possis tamen et imperfectum tetrametrum agnoscere, cui bini pedes desunt in fine. Tum ne *istam* quidem mutatione indigeat. Sed Comoedias Cassii quidem Parmensis veteres non memorant, cujusmodi operis hunc versum esse maxime conjicias, si sit tetrameter jambicus.“ Mihi propemodum certum est, esse hoc fragmentum ex Epigrammate aliquo, quod metro Asclepiadeo secundo compositum levi mutatione ita scribendum sit:

Queis istam faciem lanipedis senis
Torquens —

ita ut ex versu Glyconico Asclepiadeum alternatim excipiente v. *Torquens* supersit. Regius ex conjectura edidit *planipedis* et hoc nomine dictum esse monet Turnebus mimum, qui Comoediam Planipediam egerit. At *lanipedis*, quod Codd. Turic., Paris.

1. 2. 3. (vid. Zumptii Supplem. p. 279.) offerunt, recte revocavit Spaldingius, et jam Gebhardus in Crepundiis Libr. II. c. 15. p. 95. eamdem tuitus lectionem *lanipedem senem* explicat tardigradum, lana obligatum eoque lentius promoventem. Confert ex Plauti Epidic. V. 1. v. 21. *pedes pulmoneos*, et ex Macrobii Saturn. Libr. I. c. 8. proverbium quoddam: „*Deos laneos pedes habere.*" Minus accommodate comparat Burmannus cum versu Cassiano Terentii Eunuch. IV. 4. v. 3.: „*Illud vide, os ut sibi distorsit carnifex.*"

Hoc unum vulgo putatur exstare fragmentum, quod ad Cassii Parmensis epigrammata probabiliter referri queat. Mihi autem remetienti animo et cogitatione Cassii Parmensis vitam et fata, de quibus supra §. 12. et 13. actum est, ac reputanti, quam infenso ille in Caesarem Octavianum fuerit manseritque ad vitae usque exitum animo, in mentem venit suspicari, ad eum tamquam auctorem referendum esse unum itemque alterum ex contumeliosis epigrammatis, quibus Romae ἀνωνυμεὶ evulgatis Triumvirum istum petitum laceratumque esse, a Suetonio memoriae proditum legimus.

Ex hoc numero esse judico illud, quod invenimus apud Suetonium Aug. c. 70. in coenam δωδεκάθεον, in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas et ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epistolae, singulorum nomina amarissime enumerantis, exprobraverant, sed et sine auctore notissimi versus:

Quum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia, sexque deas:

Impia dum Phoebi Caesar mendacia ludit,
Dum nova divorum coenat adulteria:
Omnia se a terris tunc numina declinarunt;
Fugit et auratos Jupiter ipse toros.

Et ibidem Suetonius, „Notatus est, inquit, et ut pretiosae supellectilis Corinthiorumque praecupidus, et aleae indulgens. Nam et proscriptionis tempore ad statuam ejus adscriptum est:

Pater argentarius, ego Corinthiarius;

quum existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Et deinde bello Siciliensi epigramma vulgatum est:

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam."

Facile praevideo, haud paucos fore, quibus haec conjectura mea omnium levissima videatur ac vanissima. Neque ea, fateor, poterit in tanto omnium scriptorum silentio ullis argumentis quamvis speciosis ad liquidum confessumque perduci. Verum enim vero in ejusmodi caussa acquiescendum erit, si probabilibus rationibus demonstratum fuerit, potuisse a Cassio Parmensi ista poematia in Caesarem Octavianum componi.

Jam primum in aprico est, ista omnia, quae versibus illis perstringantur, accidisse ante pugnam Actiacam, ergo vivente adhuc Cassio Parmensi. Famosa ista δώδεκα θεῶν coena licet non constet quo anno fuerit instituta, tamen pro certo affirmare ausim, Octavianum, timidi et suspicacis animi hominem, Romae ea, quibus non posset non offendere et exasperare plebem famelicam, minime fecisse primis triumviratus annis, sed devicto demum Sext. Pompejo et potentia sua post Lepidum relegatum insigniter aucta, a. U. C. 718. Ab illo inde

tempore scimus Parmensem Cassium fuisse Alexandriae apud M. Antonium. Rumorem de ista coena perlatum esse Alexandriam, ex eo manifestum est, quod illa, ut Suetonius refert, ab Antonio per litteras amarissime cum convivis singulis destricta atque exagitata est. Sicut autem illae Antonii epistolae existimandae sunt Alexandria datae esse ad Caesarem Octavianum; ita a vero minime abhorret, Cassium, Antonii familiarem, et ipsum pro ingenii studiorumque ratione strinxisse adversus Octavianum, cui inimicissimus esset, epigrammatum aculeos. Illi igitur versus Alexandriae a Cassio compositi Romamque sive per occasionem sive cum Antonii epistolis missi neminem mirum habebit quî fieri potuerit ut sine auctore innotescerent. Accedit, quod versus isti pariter atque Antonii epistolae aliquo tempore post coenam in vulgi notitiam videntur venisse. Nam plebs suam indignationem testatam fecit postridie acclamando: *omne frumentum deos comedisse et Caesarem esse plane Apollinem, sed Tortorem*[52]): illi autem versus serius demum innotuerunt. Denique sive formam sive argumentum versuum spectamus, non scribi poterant nisi ab eo, qui ingenio, doctrina linguaeque amarulentia quadam polleret inque Octavianum odio incensus esset vehementi: utrumque autem cadit in Cassium Parmensem.

In ipso autem hoc carmine, quod sua natura deberet esse *αἰνιγματικὸν*, necesse est plura obscura nobis sint utpote remotioribus ab ea, qua scriptum

---

52) De *Apolline Tortore* videsis, praeter Böttigerum in Wielandi Museo Attico Vol. I. p. 357., librum egregium Ans. Feuerbachii: *Der Vaticanische Apoll* (Nürnb. 1833.) p. 277. sqq.

est, aetate. Versus primus prae caeteris vexavit Interpretes, cum non haberent, quo v. *istorum* referrent. Offensioni etiam fuit, quod hic *choragus* dicatur *conduci*, cum potius choragi sit conducere choragium. Quare hic versus variis modis correctionibusque tentatus, ne dicam, inquinatus est. N. Heinsii et Graevii correctio:

Cum mimum histrorum conduxit mensa choragi;

violentior est quam quae cuiquam possit probari. Displicet quoque *hister* pro histrione, vocabulum Tuscum a nemine alio Romanorum usurpatum, ut discimus ex Livii Libr. VII. c. 2. §. 6. Denique *mimus histrorum* vix ita dici poterat, ut significarentur mimici histriones, non veri histriones, qui instar histrionum induerant personas deorum dearumque non in scena, sed in convivio, in quo mimum illum epularem δώδεκα θεῶν acturi erant. Multo etiam audacius est tentamen G. H. Bernsteinii in libr.: *Versus ludicri in Romanos Caesares.* (Halis Sax. 1810. 8.) p. 51. conjicientis:

Quum Bromio ictorum conspexit mensa choragum.

Ernestius ut rei difficultatem expediret, confugit ad hypallagen merito repudiatam ab aliis. Equidem hunc versum, levi adhibita mutatione, scribendum censeo:

Quum primum istorum conduxit mensa choragium:

praeeuntibus Casaubono, Burmanno et Oudendorpio, a quibus metri gratia comparatur Ovidius Metam. Libr. XV. v. 718. „*Et tellus Circaea et spissi litoris Antium.*“ Alia Synizeseos hujus exempla attuli in Commentatione *de L. Vario Poeta* §. 4.

N. 12. et quam saepe illa Synizesis per librariorum inscitiam deleta sit, docuit Ph. Wagnerus ad Virgilii Aen. Libr. I. v. 2. et VI. v. 33. Idem probant Codices Suetonii, quorum alii *chorangium*, alii *chorangum* habent. Oudendorpius, hac lectione approbata, veram esse existimat conjecturam *histrorum* hoc sensu: quum primum mensa in unum coegit choragium histrionicum. At ego quidem v. *istorum* sanissimum duco. Suetonius enim non integrum carmen adscripsit, sed partem tantum eamque postremam. Haud dubie scriptor istius epigrammatis pariter ac M. Antonius in epistolis ad Octavianum convivas singulos enumeraverat, h. e. singulorum nomina ita numeraverat, ut nullum omitteretur, eosque acerbe perstrinxerat. Eos silentio transiit Suetonius sive brevitatis studio sive aliis nescimus quibus caussis adductus. Itaque cum retulisset, singulorum convivarum nomina ab Antonio amarissime enumerata fuisse, attexuit illud carmen principio ac velut capite detruncatum, perrexitque: *Quum primum istorum*, sc. convivarum. Est autem *conducere* h. l. in unum ducere locum, cogere, facere ut conveniant, adjuncta tamen mercedis, conditionis pactionisque alicujus notione, quam huic verbo semper inesse bene observat Herzog. ad Julii Caes. de B. G. Libr. II. c. 1. Sic h. l. dicitur *mensa* i. e. coena ab Octaviano instituta et quasi illis promissa conduxisse choragium istorum. Atque exquisite mihi videtur scriptum esse *choragium istorum* pro simplici *istos*, quia convivae illi ad coenam adhibiti sunt induti scenico deorum dearumque habitu, quo fortasse quemque convivarum instruxisset hospes Octavianus. Hac interpretatione non modo plus acerbitatis ac cavillationis toti loco

accedit, sed etiam multum obscuritatis sublatum evanescit. *Mallia* quae sit, controversum est et perobscurum. Teste Just. Rycquio de Capitolio Rom. c. 46. p. 547. fuerunt qui pro *Mallia* legi mallent *Manlia*, existimantes, arcem Capitolinam ab Manlio dictam fuisse *Manliam*, et locum, in quo coena δωδεκάθεος praeberetur, factum ad illius arcis formam. Eam opinionem quamvis vanam secutus Bernsteinius l. c. p. 52. perridicule, ne gravius quid dicam, de Capitolio ipso accipit suaeque sententiae subsidium repetit e vs. 5. et 6. Ernestius cum aliis intelligit uxorem choragi i. e. Octaviani convivatoris. Et erat quo ego quoque cogitarem de Livia, quam ille, teste Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 43., in matrimonium duxerat a. U. C. 716. Ea igitur fuit jam illius uxor eo tempore, quo hoc epigramma exaratum esse supra admonui. Accedit quod *Malliae* et *Liviae* nomina sibi invicem respondent numero et quantitate syllabarum: quam regulam in nominum permutatione a poetis Latinis observatam esse, satis notum est. At nulla fingi excogitarique potest ratio, ob quam istius epigrammatis scriptor, quisquis erat, voluerit Liviam ficto potius quam recto dicere nomine, cum Octavianum noto *Caesaris* nomine prostituerit. Quare rectius alii Malliam fuisse suspicantur pantomimam, in cujus domo ista coena institueretur. Convenit hoc libidinosae Octaviani vitae, cujus infamia tum adspersus esset. *Malliae* libertae nomen obvium est in Inscript. ap. Gruter. 984. 2. — Caesar Octavianus *Phoebi mendacia ludit*, h. e. Phoebum se esse per ludum scenicum simulat, et *coenat divorum adulteria*, h. e. in coena adulteria exprimit. Apte Paldamus in Seebodii et Jahnii Nov. Annal. III. 3.

p. 277. confert inscriptionem apud Winckelmannum Opp. Tom. II. p. 66. sq. Adde ea, quae disputavi in Commentat. *de L. Vario Poeta* §. 14. N. 72. et *de Horatii Obtrectatoribus* §. 3. N. 12. Versu postremo retinui *toros* cum alias ob caussas, tum maxime, quod, si de aurea Jovis Capitolini sede cogitasset poeta, haud dubie scripsisset: *auratum — thronum*, non *thronos*. *Toros* h. l. accipe de pulvinaribus deorum in lectisternio. Caeterum Octaviano ingentem intulit infamiam ista coena. Primum enim violaverat justum usuque receptum a Romanis convivarum numerum, quem Varro, teste Gellio N. A. Libr. XIII. c. 11., dixerat incipere oportere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum, id est, proficisci a tribus, consistere in novem, ut, quum paucissimi convivae erant, non pauciores essent quam tres, quum plurimi, non plures quam novem. Atque hunc morem ut per tempora sequentia observatum esse credam, eis adducor, quae Julius Capitolinus de Imperatore L. Vero c. 5. memoriae prodit: „Et notissimum ejus quidem fertur tale convivium, in quo primum duodecim accubuisse dicitur, quum sit notissimum dictum de numero convivarum: *Septem convivium; novem vero convicium*[53]).“ Imitatus est Verus famosissimam Octaviani Triumviri coenam *δώδεκα θεῶν*, cujus si in mentem venisset Capitolino haec scribenti, abstinuisset voce *primum*, ut jam Casaubonus monuit. Quod autem duobus ferme saeculis post Imperatori L. Vero criminosum erat, id non mirum si majorem etiam faceret invidiam Octaviano eique inso-

53) Hoc proverbium Car. Zellius in libr. *Ferienschriften* II. p. 15. convertit: „*Sieben Gäste ein Mahl*, *neun eine Quaal.*“

lentiae non ferendae notam inureret. Et cum non solum ipse, respiciens famam, qua, teste Suetonio c. 94., Apollinis filius ferebatur, cultu habituque illius dei accubuisset, sed caeteros etiam convivas, ementito deorum dearumque habitu, coenae adhibuisset, aucta est insigniter rei infamia Romae et ad exteros quoque perlata, qui in eum contumeliosis illuderent epigrammatis eaque divulgarent.

Epigramma illud, quod bello Siciliensi evulgatum esse refert Suetonius, pariter a Cassio Parmensi potuisse componi, mihi quidem persuasissimum est. Cassium Sext. Pompeji socium in isto bello fuisse, vidimus supra §. 12., neque incognitum est, quam improspere ab initio res gesserit Octavianus, non tam ancipiti vexatus fortuna, quam sua ipsius ignavia perditus. In ipsa illa apud Mylas pugna, qua Sext. Pompejum devicit, quantam exprobrandae ignaviae materiam praebuerit ipsi M. Antonio, relatum legimus apud Suetonium c. 16. Quid igitur verisimilius, quam Cassium Parmensem quoque fuso saepius fugatoque Octaviano versibus illusisse ejusque ignaviam fortunamque perstrinxisse? Neque cuiquam mirum videbitur, si epigrammata, quae in Sicilia composita essent, Romae innotescerent et vulgi ore ac sermone celebrarentur, cum in summa licet civium dissensione tamen non omne sublatum esset epistolarum et accipiendarum et mittendarum commercium. Caeterum hoc quoque epigramma nemo indignum esse judicabit ingenio et doctrina Cassii ejusque adversus Octavianum animo! —

III. Sed quod ad illa verba attinet, quae Suetonius prodit tempore proscriptionis ad statuam Octaviani adscripta fuisse, eorum auctorem non posse haberi Parmensem Cassium, manifestum est. Is

enim prius, quam, oppressa a Triumviris republica, Sullanae proscriptionis atrocitas rediisset, Urbem jam reliquerat. At illud animum advertit meum, quod, quae illis verbis Caesari Octaviano probro habita est generis ignobilitas, eam etiam Cassius, de quo agimus, acerbius ludificatus est. Nam, ut auctor est Suetonius in Aug. c. 4., Cassius Parmensis quadam epistola non tantum ut pistoris, sed etiam ut numularii nepotem, sic taxavit Augustum: „*Materna tibi farina est ex crudissimo Ariciae pistrino: hanc pinsit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius!*“

Habemus igitur fragmentum epistolae alicujus a Cassio Parmensi ad Caesarem Octavianum scriptae, quam Ernestius non diversam esse putat ab ea, cujus meminit Plinius N. H. Libr. XXXI. c. 8.: „Cydnus Ciliciae amnis podagricis medetur, sicut apparet in epistola Cassii Parmensis ad M. Antonium.“ At haec ad Antonium, illa ad Octavianum scripta erat, ut jam Wolfius post Ruhnkenium ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 88. §. 1. contra Ernestium admonuit[54]). Quod si de tempore quaerimus, quo illa Octaviano per litteras fuerint a Cassio exprobrata, aut illud cogitari potest tempus, quo etiam ab Antonio ignobilitas objecta est Octaviano avunculi hereditatem

54) G. J. Vossius in Append. ad Libr. III. de Historicis Lat. p. 260. Vol. IV. Opp. propter Plinii locum, Parmensem Cassium Historicis Romanis temere accenset, eique nescienti, qua occasione ille epistolam ad Antonium scripserit, habeo quod respondeam. Haud dubie Antonius, homo vinolentus, aliquando amicum de nodosae podagrae remediis consuluerat. Cassius autem Cydnum fluvium ejusque naturam ac vim salutiferam cognoscere potuerat, cum in Asia tribunus militum esset. Mecum facit Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 163.

adeunti et ambienti honores, aut ad postremos referri annos, quos Cassium Alexandriae apud Antonium transegisse novimus. Quot quantisque hujus generis conviciis contumeliisque Antonius Cos. in edictis obruerit Octavianum juvenem, compertum habemus ex Ciceronis Philipp. III. c. 6. sqq. Neque per se improbabile est, Parmensem Cassium istam epistolam ex Asia dedisse ad Octavianum, quem, deposita post pugnam Mutinensem simulatione, inaudiret ad Consulatum adspirare, et facile auguraretur novum fore civitatis dominum. Attamen mihi videtur verisimilius, ista scripta esse Alexandriae Romamque missa. Octavianus enim, simulac Sext. Pompejus profligatus esset, novas gravesque susceperat cum Antonio inimicitias; uterque auctis in dies discordiis mutua sibi per litteras convicia faciebant et contumelias ingerebant, ut partim fragmenta epistolarum apud Suetonium c. 16., partim Cremutius Cordus apud Tacitum Ann. Libr. IV. c. 34. attestatur. Jam cum Cassius Parmensis inde ab anno U. C. 719. Antonii caussam quodammodo suam fecisset, nihil videtur propius a vero abesse, quam eumdem, quum arma tum quiescerent, styli acumen convertisse in infensum sibi Octavianum, eumque irrisionibus amarulentis proscidisse. Neque quisquam erit quin in illo epistolae Cassianae fragmento deprehendat ingenium, doctrinam et mirificam acuminis acerbitatem.

Suetonius relatis eis, quae Antonius de paterno et materno genere Octaviani ejusque ignobilitate per invidiam et obtrectationem commentus fuerat, Cassii Parmensis testimonium subjecit, quo et aviae et avi ignobilitas declarata esset. Antonius enim, auctore Suetonio c. 2., paternum Octaviani proavum

dixerat fuisse libertinum eumque restionem ex pago Thurino, ejusque filium, Octaviani avum, argentarium sive mensarium. Exprobraverat autem Octaviano haec Antonius in edictis, in quibus contumeliose et barbare maledicta congesserat, teste Cicerone Philipp. III. c. 6. et XIII. c. 9. eaque repetiverat in Epistolis Alexandria missis, ex quibus potissimum dubitari non potest quin sua hauserit Suetonius. Atqui Cassius Parmensis ipsum patrem Octaviani dixerat fuisse *mensarium*, uti a nonnullis eum *argentarium* et inter divisores operasque campestres proditum esse ait Suetonius c. 3. Quibus verbis sine dubio respicit versiculum istum Octaviani statuae adscriptum. Nam *argentarios* et *mensarios* promiscue dici nec quidquam intercedere discriminis inter utrumque nomen, contra Sigonium de antiq. jure Civ. Rom. 2. opinantem, *argentarios* rem numariam tractare privatam, *numarios* publicam, subtiliter docuit Dukerus ad Livii Libr. VII. c. 21. §. 5. cl. Beier. ad Ciceronis de Offic. Libr. III. c. 14. §. 58. Tom. II. p. 282. Igitur quum avus et pater Octaviani dicuntur *mensarii*, cogitandum est de trapezitis numariam rem privatim exercentibus, si quidem qui rem numariam publice tractabant, *triumviri* seu *quinqueviri mensarii* appellari solebant. Idem Antonius, teste Suetonio c. 3., maternam Octaviani originem despiciens objecerat, ejus proavum Afri generis fuisse et Ariciae in Latio modo unguentariam tabernam, modo pistrinum exercuisse[55]). Hujus pistoris Aricini filiam in matrimonium duxerat Octaviani avus e pago Thurino

---

55) Inde fortasse conflata est fabella, quam apud Donatum in Vit. Virgilii c. IV. §. 17. de Augusto, pistoris filio, legimus.

oriundus, restionis filius et argentarius. Haec Antonii maledicta repetiverat Cassius Parmensis in epistola quadam ad Octavianum, sed, ut decebat poetam, allegorico usus sermone hoc: *farinam ex pistrino Aricino* sumpsit h. e. uxorem duxit filiam pistoris cujusdam paternus tuus avus, et eam farinam pinsit manibus collybo decoloratis, cum mensarius esset. Sic Octavianus non tantum ut pistoris, sed etiam numularii nepos cum contumelia notatur: *pistor* enim ad maternum, et *numularius* ad paternum Octaviani genus referendus est. Igitur quam generis materni ignobilitatem Antonius Octaviano rectis verbis probro verterat, eamdem in eo taxat Cassius per allegoriam plenam acerbitatis et artis quoque cujusdam, qua vel singulis verbis plurimum salis adspersum est.

Accommodate nominavit pistoris filiam ἀλληγορικῶς *farinam*; quo quidem verbo item translate, sed honestius usus est Persius Sat. V. v. 115. — Post voc. *farina* in Codd. Suetonii multis reperitur *si, siquidem,* pro quo Oudendorpius conjecit *scilicet,* quod Baumgarten-Crusio et Paldamo arridet, non item mihi. Revocavi, praeeunte Graevio, *est,* quod ob seq. *pinsit* flagitat orationis concinnitas. Offert illud Codex Salmasii; Politianus ex Msto notavit in margine Edit. Mediol. *farinast*, idque Memmiani Codicis assensu stabiliri monuit Oudendorpius. Satis liquet, ex *st* fecisse librarios *si*, quod Codd. plurimi habent, et id mutatum esse a sciolis in *siquidem.* — Pistrinum appellat *crudissimum*, quod Berneggerus ad crudelitatem pistoris in servos pistoricos retulit, quo exprobretur Octaviano genus servile et ab ingenuorum elegantia alienum. Eam interpretationem suo assensu comprobarunt Baum-

garten-Crusius et Paldamus; at ego vereor, ne hac ratione acumen dicti minuatur, et potiorem censeo rationem Graevii explicantis *recentissimum*. Nam cum Antonius dixisset, proavum Octaviani maternum fuisse Afri generis et posthac Ariciae advenam exercuisse modo unguentariam tabernam, modo pistrinum; patet ejus filium, Octaviani avum, fuisse pistorem crudum h. e. recentem, utqui nuper demum Ariciae coeperit pistrinum exercere et operi pistorio vixdum adsuetus sit. Jam Graevius contulit ex Taciti Annal. Libr. I. c. 8. *servitium crudum*, cui Romani nondum adsueti erant. Addatur ex Statii Theb. Libr. II. v. 341.: „*Et si crudus amor, necdum post flammea toti Intepuere tori*," i. e. amor recens, immaturus, necdum temporis longinquitate firmatus. Ex ejusdem Achill. Libr. I. v. 477. „*Cujus ab ortu Cruda rudimenta et teneros firmaverat annos Centaurus*." Petronius Satyr. c. 4.: „*Deinde, quum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt*:" ibiq. Burmann. Vol. I. p. 24. Cassius Parmensis, quippe poeta, exquisitius scripsit, poeticum vocabuli istius usum secutus, et sic novitium genus maternum Octaviani cum probro significavit. — Hanc *farinam* i. e. puellam, pistoris filiam, in matrimonium ductam *finxit*: quam lectionem Codd. multorum testimonio firmatam Casaubonus Tom. III. p. 237. W. copiose docteque defendit suaque auctoritate effecit, eam ut omnes Editores amplecterentur. Casaubonus hanc ei subjecit sententiam: avus Octaviani, qui esset numularius abjectissimus, ex ea farina, quam sumpserat de pistore Aricino, finxit et formavit tamquam aliquod dulciarium opus, h. e. genuit patrem Octavium. Cui quidem interpretationi per-

acute opposuit Oudendorpius, non tam *matrem* dici posse *fingi*, ex quà proles formetur et gignatur, sed *prolem* ipsam *fingi*, ut liba et placentae fingantur ex farina ante pista. Macrobius Saturn. Libr. II. c. 2. p. 349. Z. „Apud L. Mallium, qui optimus pictor Romae habebatur, Servilius Geminus forte coenabat: cumque filias ejus deformes vidisset, „Non similiter, inquit, Malli, fingis et pingis.“ Et Mallius, „In tenebris enim fingo, inquit; luce pingo.“ Propterea Oudendorpius cum Torrentio legi maluit *pinsit*, quod Codices Basileenses praebent. Id ego confidenter recepi, non numerandos esse Codices ratus. Dubium enim esse nequit, v. *finxit* esse interpretamentum idque ineptum lectionis *pinsit*, quod ex margine antiquissimis jam temporibus in textum irrepserit ibique utpote facilior lectio locum in Codd. plurimis obtinuerit. Equidem quovis posito pignore contenderim, a Cassio Parmensi scriptum esse *pinsit*, quippe quod apprime respondeat ipsi, de qua sermo est, rei et dictionis obscenioris colori. Obscenitas, quam Cassius aperte hic captat, abest a v. *finxit*, cui etiam ex Casauboni interpretatione repugnant manus collybo decoloratae. Istam verbi reique obscenitatem involucro quodam veloque scite obtendit Cassius. Sensus enim est: hanc farinam pinsit i. e. pressit, subegit manibus collybo decoloratis mensarius. Jam Casaubonus accommodate cum v. *pinsit* significatu obsceno contulit ex Theocriti Idyll. IV. v. 58. *τὸ γερόντιον ἦ ῥ᾽ ἔτι μύλλει Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποκ᾽ ἐκνίσθη:* ibique vid. Scholiastas et Kiessling. p. 141. Cum loco Theocriteo Jacobs Animadv. in Anth. Gr. Vol. II. P. 2. p. 472. componit locum Pherecratis ap. Suidam v. *ἀνόδοντος· Ἀνὴρ*

γέρων Ἀνόδοντος ἀλήθει, ubi *ἀλήθειν* pariter notione obscena accipiendum; cf. Brunckius ad Aristophanis Nub. v. 1289. Adde ex Romanis scriptoribus Horatii Libr. I. Sat. 2. v. 35. et Petronii Satyr. c. 23.: *Super inguina mea diu multumque frustra moluit*: ibiq. Intpp. Vol. I. p. 109. B. Colebatur etiam Dea *Pertunda* dicta, quae naturam feminae pertundere eique rei in cubiculis praeesse credebatur, testibus Arnobio IV. p. 164. H. et Augustino de Civ. Dei VI. 9. — Verbum *decolorare* plus est quam *colorare*: praepositio *de* in Compositis saepe intendit notionem, ut *debacchari* ap. Horat. Libr. III. Od. 3. v. 55., *desaevire* ap. Eumd. Libr. I. Epist. 3. v. 14., *despoliare* ap. Cic. Verr. Libr. IV. §. 43. ibiq. Zumpt T. II. p. 695. et *degustare* ap. Eumd. de Orat. Libr. I. c. 52. §. 223. Cf. Comment. *de Titio Septimio Poeta* §. 6. N. 15. p. 386. Apud Cassium Parmensem igitur intelliges manus collybo valde coloratas, quibus ex pecuniae contrectatione multae sordes adhaeserunt. Ita Auct. ad Herenn. Libr. II. c. 5. *livore decoloratum corpus*. — Mensarius *Nerulonensis* dubitari nequit quin sit avus Octaviani paternus, quem Antonius per opprobrium dixerat esse argentarium, restionis filium. Hunc restionem, Octaviani proavum, idem Antonius dixerat fuisse ex pago Thurino: ejus filius ubi habitavisset, tacuerat. Id autem aperit Cassius Parmensis eum appellans *Nerulonensem*. Haec interpretatio unice vera est, jam a Baumgarten-Crusio proposita, neque erat quod ea mirationem faceret Paldamo. Eam bene defendit Baumgarten-Crusius in Diariis Litter. Halens. 1830. N. 183. At in illo oppidi vel pagi nomine mirum quantum discrepant Codices Msti, *Ocensis*, *Verulonensis*, *Verrulonensis* offerentes.

Casaubonus conjecit *Vetuloniensis*, laudato Plinio N. H. Libr. III. c. 5. Editio Lugd. vet. habet *Nemorensis*, quod idem esset atque *Aricinus*, quodque huic loco aptum esse temere et inconsiderate putarunt Perizonius, Ernestius et Wolfius. Mihi unice probanda videtur Oudendorpii ratio suspicantis, *Nerulonensem* esse incolam urbis *Nerulonis* vel *Neruli*, cui vicina fuerit Thurium in Lucanis; atque ut Octaviani proavus fuisset restio in pago Thurino, ita ejus avum Nerulone prope Thurium exercuisse rem numulariam. Inde etiam planum fit, quî fieri potuerit, ut ab Antonio in epistolis per contumeliam saepe *Thurinus* appellaretur, auctore Suetonio c. 7. Respexit ille locos, in quibus Octaviani avus proavusque habitassent. Urbem *Nerulum* memorat Livius Libr. IX. c. 20. „Apulia perdomita — in Lucanos perrectum. Inde repentino adventu Aemilii Consulis Nerulum vi captum“: ubi Codices itidem variant inter *Verulum* et *Verulium*. Non opus est statuamus, Nerulo urbi contemptum quemdam et ludibrium adhaesisse. Erat oppidulum ignobile, in quo Octaviani avus argentarius fuerat ignobilis.

Cassius Parmensis igitur in illa epistola ea, quae Antonius Octaviano exprobraverat, suo assensu suoque modo confirmaverat, auxerat et manifestius acerbiusque verbis expresserat. Quibus omnibus fieri non poterat quin Octaviani animus superbus et arrogans vehementer irritaretur odioque inexpiabili adversus illum inflammaretur.

Et haec quidem de genuino Cassianae illius ad Octavianum epistolae fragmento dicta sunto; sed sunt qui integram Cassii Parmensis epistolam hodieque superstitem esse arbitrentur. Quae enim inter epistolas

Ciceronianas ad Divers. Libr. XII. invenitur *tertia decima*, scripta est ad Ciceronem a Cassio quodam, quem a C. Cassio Longino Procos. diversum esse omnes viderunt Interpretes. Data est illa epistola Cypro a Crommyuacride Idubus Juniis a. U. C. 711. In ea Cassius ille Ciceroni gratulatur de Mutinensi victoria, quam ab eo effectam esse blande significat, quod ex ejus sententia M. Antonius hostis judicatus fuisset, et inde iterum probari, togam ejus omnium armis esse feliciorem. Deinde studiose se ei commendat ac sperat, fore, ut eum habeat testem sui in rempublicam amoris et factorum praeconem. Inde res a se gestas exponit narratque, se ex ora maritima Asiae provinciae et ex insulis naves deducere et armare contra classem Dolabellae, seque cum Turullio, alterius classis praefecto, conjunctum petivisse Cyprum. Denique, declarata dubia ac difficili Dolabellae conditione et enumeratis C. Cassii Procos. copiis, qui existimet, se sine proelio vincere posse Dolabellam quippe annonae caritate ac fame pressum, Ciceronem bene sperare jubet de republica. Jam de Cassio, a quo haec scripta fuerint, vehementer discrepant Virorum Doctorum sententiae; quid, quod Strothius in Epist. Select. p. 453. suspicatur, non Cassium quemdam, sed P. Lentulum Proquaest. esse hujus epistolae auctorem. At nullo pacto haec sententia defendi potest, ut contra Weiskium, conjecturae Strothianae patronum, in Claror. Virorum Epistolis p. 137., cum Benedictus ad Ciceron. Epistol. Tom. II. p. 316. sq., tum inprimis subtiliter Schützius probavit ad Ciceronis Epist. temp. ord. dispositas Tom. VI. p. 354. Ibi Schützius refert, fuisse, qui eam epistolam Cassio Parmensi attribuerent: cujus tamen opinionis fundamentum

quoddam esse negat. Ipsi probabilius videtur, esse L. Cassium, Cassii Procos. ex fratre nepotem, quem Appianus de B. C. Libr. IV. c. 135. tradat in proelio Philippensi data opera usque ad necem pugnasse. Qua in re Schützius cum Schweighäusero in Adnot. ad Appian. Vol. III. p. 855. levem commisit errorem: qui enim ab Appiano memoratur *Λεύκιος Κάσσιος, ὁ ἀδελφιδȣ̃ς αὐτȣ̃ Κασσίȣ,* non fuit Proconsulis ex fratre nepos, sed filius, estque idem, quem quamvis juvenem patruus, abiturus cum exercitu in Macedoniam, in Syria cum una legione reliquit, teste Appiano de B. C. Libr. IV. c. 63. De nepote quodam L. Cassii, cujus mentio §. 13. facta est, nihil quidquam apud scriptores traditum legimus, neque, si quis exstitisset illius nepos, ei per aetatem licuisset patrui magni castra sequi. Hanc Schützii sententiam nuperrime impugnavit G. Drumannus in Historia Rom. Tom. II. p. 162. his potissimum usus argumentis. Primum L. Cassius ille, tum admodum adolescens, in illa epistola eo sermonis genere usus est, quod minime deceret juvenem scribentem ad Consularem eumque senem meritis in rempublicam et gloria conspicuum. Aliena sunt a juvenili modestia ac pudore ista: §. 2. „*Fatale nescio quid tuae virtuti datum: idque saepe jam experti sumus;*“ §. 3. „*et, quae saepe pollicitus es, te et taciturum, dum serviremus, et dicturum de me tum, cum mihi profutura essent;*“ et §. 4. „*ut haec novissima nostra facta, non subita, nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse judices.*“ Deinde non est credibile illum juvenem eo impudentiae progressum esse, ut ad Ciceronem de patruo suo, Proconsule, scriberet §. 11. „*Cassius noster*“ etc. His

de caussis Drumannus in eorum transiit sententiam, qui illam epistolam a Cassio Parmensi scriptam esse existimarunt, neque tamen gravius, quo istam sententiam stabiliret, protulit argumentum, quam quod constet, illo anno Parmensem Bruti et Cassii castra secutum in Asia provincia fuisse classi praefectum. Verum tamen, quo minus Drumanno potius quam Schützio adsensum praebeam, haud pauca sunt quae obstent. Nam ut liberalis sim ac concedam, in illa epistola esse nonnulla, quae, praesertim ex nostra sentiendi ratione, inverecundius ab juvene scripta videri possint, tamen multo plura inveniuntur, quae a Parmensis Cassii persona et dignitate alienissima esse contendo. Numquam adducar, ut aliquem Julii Caesaris percussorem et libertatis vindicem facinoris sui, quo nihil majus, nihil fortius, nihilque praeclarius esse putabant, tam immemorem esse potuisse credam, ut Ciceronem, ne socium quidem immortalis illius facti, nimiis efferret laudibus, et ut ad eum tam modeste de se sentiens scriberet §. 5. „*Sunt tibi, M. Tulli, liberi propinquique, digni quidem te et merito tibi carissimi. Esse etiam debent in re publica proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli. — Sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere et ad omnia, quae velis et probes, producere. Animum tibi nostrum fortasse probavimus: ingenium diutina servitus, certe qualecunque est, minus tamen, quam erat, passa est videri.*“ Quid? unus eorum, quos Cicero toties heroum nomine ornat, hujus studia in rempublicam vult aemulari et cupit ab eo excipi et ad omnia produci? Idem §. 4. scripserat: „*ut haec novissima nostra facta — sed similia illis cogitationibus, qua-*

rum tu testis es, fuisse judices, meque ad optimam spem patriae non minimum tibi ipsi producendum putes.“ Ex hoc loco acute vidit Schützius intelligi, scriptorem hujus epistolae adolescentem fuisse. Et quovis pacto contenderim, Cassium Parmensem non scripsisse: *similia illis cogitationibus,* sed facinoribus, *quorum tu testis* fuisti. Denique ut hanc epistolam a Cassio Parmensi, homine erudito et poeta, exaratam esse dicam, dissuadet totius epistolae ratio et orationis color. Vere enim Weiskius l. c. „Epistola, inquit, non in toto, sed in partibus probanda. Initium fit a declamatione satis inepta, quae nescio quid magni jubet sperare, quod epistolae modus non capiat. Sed post aliquot formulas oratorias sublimioris dictionis peracta est caussa. Inde a §. 3. oratio fit popularis: et apparet, quorsum illa quasi panegyrici particula spectarit: vult se ipsum commendare scriptor. Hoc facit melius et copiosius. Non vult a Cicerone, ut hic promiserat, aliis commendari, sed ipsi potius commendatus esse: nec postulat plus, quam ut unus sit de multis, quos Cicero foveat.“ Haec omnia si sincere reputaverimus, non poterimus quin rejiciendam esse dicamus sententiam de Cassio Parmensi, illius epistolae scriptore, et fateamur, de juvene potius cogitandum esse. Quaerentibus autem, sitne cum Schützio habendus auctor epistolae illius L. Cassius, Proconsulis ex fratre filius, nihil amplius respondere ausim, quam posse eum intelligi. Epistola prodit juvenem animosum, patriae libertatisque amantem, laudis cupidum et altiora adspirantem. Talem autem fuisse novimus illum L. Cassium. Is patrui castra secutus erat, fortasse invito patre, quem Caesarianum fuisse verisimillimum est: vid. supra §. 13. Strenuum se,

fortem ac prudentem in Asia gessisse, vel inde colligi licet, quod a patruo decedente Syriae praefectus sit. Quantum fuerit ejus in Triumviros odium quantumque libertatis studium, illud documento est, quod, cum in Syria, pacata provincia, potuisset manere, paulo post patruum subsecutus est in Macedoniam et in altero ad Philippos proelio rebus desperatis crebro sese hostibus ingerens maluit pro libertate occumbere, quam impetrata a Triumviris venia vivere. Quem igitur ille juvenis factis ostendit animum, eumdem etiam tum sententiae tum verba istius epistolae spirant. Et licet nemo veterum scriptorum tradat, tamen minime a vero abhorret, ei a patruo per aestatem a. U. C. 711. mandatum esse, ut ex ora maritima Asiae provinciae et ex insulis naves, quas posset, deduceret, remigum delectum haberet et Dolabellae classem observaret. Per hoc tempus scripsit ad Ciceronem, in eumque effudit laudes, quarum cum alios viros, tum maxime Cassium Parmensem dispuduisset. Et quum patruum suum appellat *Cassium nostrum*, tantum abest ut in eo arrogantiae signum inveniam, ut juvenem agnoscam erectioris quidem animi altosque spiritus alentem, sed patrui sui cum admiratione studiosum. His caussis, quas breviter perstrinxi, permotus sum, ut illi epistolae inter scriptorum Cassii Parmensis reliquias locum dare dubitarem.

IV. Caetera omnia ingenii Cassiani monumenta interierunt. Nam quod ad hunc usque diem a Viris quibusdam doctis Parmensi Cassio attributum est poema, *Orphei* nomine inscriptum, id spurium esse et illi poetae singulari errore suppositum, statim demonstrabo. Complectitur illud undeviginti versus epicos, in quibus breviter exponitur, quam admi-

rabili constantia studiorumque tenore Orpheus ad eam canendi pulsandaeque citharae artem, qua silvas et rupes secum traheret, et Manes demulceret, contenderit et, quamvis contemptus ab aequalibus, aeternam tamen consecutus sit gloriam. Ejusdem nominis carmen a Lucano scriptum exstitisse, acute probat Marklandus ex Statii Sylv. Libr. II. Carm. 7. v. 58.:

Tu sedes reserabis Inferorum,
Ingratus Nero dulcibus theatris
Et noster tibi praeferetur Orpheus:

atque inductus testimonio Lutatii Scholiastae ad Statii Theb. Libr. IX. v. 224. duos afferentis versus ex Lucani *Catagonio* conjecit, Lucanum in illo carmine egisse de Orphei descensu ad Inferos. Apud Lutatium enim pro *Catagonio*, quam vocem nemo intellexit, suspicatus est legendum esse *Catachthonio*, ita ut titulus illius poematis fuerit *Καταχθόνιος* seu plenius *Orpheus Catachthonius*[56]). Quid, quod

---

56) Marklandus pro lectione *Catagonio*, cui nullam dicit subjectam esse sententiam, legendum etiam proposuit *Catonio*. Quae conjectura licet commendari possit loco Ciceronis ad Divers. Libr. VII. Epist. 25.: „*Vereor ne in Catonium Catoninos*" etc. et versu Laberii ap. Gellium N. A. Libr. XVI. c. 7.: „*Tollet bona fide vos orcus in Catonium;*" tamen nescio quomodo mihi displiceat *Catonius* sive *Orpheus Catonius*. Wernsdorfio in P. L. M. Tom. IV. P. 2. p. 589. probabilius videtur, titulum libri illius fuisse *καταγύναιον* vel *καταγυναίων*, in eoque tractatas esse fabulas poetarum de amoribus deorum et heroum quorundam mulierosorum celebrioribus. Deductus est ad eam conjecturam per Scaligerum, qui pro *Catagonio* conjecit *Catalogo*, et Lucanum scripsisse existimavit ad exemplum Hesiodi *ἠοίας* sive Heroidum catalogum. Wernsdorfianae conjecturae favet illud fragmentum:

Thebais Alcmene, qua dum frueretur Olympi
Rector, Luciferum ter jusserat Hesperon esse;

quod ex *Catagonio* Lucani affert Lutatius. Pro *praeferetur* Marklandus conjecit *referetur*, primamque hujus verbi syllabam saepe produci contendit ob Virgil. Georg. Libr. II. 104. Ovid. Met.

ipsi M. Tullio Ciceroni tribuitur *Orpheus* seu carmen *de adolescente studioso* ad Marcum filium Athenis commorantem. Exstat illud in Opp. Ciceron. Editione Venet. 1593. 8. cf. Fabricius in Biblioth. Lat. Libr. I. c. 8. Tom. I. p. 225. Ern. Sed suppositicium illud esse ac Ciceronis ingenio indignum, cum alii jam judicarunt, tum etiam Lobeckius in Aglaoph. Tom. I. p. 338. Not. *hh.* Atqui cum hoc Pseudo-Ciceronis fetu insignem habent similitudinem, si argumentum spectamus, versus, qui Cassio Parmensi adscribi solent, hi:

Argutae primum cum plectra parentis et auro
Distinctam sumsit citharam Rhodopëius heros,
Ridebant segnes pulsus, digitosque micantes
Serius, et chordis indoctae dissona vocis.
Mox pudor exardens, et gloria dulcis honesti
Lusibus avertit puerilibus. Omnis et illuc
Perditus incumbens, Musae pallebat amore,
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus. Hinc illinc discens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis
Compedibus: somni fuerat parcusque Lyaei,
Donec, ridiculus dudum, modulamine silvas,
Evulsosque suis scopulos radicibus egit.
Ausus et ire viam viventibus inconcessam,
Poenarum oblitos demulsit carmine Manes.

Libr. XIII. 268. Qua in re lapsus est vir egregius. Impersonale enim *refert*, Etymo poscente, constanter penultimam longam habet, sed *referre* nusquam, nisi in Perfecto: cujus quidem rei rationem non satis explanavit Conr. L. Schneiderus in Gr. Lat. I. 2. p. 589. Equidem sanam esse arbitror vocem *praeferetur*, retento versu intermedio, cui Marklandus sine caussa uncos impegit. Verba sunt Calliopes Lucanum alloquentis: Noster Orpheus praeferetur poematis Neronis, quae populo ingrata sunt h. e. displicent.

Non levis adscensus, si quis petit ardua. Sudor
Plurimus hunc tollit: nocturno exsomnis olivo
Immoritur: jactat, quod mox laudaverat in se,
Qui cupit aeternae donari frondis honore.

Hos versus primus edidit Achilles Statius ad Suetonii de Clar. Rhet. c. 6. repertos in Bruttiis, ut ait, et secum communicatos ab Sertorio Quadrimano, juvene doctissimo. Eosdem protulit quasi denuo inventos Florentiae a Petro Victorio, G. Fabricius ad Senecae Herc. Oet. v. 1034. Deinde repetiti sunt a multis, ut a Lambino ad Horatii Libr. I. Satir. 10. v. 61., a Rittershusio ad Phaedri Fab. Libr. III. Prolog. p. 152. sq., subjecta eorumdem Metaphrasi Graeca Matth. Bergii, Brunsvicensis, et nuper a Car. Fea ad Horatii Libr. I. Epist. 4. v. 3. — In Collectionibus Carmin. Latin. locum eis dederunt Pithoeus Libr. IV. p. 156., Burmannus in Anth. Lat. Libr. I. Epigr. 135., Wernsdorfius in P. L. M. Tom. II. p. 310. sq., Nobbius in Syntagm. p. 22. et nuperrime H. Meyerus Turicensis in Antholog. vett. Latin. Epigrammatum et Poematum. Tom. I. N. 112. Separatim eos edidit cum commentario Nathan. Chytraeus. Francof. ap. Wechel. 1585. 8. De genere horum versuum eorumque scriptore Virorum Doctorum sententiae hodieque mirum in modum discrepant. Alii, ut Casp. Barthius ad Statii Achill. Libr. II. v. 443., Pithoeus et Burmannus, eos in *Epigrammatis*, quae scirent scripta fuisse a Cassio Parmensi, posuerunt; Rittershusius, quod sciam, primus illud poematium appellavit *Idyllium* idque elegantissimum. Utrorumque sententia ferri defendique nequit. Posteriorem tamen sententiam cupide arripuit Wernsdorfius eamque in P. L. M. Tom. II. p. 261. sqq. quibuscumque

posset argumentis exornavit. De scriptore illorum versuum, simul atque in lucem editi essent, dubitari coeptum est. Achilles Statius quidem, Rittershusius, Glandorpius in Onomast. p. 208., Schottus Observatt. Human. Libr. II. c. 44. p. 91. aliique genuinos eos et antiquos dixerunt et Poetae Parmensis ingenio et doctrina dignissimos. Contra Scriverius in Notis ad Pithoeum Mstis, quas Burmannus ad Anth. Lat. l. c. affert, et N. Heinsius ad Virgilii Aen. Libr. VI. v. 556. eos spurios esse pronuntiarunt. Wernsdorfius, si non a Cassio Parmensi, certe ab antiquiore auctore scriptos esse censet, quam fuerit Achilles Statius[57]). Ab hoc enim ipso primo editore fuerunt qui illud quidquid est poematis compositum et per fraudem satis obviam illa aetate Parmensi Cassio affictum esse suspicarentur. Qua quidem fraude Achillem Statium immunem esse C. Barthius ad Claudiani de Rapt. Proserp. Praef. Libr. II. v. 24. p. 904. inde evincere studet, quod illi non ea fuerit ingenii vis, ut vel unum versum tantae elegantiae potuisset extundere. Neque opinione falsus est Caspar Barthius. Nam illorum versuum scriptor est *Antonius Thylesius*, Italus, Consentiae in Bruttiis equestri loco natus et saeculo XVI. ineunte ab eloquentia ac poesi clarus. Hunc illius de Orpheo poematis auctorem esse docuit *Fr. Daniele*, Regis Neapolitani Historiographus et editor carminum Thylesianorum. Neapoli 1762. 8.

---

57) In communi omnium fere hominum doctorum consensu de spuria versuum istorum origine me vehementer mirum habuit quod nuper legi scriptum a G. F. Grotefendo in Erschii et Gruberi Encyclop. Sect. II. Tom. X. p. 459. b. Is non tantum istud poema pro genuino Cassii Parmensis opere habet, sed plures locos etiam imitatione expressos esse dicit ab Horatio!

Idem contestatur *Irene Affo* in *Memoire degli scrittori e litterati Parmigiani.* Tom. I. Parm. 1789. 4., quocum conferenda est *Notice de quelques Poésies Latines d'Antoine Telesio p. Barthelemy Mercier* in *Magas. Encyclop.* III. 6. p. 351. Haec mihi innotuerunt ex Kordesii Addit. ad Eberhardti libr. cit. §. 34. p. 199. Cf. doctissimi H. Meyeri Annotatt. ad Anthol. Lat. Tom. I. p. 59.

EXCURSUS I.

DE

C. NONIO ASPRENATE.

Apud Suetonium in Vit. August. c. 43. memoriae proditum legimus: „In circo aurigas cursoresque et confectores ferarum, et nonnumquam ex nobilissima juventute, produxit. Sed et Trojae lusum edidit frequentissime, majorum minorumque puerorum delectu: prisci decorique moris existimans, clarae stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem, lapsu debilitatum, aureo torque donavit, passusque est, ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioseque in curia questo Aesernini nepotis sui casum, qui et ipse crus fregerat.“

Lusum Trojae, de cujus origine et antiquitate dixerunt Intpp. ad Dion. Cass. Libr. LI. c. 1. Vol. VI. init. Strz. et Heynius in Excurs. V. ad Virgilii Aen. Libr. V., fuisse certamen equestre a juvenibus nobilibus commissum, novimus ex Dion. Cass. Libr. XLIII. c. 23. Eum igitur lusum Augustus instituit delectis pueris majoribus minoribusque h. e. eis, qui essent annorum 14. usque ad a. 18.: illo enim anno finiebatur pubertas, hoc plena pubertas. Idem Augustus illum edidit frequentissime: qua in re si fides haberi potest Dioni Cassio, institutus ille lusus ab

eo est a. U. C. 714. 721. 725. 726. et 741., ut ad Suetonii locum ostendit Baumgarten-Crusius.

Tametsi non constat, quo anno Nonius ille lapsu debilitatus fuerit, tamen conjecturae locus datur haud improbabili. Suetonius refert Augustum finem fecisse talia ludicra edendi permotum Asinii Pollionis querelis de nepotis sui casu, qui et ipse crus fregisset. Inde discimus, Nonium quoque fracto crure debilitatum esse. Quodsi amplectimur Dionis Cass. Libr. LIV. c. 26. testimonium, Trojae lusus ab Augusto postremum editus est a. U. C. 741., quo anno Pollioni posset esse nepos 14 — 18. annorum. Minime autem necesse est statuamus, Nonium illum eodem in ludicro crus fregisse, quo Aeserninus quoque debilitatus fuisset. At utriusque pueri casum ordine et annis sese excepisse, id quidem mihi perquam verisimile videtur. Reputanti enim mihi, quî factum sit, ut, cum antea illud ludicrum persaepe et per duo deinceps annos U. C. 725. et 726. celebratum esset, ab anno U. C. 726. usque ad annum U. C. 741. omitteretur, nata est suspicio, hoc ipsum Nonii, nobilissimi pueri, infortunium effecisse, ut illud aliquamdiu h. e. per quindecim annorum spatium non ederetur. Cumque, interjecto hoc temporis intervallo, adamatus Augusto Trojae lusus instauraretur et pari casu oppressus fuisset Aeserninus, gravi invidiosaque Pollionis querimonia videtur factum esse, ut his ludicris edendis in perpetuum finis imponeretur. Non adversatur huic conjecturae Particula *mox*, quam de temporis spatio admodum longo usurpari constat. Sic, ut hoc utar, Suetonius in Neron. c. 6.: „C. Caesar — intuens Claudium patruum suum, a quo mox Principe adoptatus est“ etc., ubi *mox* i. q. tredecim

annis post, ut docet Oudendorpius ad c. 7. Hac conjectura ducti ponimus, Nonium anno U. C. 726. crure debilitatum circiter annos 14 — 18. natum fuisse. Eum igitur Augustus, ut Suetonius auctor est, torque aureo donavit, passusque est, ipsum posterosque ferre *Torquati* cognomen. In Commentatione de Cassio Parmensi §. 4. probare studuimus, hunc Asprenatem Nonium a. U. C. 745. caussam veneficii dixisse, accusante Cassio Severo ac defendente Asinio Pollione, eumque videri fuisse filium Nonii Asprenatis, qui commemoretur ab Auctore de B. Afric. c. 80. Quam gratiosus apud Augustum fuerit, documento sunt ea quae Suetonius c. 56. narrat. Ejus affinis haud dubie fuit L. Nonius Asprenas, P. Quintilii Vari in Germania legatus, de quo nonnulla dicta sunt in Excursu I. ad Comment. de L. Vario Poeta. Nonius, de quo hic sermo est, nusquam alibi, quod sciam, commemoratur, nisi forte impositum ei ab Augusto *Torquati* nomen usu atque auctoritate ita praevaluit, ut nomen ejus gentile prorsus obsolesceret. Huic opinioni suffragari videtur Inscriptio Romae inventa apud Gruter. CLXXXVII. 10.:

L. MANLIO. Q. TORQUATO
COS
IMP. CAESAR. DIVI. F
AUGUSTUS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVII
IMP. XIIII.

ubi Gruterus adnotat, illos Consules suffectos esse ex Kal. Sextilibus a. U. C. 748. Cf. Pighii Annal. ad a. U. C. 747. p. 527. Burmannus ad Sueton. Aug. c. 5. dubitat, num in illa Inscriptione Nonius Asprenas intelligendus sit, cum Asprenatis cognomen desit.

Verum tamen graviorem dubitandi caussam afferebat *Quinti* praenomen, cum ille apud Suetonium c. 43. vocetur *Gajus*. Cum vero et hoc praenomen, ut adnotavit Oudendorpius, a multis bonisque Suetonii Codicibus absit, rem tam dubiam praestat in medio relinquere.

Ex Poetis illius aetatis Torquatum quemdam ut suum aequalem sodalemque commemorat unus Horatius eique Libr. IV. odam 7. et Libr. I. epistolam 5. inscripsit. Hunc Torquatum Interpretes, quos novi, omnes referunt ad gentem Manliam, cui inditum fuisse Torquati cognomen, satis notum est ex Livio Libr. VII. c. 10. cl. Gellii N. A. Libr. IX. c. 13. Id qua fecerint fide et auctoritate, ipsi videant; ego cur ab iis omnibus discessionem faciundam mihi esse arbitrer, hic quanta fieri potest maxima cum brevitate et perspicuitate exponam.

Ab Horatio Torquati cujusdam mentio fit etiam Epod. XIII. v. 6.

Tu vina Torquato move Consule pressa meo:
ubi intelligendum esse L. Manlium Torquatum Consulem cum L. Aurelio Cotta a. U. C. 689., quo anno Poeta Venusinus natus est, inter omnes convenit: cf. Libr. III. od. 21. v. 1. Is fuit condiscipulus Ciceronis et Attici, auctore Cornel. Nepote c. 1., et ab illo in Brut. c. 68. §. 3. elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus vocatur. In oratione in Pison. c. 31. idem nominatur L. Torquatus *pater*, quia illo jam tempore h. e. anno U. C. 698. inclaruerat ejus filius, *Lucius*, quem non tam rhetorem quam πολιτικὸν plurimarum et reconditarum litterarum scientia et vitae dignitate et gravitate decoratum dicit Cicero in Brut. c. 76. §. 6. — Ad Attic. Libr. IX. ep. 8. scribit

Cicero: „*De L. Torquato quod quaeris, non modo Lucius, sed etiam Aulus profectus est:*" sc. ad Pompejum. Ex quo loco fuerunt qui Torquato Consuli duo filios fuisse colligerent. At ab Schützio *Lucius* putatur esse Consul, et *Aulus*, illius frater, qui Praetor a. U. C. 702. et vir optimus appellatur a Cicerone de Fin. Libr. II. c. 22. §. 72. ibique v. Goerenz. Utcunque autem de illis Torquatis existimatur, id dubium esse nequit, Torquato Consuli unum fuisse filium, cum ille, ut vidimus, *pater* a Cicerone in Or. in Pison. c. 31. nominatus fuerit. Quare miror, Meyerum in Oratt. Rom. Fragm. p. 219. secutum esse errorem Corradi confundentis patrem cum filio, notatum jam a Wetzelio ad Ciceron. Brut. c. 68. §. 3.

Jam quaesitum est, utri eorum, patri an filio, inscripserit Horatius utrumque illud poema: nam uni eidemque homini inscripta esse illa carmina, ut multa sunt quae suadeant, ita etiam Interpretes ad unum omnes consentiunt. Antequam tamen ad ipsam caussam, de qua hic agitur, progredior, videndum est de anno, quo utrumque illud ad Torquatum carmen compositum sit. In Oda nullum deprehenditur temporis indicium, nisi vere ineunte eam exaratam videri. Mihi convenit cum Kirchnero, qui eam anno U. C. 738. assignat. In Epistola pariter desunt certae temporis notae. Kirchnerus eam anno U. C. 733. scriptam existimat, quocum ego facio. Epistola igitur prius quam Oda, utrumque autem carmen ab Horatio quadragenario exaratum est.

L. Manlium Torquatum Cos. a. U. C. 689., quo anno Poeta natus est, omnium, quod sciam, primus intellexit Cruquius in ejusque sententiam ab

initio transierat etiam Dacerius, suum tamen errorem posthac ingenue confessus: v. *Oeuvres d'Horace* Tom. VIII. p. 176. ed. 5. Huic sententiae opponit Massonus in Vit. Horat. p. 211. sq. aetatem Consulis, qui cum ex lege annali anno U. C. 689. esse debuerit annos 42. natus, sequeretur, ut, cum ab Horatio per epistolam ad coenam invitaretur, fuisset senex octogenarius. Id vero per se non modo non verisimile videtur, sed etiam a totius epistolae ratione et argumento prorsus abhorret. Quo tandem pacto Poeta v. 24. senem tam grandem poterat amicorum in numero habere et v. 25. scribere: *ut coeat par jungaturque pari?* Caeterum Massonus profitetur, ex pluribus Ciceronis locis ostendi posse, Torquatum Cos. jam ante decessisse, quam ipse Tullius obiisset. Quidquid autem ejus rei est, id nemo non mecum intelligit, totum scribendi genus, quo Poeta utroque in poemate usus sit, prodere interiorem societatem majoremque animorum studiorumque consensum, quam qui esse potuerit Horatio cum Torquato, natalis sui anni Consule.

Quod cum sensissent plurimi Interpretes, maluerunt Consulis cognominem filium, L. Manlium Torquatum, intelligi. Eam sententiam, quam Dacerius quoque protulit, prae caeteris copiose exornavit Wielandus, cui suffragati sunt nuper Thorbeckius de Asin. Pollionis Vit. p. 71. et H. Meyerus in Fragm. Oratt. Rom. p. 218. Sed hanc quoque opinionem refellunt tempora et res, quas ab illius patronis nimium neglectas esse miror. Primum ille Consulis filius jam a. U. C. 688., ergo anno prius, quam Horatius nasceretur, P. Sullae, consuli designato, sed ambitus accusato, eripuit Consulatum

et ad patrem suum retulit: quo nomine laudatur a Cicerone de Fin. Libr. II. c. 19. §. 62. ibiq. v. Goerenz. Itaque hic quoque Torquatus existimandus est Horatium vitae annis ita antecessisse, ut de eo non magis quam de patre scribi potuerit v. 25.: *ut coeat par jungaturque pari!* Deinde idem jam inter oratores vita defunctos refertur a Cicerone in Brut. c. 76. §. 6. Brutus autem Ciceronis scriptus est circiter anno U. C. 709., ut Wetzelius docet in Vit. Ciceronis Epistol. Editioni praef. p. 38. Et sine dubio ille est Torquatus, quem cum Scipione in Hispania interiisse narrat Auctor de B. African. c. 96.

Denique quam Dacerius de Torquati Consulis nepote quodam obiter ac temere protulerat conjecturam, eam cupide arripuit Sanadonus et, licet nihil attulerit, quo eam probabilem redderet, tamen in suas partes traxit Mitscherlichium in Argum. Odae Tom. II. p. 384. et Vanderbourgium Tom. II. p. 265., cujus verba suo assensu comprobata repetiit Bothius in Annotat. ad Feae Horat. p. 162. At mihi ille Consulis nepos videtur commenticius esse, nihilque impedit quo minus aeque illius fratruelem sive patruelem confingam et Horatii familiarem fuisse dicam. Quodsi ille fuisset Consulis nepos, aut fallor aut Horatius aliquam injecisset mentionem ejus avi, quo Consule natus fuisset: sed in neutro carmine quidquam inest quod ad nobilem illam gentem Manliam possit referri. Accedit, quod, si quis nepos Consulis superstes fuisset, permirum sane foret, quod tam antiquae nobilisque familiae proles neque belli neque pacis artibus innotuisset nullique in civitate muneri admota fuisset. Sed altum apud omnes scriptores ea de re silentium! Prudenter igitur Glan-

dorpius in Onom. p. 571. hunc Horatii amicum a caeteris Manliis Torquatis sejungit et sub Augusto eum vixisse adnotat, scilicet unius Horatii testimonium secutus. Verum enim vero quid tandem est, quod nos impellat, ut hunc Torquatum ex gente Manlia fuisse credamus? Num inscriptiones carminum Horatianorum in Codd. Mstis repertae? Torrentius et Vanderbourgius Tom. III. p. 597. in nonnullis suorum Codicum utique invenerunt hunc Odae titulum: *Ad Manlium Torquatum* sive *Mallium*; in plurimis autem simpliciter: *Ad Torquatum.* Nam qui a Fea praepositus est Odae titulus: *Ad L. Manlium Torquatum;* eum nullo Codd. testimonio niti, ipsius Feae silentium arguit. Jam harum inscriptionum nullam plane ea in re esse auctoritatem, non est quod moneam. Adde Scholiastas veteres, haud futiles ea in caussa testes, a quibus omnibus ille Horatii familiaris non *Manlius Torquatus*, sed nude *Torquatus* nominatur. Igitur nulla apparet ratio, ob quam nobis hic de *Manlio Torquato* quodam antiquae illius stirpis cogitandum sit. Et si dicendum est quod sentio, tota Torquatorum illa familia bellorum civilium temporibus ac calamitate mihi videtur fuisse exstincta. Primum enim omnes Torquati, qui a Cicerone memorantur, steterant a partibus Pompeji, et fuerant partis victricis adversarii. Deinde, Augusto regnante, nemo Manliorum Torquatorum neque a scriptoribus memoratur neque in ullo illius aevi monumento memoratus occurrit, qui illam familiam adhuc exstitisse, et Augusti gratia floruisse contestetur. Denique, id quod inprimis in mea me confirmat suspicione, vehementer dubito num Augustus animum induxisset Nonio Asprenati ejusque posteris impertire *Torquati* cognomen, si ullus ex

gente Manlia Torquatorum adhuc superstes fuisset. Pueri, qui Trojam luserant, solebant galeis, hastilibus aliisque hujuscemodi praemiis affici; Nonium crure debilitatum quo magis honoraret citiusque consolaretur, torque aureo donavit eumque Torquati nomine ornavit. Id autem cognomen nihil ornamenti attulisset, si quis veterum Torquatorum exstitisset, quorum princeps familiae illud non debilitatis, sed fortitudinis caussa acceperat. Ac si quis dicat, Augustum hoc cognomine puero illi tributo illudere voluisse cum contemptu in Torquatos adhuc viventes, utpote suos quondam adversarios, tum ultro apparet, ipsum Nonium simul et quidem sine omni acumine ludibrio habitum fuisse. Id autem quam alienum sit a tota hujus rei gestae scena ac personis, quilibet sentit. Quodsi autem statuimus, Torquatorum ex gente Manlia illo tempore neminem in vivis fuisse, idonea ac sana sese offert ratio, qua ductus Augustus illud cognomen Nonio puero attribuerit. Voluit illud instaurare et in vitam revocare et simul tam claro nomine puerum illum honorare. Atque ea ratione simul existimandus est effecisse, ut, cum illud cognomen ad sua usque tempora non nisi Manliis adhaesisset, a suo inde imperio id aliis quoque gentibus impositum inveniretur. Qui a Martiale Libr. X. Ep. 79. perstringitur *Torquatus*, nisi totum nomen fictum est, certe non fuit ex Manliis. A Plinio N. H. Libr. XIV. c. 22. commemoratur *Novellius Torquatus* Mediolanensis sub T. Claudio, quem ait, epotis uno impetu tribus congiis, *Tricongii* cognomen invenisse. — Sub Hadriano bis Consul erat *C. Bellicius Torquatus*, ut docent Inscriptiones ap. Gruter. XVIII. 5. CCCXXXVII. et CLXXII. 10. —

Lampridius in Commodo c. 7. memorat *Lucejum Torquatum* Consularem.

Haec, quae cum scriptorum veterum testimoniis innixus tum conjecturae probabilis via progressus summatim hic exposui, me jam ante multos annos in eam deduxerunt sententiam, ut Theod. Marcilium rem acu tetigisse putarem, qui apud Horatium *C. Nonium Asprenatem Torquatum* invenit. Haec conjectura breviter sane perscripta a Marcilio non erat quod tam supine rejiceretur a Dacerio, Wielando, aliis, cum in utroque Horatii carmine haud pauca reperiantur, quae ei mirificam vim et commendationem concilient. Ac primum quidem simplex *Torquati* nomen, quo ille ab Horatio salutatur, per ὑποκορισμὸν quemdam dictum esse, in aprico est. Tulerat illud Nonius puer ab Augusto, cujus gratia et amicitia nunc vir factus gaudebat, et minime dubium est quin illud ab omnibus, quibus aliqua cum Augusto et Nonio necessitudo esset, sermone familiari frequentaretur. Quare Horatius quoque in Epistola et Oda, quas Nonio illi inscripsit, blande agnomine illo usus est. Deinde quocumque anno Nonium natum esse ponimus, id tamen certum est atque evidens, eum aliquot annis minorem fuisse quam Horatium. Nam ut ne urgeamus, quae supra de anno, quo eum crus fregisse verisimile sit, disputavimus, utriusque carminis Horatiani argumentum perspicue docet, Poetae scribenti rem esse cum viro juvene. Plures autem Epistolae Horatii testatum faciunt, quam accepta ac jucunda ipsi fuerit consuetudo cum hominibus apud Augustum gratiosis et quam saepe ac lubenter ad eos scripserit, non quo eos edoceret adeove de stultitia urbane commoneret, sed ut hac ratione, quid ipse

sentiret de vita rebusque humanis, divulgaret. Eodem consilio ad Torquatum scriptam esse censeo cum Epistolam, tum maxime Odam illam, in qua suo more de recto vitae fugacis usu philosophatur. Quodsi in hac Oda v. 9. hujus Torquati *genus, facundia* et *pietas* laudatur, tantum abest ut inde quidquam praesidii ac firmamenti nanciscatur communis ista Interpretum de L. Manlio Torquato vel patre vel filio sententia, ut, si res ac tempora spectamus, penitus evertatur. In Epistola Torquato illi Horatius scribit v. 9.:

Mitte leves spes et certamina divitiarum,
Et Moschi caussam;

et v. 30.:

Tu quotus esse velis, rescribe: et rebus omissis,
Atria servantem postico falle clientem.

De *Moscho*, cujus caussa hic memoratur, Scholiastae haec afferunt: Acron, „*Moschus*, inquit, *Pergamenus fuit rhetor notissimus, qui reus veneficii fuit, cujus caussam tunc oratores egere. Nam Torquatus patronus fuit caussarum.*“ Porphyrion: „*Hic Pergamenus rhetor notissimus, reus veneficii fuit, cujus caussam ex primis tunc oratores egerunt, Torquatus hic, de quo nunc poeta dicit, et Asinius Pollio.*“ Et in Auctar. Schol. Cruq. p. 692.: „*Moschus hic Pergamenus rhetor fuit notissimus, reus veneficii fuit, cujus caussam exprimit. Hanc oratores egerunt Torquatus hic, de quo nunc dicit, cujus exstat oratio, et Asinius Pollio.*“ Hic velim observetur, quod supra jam admonui, a nullo Scholiasta Moschi caussae actorem appellatum esse Manlium Torquatum. Nihil tamen dubitavit H. Meyerus in Oratt. Rom. Fragm.

p. 219. hanc caussam adscribere L. Manlio Torquato, Consulis filio, eamque ante annum U. C. 708. actam esse dicit p. 213., quia hic annus illi L. Torquato fuisset fatalis. At valde metuo, id quod pace Viri doctissimi dixerim, ne a vero prorsus aberraverit, a Thorbeckio, ut videtur, in fraudem inductus. Cuivis enim manifestum est, Horatium hic loqui de caussa, quae eo ipso, quo scribebat epistolam, tempore ageretur. Jam utcumque de anno, quo illa epistola composita sit, statuitur, id certe omni dubitatione exemptum est, Poetam Venusinum ante suum ex pugna Philippensi reditum (vid. Libr. II. Epist. 2. v. 51.) nullum carmen, nedum hanc epistolam scripsisse et evulgasse. Ergo ista Moschi caussa nullo pacto a L. Manlio Torquato, Consulis filio, agi poterat. Caeterum hanc quoque caussam propter Asinium Pollionem, pacata demum civitate frequentius laboribus forensibus vacantem, mediis Augusti imperantis temporibus malim assignari. Facundia Torquati Horatiani dubium non est quin de more illius temporis praecipue in legitimarum et civilium controversiarum patrociniis versata sit. In hoc enim genere sese inprimis jactasse videmus industriam juvenum favorem Augusti ambientium ipsiusque exemplum aemulantium. Sic ad Julium Florum, qui et ipse in aula Augusti vivebat, scribit Horatius Libr. I. Epist. 3. v. 23.:

Seu linguam caussis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen.

Nollem igitur Torquatus ille ab Jacobsio Lection. Venus. II. p. 31. cl. p. 33. appellatus habitusque esset Juris consultus! Ut vero ille Moschum, veneficii reum, defendendum susciperet, hujus rei caus-

sam mihi videor deprehendisse valde probabilem. Nonius aliquot annis ante veneficii caussam, accusante Cassio Severo, dixerat et procul dubio tum Asinii Pollionis defensione tum Augusti auctoritate absolutus fuerat. Itaque mihi videtur ad illud patrocinium adductus fuisse aut criminis istius gravitate aut pietate adversus Moschum, quo fortasse dicendi magistro usus fuisset. Inde simul patet, cur Horatius in Oda post Epistolam scripta Torquati *pietatem* laudaverit. Verum, ne hariolari ingenioque ludere arguar, confiteor, mihi videri *pietatis* vocabulum h. l. latius patere pariter ac *genus*, quod et ipsum in eo laudatur, licet primus *Noniorum* demum Sullae et Marii temporibus inclaruerit, auctore Plutarcho in Vit. Marii c. 29. Equidem in illo Horatii versu nihil invenio nisi sententiam generalem nulla Torquati ejusque virtutum habita ratione elatam, qua nemini mortalium neque natalium splendore neque ingenii animique bonis ex inferis reditus in vitam paretur. Sive igitur Nonii aetatem spectamus sive necessitudinem, quam verisimile est ei cum Poeta intercessisse, nihil occurrit, quod dissuadeat, ut ne *Torquati* nomine Nonium illum Asprenatem significari censeamus. Denique, quod mea quidem opinione inprimis momentum hac in caussa facit, illud est, quod Horatius Torquatum in Epistola ad coenam invitat frugalem quidem, sed hilarem et genialem, hoc usus argumento v. 9.:

Cras nato Caesare festus
Dat veniam somnumque dies: impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem:

quo in loco de quocumque *Caesare* cogites, fatendum erit, neminem Manliorum, ad quos vulgo Horatius scripsisse putatur, hoc argumento potuisse

permoveri, ut eo lubentius Poetae ad coenam vocanti obsequeretur. Adeone Horatium ineptiisse, ut Manlium Torquatum quemdam, acerrimum partis Caesarianae adversarium, facta diei natalis, quem quis Caesarum cras celebraturus esset, mentione ad coenam secum celebrandam invitaret? At de Nonio Asprenate, quem *Torquati* agnomine dictum esse familiari sermone vidimus, si apud Horatium cogitamus, planum fit, neque blandiorem illa neque fortiorem potuisse excogitari a Poeta invitationem, praesertim si mecum statueris, *Caesarem* h. l. esse ipsum Augustum. Ea autem de re non me praeterit in quam diversas partes abeant Virorum Doctorum sententiae.

Sunt qui referant h. l. ad alterutrum Caesaris Augusti nepotum, *Gajum* et *Lucium Caesarem*, M. Agrippae et Juliae filios. P. Rodellius intellectum voluit *Gajum* Caesarem, quoniam Julia, prius Marcello nupta, in matrimonium data fuerit Agrippae a. U. C. 733., teste Dione Cass. Libr. LIV. c. 6. Jam cum haec ad Torquatum Epistola Rodellio scripta videatur a. U. C. 734., suspicatur, *Gajum* utpote natu majorem illo anno in vitae lucem editum ejusque diem natalem sive ejus natalicia publice celebrata esse. Atque ejus rei testis est Dio Cass. Libr. LIV. c. 8.: *καὶ ἡ Ἰȣλία τὸν Γάϊον ὀνομασθέντα ἔτεκε· βȣθυσία τέ τις τοῖς γενεθλίοις αὐτȣ͂ ἀΐδιος ἐδόθη, καὶ τȣ͂το μὲν ἐκ ψηφίσματος, ὥσπερ πȣ καὶ τἄλλα, ἐγένετο.* Eam sententiam si amplectimur, verba *nato Caesare* explicanda sunt: ob natum Caesarem festus dies indictus est nobisque dat veniam somnumque, ut impune liceat sermone benigno noctem tendere. Non igitur erat quod Massonus in Vit. Horat. p. 208. rideret Rodellium velut divinan-

tem natalicia *Gaji*. Sanadonus assensum praebuit Rodellii conjecturae, quae tamen quam vana sit ac futilis jam ex eo intelligitur, quod *Gajus*, ille Augusti nepos, ante adoptionem non poterat ab Horatio nominari *Caesar*. Atqui adoptatus demum est cum *Lucio* fratre recens nato d. III. Kal. Maj. anni U. C. 737., ut docuit H. Norisius ad Cenot. Pisan. Dissert. II. c. 1. p. 348. Ergo, nisi hujus Epistolae scriptionem rejeceris ad annum U. C. 738., de alterutro Augusti nepotum cogitari nequit.

Proinde alii h. l. acceperunt de die *Divi Julii Caesaris* natali, praeeunte Porphyrione, qui „*Divi Caesaris*," inquit, „*natalem significat: id esse ipse probat dicens* aestivam noctem, *quia ille Idibus Juliis celebratur.*" Eam sententiam cupide arreptam verbose explanavit Dacerius, approbaverunt Gesnerus, Grotefendus in Gruberi et Erschii Encyclop. Sect. II. Vol. 10. p. 474. et nuperrime etiam Th. Schmidius, doctissimus Epistol. Horat. Editor. C. Julius Caesar natus fuerat Idubus Quintilibus anni U. C. 655. Jam Triumviri Kalendis Januariis anni U. C. 712. eum declaraverunt *Divum*, ei in foro sacellum exstruxerunt et simul instituerunt, ut ejus dies natalis publice celebraretur. Qui cum incideret in ludos Apollinares, quibus sacra alius dei celebrari vetabant libri Sibyllini, constitutum est, ut Divi Julii Caesaris natalicia pridie ejus diei, quo natus esset, peragerentur, auctore Dione Cass. Libr. XLVII. c. 18. cl. H. Voss ad Virgilii Eclog. V. v. 56. p. 258. sq. Horatius igitur hanc Epistolam exarasset d. III. Idus Quintiles. Ad annum quod attinet, quo illa sit composita, Dacerius ob v. 4. eum intelligit annum, quo T. Statilius Taurus iterum Consul fuerit, h. e. annum U. C. 728. Qua conjectura risum dedit Massono

interroganti p. 207.: „Qui potuit ergo Horatius eo die vinum eodem anno lectum et diffusum suis convivis propinare? An vindemiae ante illum mensem, n. Julium, in Italia fiebant?“ Ipse Massonus p. 208. suspicatur, cum v. 24. respici putet Cornelii Galli necem, a. U. C. 728. factam, hanc Epistolam biennio post illum annum esse scriptam. Cui suspicioni equidem non multum tribuerim! Ipsi autem huic opinioni scite opponit Massonus p. 209., Divum Julium si h. l. intellexisset Poeta, hunc non simplici ac nudo *Caesaris* nomine designari potuisse, sed addi debuisse aliquid, quo ejus apotheosis significaretur. Quoties enim in Horatii carminibus *Caesar* simpliciter occurrat, toties neminem alium posse intelligi quam ipsum Augustum, verissime ille observat.

Quapropter Massonus etiam h. l. de die natali *Caesaris Augusti* sermonem esse judicat: nec temere. Praeivit eam sententiam Scholiastes Cruq. p. 529. Cum Augustus natus fuerit d. IX. Kal. Octobr. h. e. die 23. Septembris, fuerunt qui huic sententiae obstare dicerent *aestivam noctem*, cum *nox* mensis Septembris potius dicenda fuerit *auctumnalis*. Cui difficultati sic occurrit Massonus p. 210., ut dicat, id fieri potuisse per licentiam poeticam, praesertim cum aequinoctium diebus XXIV. et XXV. Septembris alligari solitum nondum praeteriisset. Cumque Virgilius cecinerit Georg. Libr. I. v. 311.:

Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
Atque, ubi jam breviorque dies et mollior aestas,
Quae vigilanda viris;

quidni, inquit Massonus, Horatius noctem d. 22. et 23. Septembris interjectam dicere potuit *aestivam?* Accuratissime H. Vossius ad Virgilii Georg. l. c. p. 149.: „*Der römische Herbst dauert vom*

Frühuntergange der Leier am 11. *oder* 12. *August bis zum Frühuntergang der Plejaden um den* 11. *November: gegen welchen Anfang des Winters nach der Herbstgleiche der Tag sich kürzt und die Hitze des Sommers oder der schönen Jahrszeit, aestas, milder wird.*" Sic apud Calpurnium Eclog. I. v. 1.:

Nondum Solis equos declivis mitigat aestas,
Quamvis et madidis incumbant praela racemis
Et spument rauco ferventia musta susurro:

ubi *declivis aestas* est Virgilii *mollior aestas,* quando, ut Lucanus Libr. X. 236. ait, *in auctumnum declinat Phoebus;* ac significari apud Calpurnium mensem Septembrem, erudite probavit Sarpius in Quaest. Philolog. (Rostoch. 1819.) p. 27. ex verbis Ulpiani Digg. XLIII. tit. 20. fragm. 1. §. 32. „*aestatem incipere, sic peritiores tradiderunt, ab aequinoctio verno, et finiri aequinoctio autumnali.*" His expositis, nemo, opinor, amplius dubitabit quin ex Romanorum ratione nox d. 23. Septembris antecedens commode dici potuerit *aestiva.* Eam vult Poeta cum Torquato *sermone benigno tendere* h. e. sermone multo et prolixo transigere: nam *tendere* h. l. non est extendere, producere, ut cum Bentlejo etiam Santenius ad Terentian. M. p. 142. accipit, sed agere, exigere, consumere. Sic *τείνειν βίον ἐλπίσιν, aevum agere,* ap. Aeschyl. Prometh. v. 548. ibiq. v. Blomfieldi Glossar. p. 129. et Heynius ad Virgilii Aen. Libr. VI. v. 807. Dies Caesaris Augusti natalis justitium attulit et Torquato Moschi caussam cum maxime agenti potestatem dedit, familiariter cum Horatio sermocinandi per noctem aestivam et in multam lucem dormiendi. Solebant enim Romani negotiis occupati somnum nocturnum finire sole

oriente, et patronis dulce fuit et sollemne reclusa mane domo vigilare et clienti promere jura, ut ait Horatius Libr. II. Epist. 1. v. 104. Male Bothius de somno meridiano explicat, licet per aestatem solerent Romani meridiari: Varro de R. R. Libr. I. 2. §. 5.: „*Ego hic, ubi nox et dies modice redit et abit, tamen aestivo diem si non diffinderem meo insiticio somno meridie, vivere non possem.*“ Idem Libr. III. 2. §. 15.: „*ubi aestate diem meridie dividere soleam.*“ Sed apud Horatium sermo est de coena geniali, qua nox aestiva exigatur, et tum sine detrimento in multam lucem dormiatur.

Caesaris Augusti diem natalem quotannis publice celebratum esse, permultis scriptorum et monumentorum testimoniis constat, de quibus consulendi sunt Fogginius ad Fast. Praenest. p. 131. et Liebe in Gotha Numar. p. 53. 57. 279. et 524. cl. Burmanni Not. ad Suetonii Aug. c. 5. p. 204. Sic, teste Dione Cass. Libr. LIV. c. 26., anno U. C. 741. *τὰ γενέθλια τοῦ Αὐγούστου ὁ Ἴουλος ὁ τοῦ Ἀντωνίου παῖς στρατηγῶν, καὶ ἱπποδρομίᾳ καὶ σφαγαῖς θηρίων ἑώρτασε καὶ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ καὶ ἐκεῖνον καὶ τὴν βουλὴν κατὰ δόγμα αὐτῆς εἱστίασεν:* ibiq. v. Intpp. Vol. VI. p. 129. Strz. Atque ut quisque esset Augusto conjunctissimus ac familiarissimus, ita credibile est eum pro sua facultate illum diem domi cum pietate obiisse et suaviter cum amicis peregisse. Vide autem quam scite et artificiose rem instituerit Poeta, qui suo in aere pauper esset ac, licet sub paupere tecto, reges et regum amicos vita praecurreret! Non ipsum diem Caesaris Augusti natalem domi suae celebraturum se esse profitetur, sed noctem praecedentem epulo hilari cum amicis quibusdam transacturum. Jam si sumimus, *Torquatum*, quem invitat, esse Aspre-

natem Nonium illum, Augusto amicissimum, nemo erit quin intelligat quam multum lucis inde accipiat epistolae hujus scribendae consilium, et quantam habeat totum hoc carmen artis ac praestantiae accessionem. Quid enim blandius esse poterat Augusto quam publica haec studii ac pietatis in ipsum significatio? quid Poetae etiam honestius, qui hac ratione nequaquam se abjiceret ad turpem Principis adulationem? et denique quid fortius movere poterat Torquatum, Augusti amicum, ut Horatio invitanti obsequeretur et cum eo hilaris hilarem noctem transigeret?

Haec habui, quae de *Torquato* Horatiano sive *Nonio Asprenate* dicerem ad confirmandam Theod. Marcilii suspicionem, qua mihi quidem videtur esse nihil acutius nihilque probabilius. Quodsi hac qualicumque disputatione mea effecero, ut ne quis amplius Interpretum Horatii utrumque illud carmen L. Manlio Torquato, Consulis sive filio sive nepoti, inscriptum esse dicat, satis uberem laboris mei me fructum percepisse existimabo.

EXCURSUS II.

DE

T. LABIENO ORATORE ET HISTORICO.

T. Labienus, orator et historiarum scriptor, a N. Fabro ad Senecae Controv. Libr. V. p. 349. Tom. III. ed. Elzev. putatur fuisse nepos Labieni illius, qui cum egregiam operam Julio Caesari in Gallia praestitisset, bello tamen civili ad Pompeji

partes transiit et in pugna ad Mundam caesus occubuit: v. Dio Cass. Libr. XLI. c. 4. ibiq. Fabricius N. 15. et Auct. de B. Hispan. c. 31. Hujus filius cognominis, a Bruto et Cassio auxilii petendi caussa ad Orodem missus, audita clade Philippensi, apud Parthos remansit eisque auctor exstitit, ut Romanis bellum inferrent, teste Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 24. ibiq. v. Fabricius N. 106. Eum *μειράκιον εὐερέθιστον καὶ ἀνοίας πλῆρες* appellat Strabo Libr. XIV. 2. §. 24. Tom. V. p. 636. Tz. idemque cum Dione c. 26. testatur, illum sese nominasse *Παρθικὸν αὐτοκράτορα.* Anno U. C. 715. in fuga a Demetrio, Cypri praefecto, captus est, auctore Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 40. Jam hujus filium N. Faber oratorem T. Labienum fuisse statuit nulla alia ductus ratione, quam quod idem ei praenomen sit. Qua de re haud injuria assensum suspendit suum G. J. Vossius de Histor. Latin. Libr. I. c. 23. p. 38. Tom. IV. Opp. Retinuit utique ille animo gentis suae промciam eamque dictis scriptisque exprompsit. Fuit, inquit disertissimus de eo testis, M. Seneca, orator magnus, qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii, confitentibus magis hominibus pervenerat quam volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium. Hinc Asinius Pollio, auctore Quintiliano I. Or. Libr. IV. c. 1. §. 11., eum adversarii patronum pro Urbiniae heredibus inter argumenta malae caussae posuit: v. Thorbecke de As. Pollionis Vit. et Stud. p. 74. sq. et H. Meyerus in Oratt. Roman. Fragm. p. 213. et p. 221. Labienus Pompejanus dissidebat infesto animo ab Asinio Pollione Caesariano, eumque in oratione, cujus meminit Quintilianus I. Or. Libr. I. c. 5. §. 8., voce Gallica appellaverat *Casnar*, h. e. assectatorem sc. Caesaris,

parasitum, scurram, ut explicat H. Meyerus in Addend. ad Quintilian. Tom. I. p. 460. Eodem in numero ac loco habendum est illud, quod de Asinio Pollione, qui numquam admissa multitudine declamaret, judicium fecit allatum a M. Seneca Excerpt. Controv. Libr. IV. p. 412. Bip.: „*Ille triumphalis senex* ἀκροάσεις *suas nunquam populo commisit: sive quia parum in illis habuerit fiduciae, sive, quod magis crediderim, tantus orator inferius id opus ingenio suo duxerit.*“ Quae quidem mihi sumpta esse videntur a M. Seneca ex Labieni historiis, quibus suae potissimum aetatis res et homines complexum eum esse dubitari nequit.

Animus Labieni per vitia, inquit M. Seneca, ingens fuit et ad similitudinem ingenii violentus. Nemo tamen erat, quin cum homini omnia objiceret, ingenio multum tribueret. Libertas ei fuit tanta, ut libertatis nomen excederet et quia passim ordines hominesque laniabat, *Rabienus* vocaretur. Pro *Rabieni* nomine contumeliae caussa ei dato G. J. Vossius, quo melius παρονομασία servaretur, tentabat *Lanienus*, cum ordines hominesque laniasse diceretur. Sed jure ipse illud rejecit, cum ἐμφατικώτερον sit nomen *Rabieni*, quod, invita Minerva, per conjecturam Bentlejus obtrudere volebat Horatii Libr. I. Sat. 3. v. 82.:

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces, tepidumque ligurierit jus,
In cruce suffigat: Labeone insanior inter
Sanos dicatur.

At non T. Labienum illum hic traduci ab Horatio, sed M. Antistium Labeonem, principem illum Ictorum, evincere studui in Lectionum Venus. P. II. §. 4.

Labienus spiritu et animo Pompejano scripserat historiam suorum temporum; nam praeteritorum temporum res si enarrasset quamvis summa cum libertate, dubito num ejus scripta igni deleta fuissent. Eam sententiam confirmant, quae idem M. Seneca addit: Memini, inquit, aliquando cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse et dixisse: *„haec, quae transeo, post mortem meam legentur."* Combustis ex Senatus consulto ejus scriptis non tulit hanc contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit atque ita includi, veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur. Non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit, ut ait M. Seneca.

Talem virum, qualem T. Labienum fuisse scripsimus, conjunctissimo vixisse cum Cassio Severo, nemo mirabitur qui meminerit quae Plato in Symp. c. 18. §. 3. scribit: *ὁ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει· ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει.* Uterque non potuit in summa pace ponere Pompejanos spiritus, tenuitque odium Caesarianae factionis hereditarium. M. Seneca Labienum dicit mentis quam linguae amarioris fuisse: et, quantum ex scriptorum veterum testimoniis colligi licet, dubium non est quin linguae acerbitate et dicacitate multo promptior Labieno fuerit Cassius Severus; animo autem in Caesarianos infenso neuter videtur alteri concessisse. Huc pertinet quod legimus apud Quintilian. I. Or. Libr. VI. c. 3. §. 79.: „Elusit Cassius Severus objiciente quodam, quod ei domo sua Proculejus interdixisset, respondendo: *Numquid ergo illuc accedo?*" Nam Proculejus ille sine dubio est Maecenatis per Terentiam affinis et Augusti amicus; quem notum paterni in fratres ani-

mi extento aevo victurum esse auguratur Horatius Libr. II. od. 2. v. 5. Nec qui Cassii Severi ingenium animumque noverit, offendetur ejus judicio dicentis, eloquentissimi Platonis orationem, quae pro Socrate scripta sit, nec patrono nec reo dignam esse, ut refert M. Seneca Excerpt. Controv. Libr. III. p. 397. Bip.

Nos deperditis T. Labieni historiis insignem fecisse jacturam, nemo facile infitiabitur. Ille enim aeque atque Asinius Pollio et Cremutius Cordus decoris illis accensendus est ingeniis, quae dicendis Augusti temporibus non defuisse ait Tacitus Ann. Libr. I. c. 1., donec gliscente adulatione deterrerentur. Atque hoc factum est Augusto regnante. Nam ut certum est, Labienum primum omnium Romanorum hanc ingenii sui poenam subiisse, ut libri ejus omnes incenderentur, ita mihi non dubium etiam est quin nova ista et insueta supplicia, de studiis sumpta, jam sub Augusto excogitata fuerint et Labienus illo adhuc imperante vitam finiverit. In ea suspicione me quodammodo confirmant ea, quae M. Seneca scribit: „Bono hercule publico, ista in poenas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est!“ et „Dii melius, quod eo saeculo ista ingeniorum supplicia coeperunt, quo et ingenia desierunt!“ Utrumque dictum cadit in extremum Augusti imperium. Atque Tiberius haud dubie habuit, cujus vestigiis ingrederetur, cum a. U. C. 778. truci vultu acciperet Cremutii Cordi defensionem et Patres hujus libros per Aediles cremandos censerent. Ac cum Tacitus Ann. Libr. IV. c. 35. tradat, Cremutii Cordi libros mansisse tamen occultatos et editos esse sub Tiberio, qui omnem sentiendi et scribendi libertatem subverteret; habemus sane quod idem T. La-

bieni scriptis evenisse credamus. Conquiri illa jussit Caligula et esse in manibus lectitarique permisit, auctore Suetonio c. 16., sed idem fortasse posthac effecit, ut penitus tollerentur atque evanescerent: v. Suetonii Calig. c. 34. Libet autem cum Tacito Ann. Libr. IV. c. 35. illorum Imperatorum socordiam irridere, qui praesenti potentia crederent exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis, gliscit auctoritas, et isti nihil aliud sibi nisi dedecus, atque illis gloriam peperere.

EXCURSUS III.

DE LOCO *HORATII* LIBR. I. SAT. 4. v. 9. sqq.

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. —

In controverso hoc Horatii loco ego supra in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 8. verbum *tollere* accepi notione expungendi, reprehendendi, improbandi. Quintilianum enim I. Or. Libr. X. c. 1. §. 94. sive prudentem sive imprudentem illius loci sententiam invertisse arbitror interpretando: *et esse aliquid, quod tollere possis*, h. e. servare, assumere, excerpere, tamquam ex luto aurum eligere possis. Et qui hanc sententiam loco Horatiano, praeeuntibus Scholiastis, inferre studuerunt, Heindorfius et Buttmannus in Addend. ad Spaldingii Quintilian.

Tom. IV. p. 710. sq., quibus assentiunt Wolffius, Geelius in Biblioth. Crit. Nov. Vol. III. p. 280. et Gernhardus, ii vereor ut satis perspectum habuerint consilium, quod Horatius tota hac in Satira sequeretur. Quam Spaldingius proposuit loci Horatiani interpretationem, subtiliter defensam a Fr. A. Wolfio in Anal. Litter. Vol. I. p. 185. sqq., tuetur alter Poetae Venusini locus Sat. 10. v. 50.:

At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis;

cujus sententia, dempta imagine, haec est: Lucilium dixi scripsisse tumultuario stylo multa, in quibus plura insunt, quae *tollere*, h. e. loco movere, expungere velis, quam quae *relinquere*, i. e. servare, probare possis. Quodsi Buttmannus contendit, gravissimum suae interpretationis momentum situm esse in ipsa imaginis veritate, videtur vir doctissimus non satis animadvertisse vim Adj. *lutulentus*, quod differt a v. *lutosus*, ut pulchre docuit L. Döderlein in *Latein. Synonymik* P. II. p. 51. de hoc ipso Horatii loco observans, v. *tollere* probandi significatu non posse conciliari cum v. 12., ubi Lucilius *garrulus* audiat *et piger scribendi ferre laborem.* Recte! Horatius enim h. l. minime id egit, ut quidquam in Lucilii laudem diceret. Quum Heindorfius verba illa transfert: *„wenn er schlammig daher floss, war mancherlei, was man wegzuräumen wünschte,“* et existimat, tribuenda v. *tollere* expungendi notione toti versui *ταυτολογίαν* frigidam inferri, non vidit, particulam *cum* h. l. esse caussalem, quam dicunt, et Poetae mentem esse hanc: cum Lucilius, in hora saepe ducentos versus dictans, lutulentus flueret, factum est, ut in ejus Satiris essent, quae

abesse velles. Optimo huic locum lingua patria reddidit Kirchnerus nostras:

Weil er des Schlamms voll strömte, so gab's, was tilgen man möchte.
Er, redselig und faul, die Beschwerd' im Schreiben zu tragen;
Nämlich im richtigen Schreiben: ob viel, nicht acht' ich es. —

Quapropter subdubito, num opus sit eo verborum interductu, quem huic loco adhibendum proposuit L. Doederleinius l. c. Is enim interpungi maluit:

Cum flueret, lutulentus erat, quod tollere velles
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;

hanc subjiciens sententiam: „Quamvis flueret et prompta esset Lucilii oratio, in hora saepe ducentos versus dictantis, idem tamen lutulentus erat, multumque, quod abesse sine ullo rei detrimento posset, garriens." Hac in interpretatione quid mihi displiceat, pace doctissimi Doederleinii, aperte et eo confidentius nunc dicam, quo magis laetor eadem fere de hoc tentamine mecum sentire virum eximium, Jacobsium, ut nuperrime intellexi ex ejus Lection. Venus. XI. p. 242. sqq. Primum oratio quae *fluere* dicitur, laudatur potius quam vituperatur. Et si a Cicerone de Orat. Libr. III. c. 49. §. 190. „*ne fluat oratio*" cavere jubetur orator, intelligenda ea est, quae nullis numeris adstricta et nulla lege fertur soluta. Plerumque bono sensu dicitur, ut multis exemplis docuit J. Chr. Th. Ernestius in Lexic. Technol. Lat. Rhet. p. 176. sqq. Atque ut tribuamus h. l. v. *fluere* notionem inconstantiae et motus cujusdam vagabundi, tamen oratio Lucilii ideo non potest dici exstitisse lutulenta. Deinde me vehementer offendit constructio: *gar-*

rulus quod tollere velles pro *garriens* seu *garrit quod tollere velles.* Denique haud scio an hac ratione non debilitetur totius loci contextus. Horatius agnoscit ingenium Lucilii eumque hominem esse fatetur comem, facetum, emunctae naris, h. e. sagaciter observantem hominum mores, sed reprehendit versuum ejus duritiem, natam nimia scribendi festinatione et limae metu. Hinc ejus versus scabri erant et deturpati maculis, quas Horatius sublatas esse vellet. Hoc autem dictionis Lucilianae vitium exprimit imagine a flumine lutulento petita, cui sane non convenit v. *tollere.* At quis poetas putat adstringendos esse illi praecepto, quod oratoribus injungit Quintilianus I. Or. Libr. VIII. c. 6. §. 50.?

Caeterum non erat quod Quintilianus ab Horatio dissentiret ratus malignius ab eo laudatum esse Lucilium. Quae enim ei a Quintiliano tribuitur *eruditio mira* et *libertas* atque inde *acerbitas,* easdem virtutes quis eidem non impertitas esse fateatur ab Horatio dicente, a priscae Comoediae poetis totum pendere Lucilium v. 6.? Neque derogat ei *abundantiam salis* appellans eum *facetum* et *emunctae* hominem *naris:* quorum verborum vim et usum ex Graecorum opinione quadam repetendum illustravi in Lectionum Venus. P. I. p. 5. cl. Jacobsii Lection. Venus. XI. p. 239. N.

EXCURSUS IV.

DE
M. TULLIO CICERONE, M. COS. FILIO, HORATII COMMILITONE.

M. Tullius Cicero, Marci Consulis filius, natus est Romae anno U. C. 690., ita ut uno tantum anno minor esset quam Horatius. Mense Aprili a. U. C. 709. missus est Athenas, philosophiam artesque ingenuas addiscendi caussa. Horatius eodem anno se studiorum caussa in illam urbem contulisse videtur: id certe evidens est, eum jam aliquamdiu commoratum ibi esse, antequam post Julii Caesaris caedem bellum civile erumperet: v. Massonus in Vit. Horat. ad a. U. C. 709. p. 33. sqq. Num quis usus familiaris ac conjunctio consuetudinis alteri cum altero Athenis fuerit, ut nusquam traditum invenimus, ita mihi utriusque vitam et mores spectanti ne veri quidem simile videtur. Horatius, libertino natus patre modicique agelli possessore, haud dubie restrictius debebat vivere ac victus cultusque parcere sumptibus; contra filius Consulis a patre non modo liberaliter, sed etiam ornate cumulateque tractabatur: v. ad Attic. Libr. XV. Ep. 15. §. 4. Quare primum desidiae luxuique deditus aes alienum contraxerat. Quod cum pater solvisset eique, ut ex Epistolis ad Attic. Libr. XVI. 1. et 15. discimus, annuam constituisset HS LXXX., i. e. ex nostrae pecuniae ratione, 3500. Imperiales, tamen novimus, filiolum modestum illum, qui soleret mittere epistolas sic et *φιλοστόργως* et *εὐπινῶς* scriptas, eas ut vel in acroasi legere auderet pater, de hujus annui

tenuitate questum esse: v. ad Attic. Libr. XV. Epp. 15. 16. et 17. Patris amicis, qui eum Athenis convenerant, si credimus et ipsius filii ad Tironem epistolis, existimandus est insigniter in litteris profecisse. Modestius ac verius de se scribit Horatius Libr. II. Epist. 2. v. 41. sqq.:

Romae nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles.
Adjecere bonae paullo plus artis Athenae,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit aestus in arma,
Caesaris Augusti non responsura lacertis.

Atque ex hoc grato loco tempora emoverunt etiam Ciceronem filium. Cum enim M. Brutus mense Septembri a. U. C. 710. velis in altum datis, Athenas pervenisset clam ibi bellum paraturus, cum alios juvenes Romanos, studiorum caussa Athenis versantes, sibi adjunxit, tum etiam Ciceronem et Horatium. Hunc fortasse primum de facie cognoverat apud Theomnestum Academicum, quem a Bruto per illud tempus auditum esse refert Plutarchus in Brut. c. 24. Horatius tum natus erat annos 22. et Cicero annos 21. Ille a Bruto tribunus militum factus; hic equitatui praefectus est; illum prima tum facientem stipendia illo Tribunatus munere insigniter ornatum honoratumque fuisse apparet; hunc, patre teste de Offic. Libr. II. c. 13. §. 7., scimus jam a Pompejo equitatus alae alteri praefectum fuisse et tum a summo illo viro tum ab exercitu magnam laudem consecutum equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. Horatius nullum invenit suae laudis rerumque in illo bello gestarum bucci-

natorem; a Cicerone egregiam operam Bruto praestitam esse in rebus prospere gerendis, testatur Plutarchus in Brut. c. 26. Et quae Pseudo-Brutus ille Libr. II. Ep. 3. Ciceroni patri scribit: „Cicero, filius tuus, sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem, cujus sit filius. Qua re, quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est carissimus, illud tribue judicio meo, ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos:" ea haud dubie ex eodem hausta fonte et declamatorio tantum stylo exornata sunt, unde profecerat Plutarchus de Brut. c. 24. narrans: *καὶ τὲς σχολάζοντας ἀπὸ Ῥώμης ἐν ἄστει νέες ἀνελάμβανε καὶ συνεῖχεν. Ὧν ἦν καὶ Κικέρωνος υἱὸς, ὃν ἐπαινεῖ διαφερόντως, καί φησιν, εἴτ' ἐγρήγορεν, εἴτ' ἐνυπνιάζεται, θαυμάζειν οὕτω γενναῖον ὄντα καὶ μισοτύραννον.*

Horatium et Ciceronem commune Triumvirorum odium et M. Bruti castra non majori familiaritate conjunxisse videntur, quam communia philosophiae studia, in quae Athenis eisdem usi magistris incubuerant. Ille cum pedestribus copiis, hic equitatui praeesset, ne contubernium quidem inter eos esse poterat. Et cum veri admodum simile sit, Ciceronem numquam animo dimisisse cogitationem, cujus esset filius; a vero minime abhorret, eum fuisse inter eos, quos carpit Horatius ad Maecenatem scribens Libr. I. Sat. 6. v. 45. sqq.:

Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum;
Nunc, quia sim tibi, Maecenas, convictor, at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

Post cladem Philippensem alius alio se contulit: Horatium, decisis humilem pennis inopemque paterni et laris et fundi, paupertas impulit audax, uti scribit Libr. II. Epist. 2. v. 50., ut versus faceret Romae, quam recta contenderat ex Philippensi campo; Ciceronem contra sese conjunxisse cum Cassio Parmensi et cum eo ad Sext. Pompejum transiisse, narratum legimus ab Appiano de B. C. Libr. V. c. 2. et IV. c. 51. Facta deinde cum Sexto Pompejo ad Misenum a. U. C. 715. a Triumviris pace, etiam Cicero Cos. filius restitutus cum aliis civibus proscriptis esse et ad suos lares rediisse videtur. Sed ut Athenis et in Bruti castris utrumque disjunxerat diversa ingenii animique indoles, ita Romae quoque Horatium a Cicerone, quamvis per Octavianum ad honores magistratusque evecto alienabat alienatumque tenebat summa morum vitaeque dissimilitudo, si quidem ille in dies magis magisque a patris virtute degeneraret. Non poterat latere Horatium, tam emunctae naris hominem, huic Consulis magni filio virtutes omnes deesse, stuporem et vitia adesse, ut haud immerito J. Lipsius judicavit de illo ad Senecam de Benef. Libr. IV. c. 30.: „Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria, et esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quae res Consulem fecit, nisi pater?"

Quapropter nemini mirationem facere poterit, quod M. Cicero filius nusquam a Poeta Venusino neque cum laude neque cum vituperatione commemoratus sit. Falluntur enim, qui in uno aut altero Satirarum loco eum perstringi suspicentur. Sic cum in Libri I. Satira *sexta* bis memoretur *Tullius* sive, variante nominis scriptura, *Tillius* quidam,

fuerunt qui, refragantibus quidem Codd. melioris notae Mstis, *Tullii* nomen praeferrent v. 23.:

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tulli,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno?

et, ut Landinus et Baxterus, ad Ciceronis Consulis filium referrent. Quid autem est inscitius? Primum Codices plurimi et optt. pro *Tulli* offerunt *Tilli*, quod Bentlejus jure reposuit; deinde quomodo Ciceronis filius, qui annum agens vigesimum primum in M. Bruti castris meruit, dici potuerit *sumere depositum clavum*, fateor me non assequi. Scholiastas si consulimus, Acron, „*Iste Tullius*, inquit, *senator fuit et ante remotus est a Senatu per Caesarem, quasi Pompejus* (leg. Pompejanus): *occiso Caesare recepit clavum, id est, senatoriam dignitatem. Fuit autem ignobilis.*" Et Scholiast. Cruq.: „*Tullius hic Senatu motus est a Caesare quasi Pompejanus: occiso vero Caesare recepit latum iterum clavum h. e. senatoriam dignitatem et tribunus militum factus est.*" Scribendum est sine haesitatione ap. Scholiastas *Tillius* pro *Tullius*: qua nominum confusione nihil est frequentius et, propemodum dixerim, sollemnius, teste Garatonio ad Ciceron. Philipp. II. c. 11. p. 246. Tom. I. Wdf. Jahnius ad h. l. intelligit fratrem *Tillii Cimbri*, aliunde mihi non cognitum. In eadem Satira v. 107. legimus:

Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tulli,
Cum Tiburte viâ praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque:

de quo loco Spohnius, auctore Jahnio p. 257., ita disputavit: „Carpit *M. Tullium Ciceronem* filium, qui socius Cassii Parmensis et ex iis fuit, qui Horatium

in castris Bruti lacessiverant. Huic Tullio affinis erat Gratidia. Ipse autem perditis moribus et homo gulosus. Anno 724. consul factus est et haud dubie a. 719. praetor fuerat. Vir praetorius igitur cum quinque servis in Tiburte via in praedium paternum abiit.“ Ego quidem h. l. lectionem *Tulli* praefero alteri *Tilli*, quam Bentlejus ex Codd. reposuit, cum idem ipsi videretur esse, qui v. 24. memoratur. At Codicum nulla esse potest ea in re auctoritas, alioquin apud Sueton. J. Caes. c. 42. legendum esset *Cimber Tullius*, uti etiam a nonnullis ibi editum est, ita ut Glandorpius in Onomast. p. 854. illum Julii Caesaris percussorem genti Tulliae adscripserit: sed videatur, praeter Fabricium ad Dion. Cass. Libr. XLIV. c. 19. N. 98. Vol. V. p. 421. Strz., Huschkius in Comment. de C. Annio Cimbro p. 16. N. 5. Apud Horatium de diversis hominibus sermonem esse, apertum est. Jam Spohnii conjectura fuit quo mihi quoque perplaceret. Primum enim si Consulis filius in Bruti castris commilitonem libertino natum patre altis superciliis despexerat eumque dictis factisque violaverat, id quod haud alienum a vero esse diximus, non est quod miremur, Horatium illius memorem offensionis data occasione istius superbiae illusisse. Deinde id etiam verisimile est, a Caesare Octaviano, quem subinde poeniteret Ciceronis patris nefarie proditi et proscripti, hujus filium ut *auguratus* honore condecoratum et inter *treviros monetales* electum, teste Appiano B. C. Libr. IV. c. 51., ita etiam *praetura* ornatum esse a. U. C. 719., ut anno U. C. 724. admoveri posset Consulatui. At in Tullio Praetore illo ab Horatio notatur non fastus et insolentia natalium splendore superbiens et se jactans, sed vitae ratio parca

et sordida, quae dubito num cadere potuerit in hominem perditis moribus gulosum et tam vinolentum, ut, referente Plinio N. H. Libr. XIV. c. 22., vinolentiae gloriam interfectori patris sui, M. Antonio, auferre voluisse videretur.

Quam ob caussam hoc etiam Horatii loco nego factam esse mentionem M. Ciceronis filii. Nos utique illum, patris clarissimi caussa, studio quodam et favore prosequimur, non item Horatius complecti debebat, cui rationes et caussae esse possent satis graves, ob quas istum commilitonem suum ne ulla quidem mentione dignum putaret.

EXCURSUS V.

DE

JULO ANTONIO TRIUMVIRI FILIO.

De *Julo Antonio*, M. Antonii Triumviri filio, quem in Commentatione *de Cassio Parmensi* §. 15. N. 48. dixi conjunctissime vixisse cum Horatio, accuratius hic et copiosius expositurus facere non possum, quin, quo planius certiusque de filio, ejus ingenio, vita moribusque judicari queat, nonnulla de patris vita privata, studiis rebusque domesticis praemittam. Nam quae ab illo publice gesta sunt, memoratu sane dignissima, ea partim huc non pertinent, partim etiam summa cum cura nuper pertractata sunt a G. Drumanno in Hist. Rom. Tom. I. p. 58. sqq.

M. Antonius Triumvir, M. Antonii Cretici filius et M. Antonii oratoris nepos fuit, teste Plutarcho

c. 1. Mater ejus Julia fuit L. Julii Caesaris, Cos. a. U. C. 664. filia, quam *ταῖς ἀρίσταις τότε καὶ σωφρονεστάταις ἐνάμιλλον* appellat Plutarchus c. 2. Patrem amisit a. U. C. 683. redeuntem ex ignominiosa in Cretam expeditione, de qua dignus est qui conferatur C. Hoeckius in libr. *Kreta.* Vol. III. p. 501. sqq. Vecordiae paternae exemplum istud dubitari non potest quin in filii animum magnam eamque perniciosam habuerit vim, in omni ejus vita posthac factisque conspicuam. Mater ejus post conjugis obitum nupsit P. Cornelio Lentulo, quem Cicero Cos., detecta Catilinae conjuratione, in carcere jugulari jussit. Ab hoc inde tempore mutuas simultates nunc obscuras nunc apertas a Cicerone et Antonio, Lentuli privigno, susceptas fuisse, auctor est Plutarchus c. 2.

Quo anno ille natus fuerit, apud ipsos scriptores veteres controversum est. Nam Plutarchus c. 87. tradit, eum ab aliis dici *sex*, ab aliis *tres* et *quinquaginta* annos vixisse, cum Alexandriae manum sibi inferret mense Sextili a. U. C. 724. Quare eum aut a. U. C. 668. aut 671. vitae lucem vidisse statuemus. Cum autem ille post pugnam Philippensem a. U. C. 713., congressus in Cilicia cum Cleopatra, cujus amore statim capiebatur, ab Appiano de B. C. Libr. V. c. 8. dicatur natus fuisse annos quadraginta, ipsa temporis ratio suadet, illum u a. U. C. 668. L. Cornelio Cinna II. et C. Mario VII. Coss., natum esse ponamus, ut recte observavit Drumannus l. c. Tom. I. p. 64.

Naturam ille in tribuendis corporis ingeniique bonis habuerat fautricem. Nam, ut verbis Plutarchi c. 4. utar, *προσῆν — καὶ μορφῆς ἐλευθέριον ἀξίωμα καὶ πώγων τις οὐκ ἀγεννὴς καὶ πλάτος μετώπε καὶ γρυπότης*

μυκτῆρος ἐδόκει τοῖς γραφομένοις καὶ πλαττομένοις Ἡρακλέους προσώποις ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ἀῤῥενωπόν. Atque corpus ejus libidine vitaeque deliciis tam parum enervatum est, ut vel provectiore aetate, si res ac tempus ferret, laborum famisque esset patientissimum. Praeterea a Plutarcho c. 43. laudantur in eo *εὐγένεια, λόγου δύναμις, ἁπλότης, τὸ φιλόδωρον καὶ μεγαλόδωρον, ἡ περὶ τὰς παιδιὰς καὶ τὰς ὁμιλίας εὐτραπελία*, easque virtutes, quo difficiliora erant et angustiora tempora, eo conspectiores solebat explicare. Nam, ut pulchre ait Plutarchus c. 17., *φύσει παρὰ τὰς κακοπραγίας ἐγίνετο βέλτιστος ἑαυτοῦ καὶ δυστυχῶν ὁμοιότατος ἦν ἀγαθῷ.* Mores ejus animumque, in quo mirum virtutum vitiorumque certamen fuisse liquet, breviter sed vere depingit Dio Cassius Libr. LI. c. 15. ibique v. Fabricius Vol. VI. p. 13. Strz.

Ingenium ad dicendum ei fuisse videtur mediocre, quod tamen si studio et meditatione maluisset excolere quam corpus militiae laboribus assuefacere, majorem fortasse adeptus fuisset laudem. Nam si narratur dicendo saepe protulisse, quod videretur haud indisertum, et laude populari prosperoque eventu comprobaretur; existimandus est multum etiam effecisse animi laterumque robore, verborum inani pompa et adjumentis extrinsecus assumptis, ita ut nonnumquam vere tragoedias ageret. Romae *Epidio* rhetori Latino operam dederat, auctore Suetonio de Clar. Rhet. c. 4. Deinde usus etiam est magistro *Sext. Clodio* e Sicilia, Latinae simul Graecaeque eloquentiae magistro, ut testatur Suetonius l. c. c. 5. Non multum fidei tribuendum esse videtur Ciceroni irridenti istum rhetorem, cui duo millia jugerum campi Leontini ab M. Antonio assignata fuerant eaque immunia, quia nihil sapere

ab eo didicisset: v. Philipp. II. c. 4. et 17. cl. Intpp. ad Dion. Cass. Libr. XLV. c. 30. Vol. V. p. 462. Strz. Secutus autem est M. Antonius dicendi genus Asiaticum opimum illud et adipale, quod, ut Plutarchus c. 2. ait, haberet *ὁμοιότητα πρὸς τὸν βίον αὐτȣ̃ κομπώδη καὶ φρυαγματίαν ὄντα καὶ κενȣ̃ γαυριάματος καὶ φιλοτιμίας ἀνωμάλȣ μεστόν.*

M. Antonio juveni perniciosissima fuit consuetudo C. Curionis, qui suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, eum, quo magis sibi foret obnoxius, in vinum, lustra et profusos sumptus immergeret, licet hujus quoque rei turpitudinem invidiose exaggerasse mihi videatur Cicero Philipp. II. c. 18. cl. Dion. Cass. Libr. XLV. c. 26. Misso Curione se P. Clodii tribuni pl. furori paulisper applicuit, auctore Plutarcho c. 2., sed mox ejus insaniam pertaesus ex Italia in Graeciam navigavit ibique aliquamdiu commoratus intermissa litterarum et eloquentiae studia revocavit.

Jam cum in aetatis flore constitutus rerum turbis contentionibusque civilibus objiceretur, coepit pro ea, qua erat, animi impotentia turpibus libidinibus et quotidianae fere crapulae indulgere: quae res minus corpori nocebant natura valido, sed animum ad sensum humanitatis et elegantiae obtundebant. Neque fieri poterat quin ingenii vires hac vitae ratione sensim hebescerent. Quare Augustus, auctore Suetonio c. 86., haud injuria eum increpuisse videtur ut insanum, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines quam intelligant. Nam in ejus epistolis quoque, quae supersunt, desideramus consilium et acrius judicium.

Fuit M. Antonius homo multarum nuptiarum. Legitimo conjugio conjunctus vixit cum quatuor uxo-

ribus, de quibus pro hujus scriptionis consilio pauca dicenda sunt.

I. Prima ejus uxor fuit *Fadia*, filia Q. Fadii libertini, ut discimus ex Ciceronis Philipp. II. c. 2.: „*quum te omnes recordarentur libertini generum, et liberos tuos, nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuisse.*“ Hunc M. Antonii socerum cum in confesso sit respici a Cicerone ad Attic. Libr. XVI. ep. 11. §. 1.: „*tantum, ut sciant* παῖδες παίδων *sine sillo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse;*“ in hoc epistolae loco, praeeunte Ferrario, sine haesitatione *Quinti* praenomen reponendum est: qui librariorum lapsus tanto facilior est, cum *C.* passim per *G.* exprimatur, ut ostendi in Commentat. *de L. Vario Poeta* §. 4. N. 14. Adde ex Ciceronis Philipp. III. c. 6.: „*ipse* (M. Antonius) *ex libertini filia susceperit liberos.*“ Quibus ex locis planum fit, M. Antonio fuisse quidem ex illa Fadia liberos, sed tum jam mortuos. Eam haud dubie adolescens in matrimonium duxerat, eaque sive mortua sive repudiata aliam quaesiverat conditionem,

II. *Antoniam*, C. Antonii patrui filiam, natu, ut equidem puto, minorem. Sed non multo post eam dimisit suspectam de adulterio cum P. Dolabella. Id factum vehementer exagitat Cicero Philipp. II. c. 38.: „*Filiam ejus* (C. Antonii), *sororem tuam* (patruelem), *ejecisti, alia conditione quaesita et ante perspecta. Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam feminam. — Contentus eo non fuisti. Frequentissimo Senatu Kalendis Januariis sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella caussam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses.*“ Glandorpius in Onomast. p. 83. et 86. hanc Antoniam dicit fuisse

tertiam M. Antonii conjugem, quam suis artibus exegisset Fulvia, altera uxor, in tempus repudiata, sed mox reducta. At Plutarchum c. 9. si sequimur, Antonia dimissa est anno U. C. 707., quo anno P. Dolabella Tribunus pl. erat, et Fulvia demum ducta anno U. C. 708., ut idem Plutarchus c. 10. attestatur. Eam ipsam Fulviam puto significari a Cicerone Philipp. II. c. 38. verbis: „*alia conditione quaesita et ante perspecta*“, licet dissentiat Im. G. Huschkius in Analect. Litter. p. 312 sq. multa doctrina connisus probare, illa verba ad Cytheridem mimam referenda esse. At quamvis sciam, Ciceronem, ubi de M. Antonii et Cytheridis istius amoribus loquatur, invidiose uti verbis legitimi connubii, et posse illam locutionem: *conditionem quaerere* etiam de innuptis nuptiis accipi; tamen vehementer dubito, num res ac tempora ferant, ut de alia quam de Fulvia cogitetur. Mihi videtur M. Antonius, Antonia nondum dimissa, jam cum Cytheride consuevisse, et post divortium cum sorore patrueli factum istius mimae amori se totum dedisse et uxoris loco eam habuisse, donec animum applicaret ad legitimum matrimonium cum Fulvia, dudum sibi cognita ac perspecta, ineundum. Huc spectant verba Plutarchi c. 10.: Ἀπαλλαγεὶς γὰρ ἐκείνȣ τȣ̃ βίȣ (h. e. famosa consuetudine cum Cytheride) γάμῳ προσέσχε Φȣλβίαν ἀγαγόμενος κ. τ. λ. Id autem factum est Julio Caesare ex Africa mense Quintili reverso anni U. C. 708. Itaque non Antonia tertia fuit M. Antonii uxor, sed

III. *Fulvia*, M. Fulvii Bambalionis filia. Gens Fulvia, ad quam pertinebat Bambalio, Tusculo oriunda fuit: nam L. Fulvius Corvus Cos. a. U. C. 431. Tusculo Romam migraverat, teste Plinio N. H. Libr. VII. c. 43., ut docet Merula ad Ennii Fragm.

p. 552 sqq. et Dukerus ad Livii Libr. VIII. c. 37. Inde Fulvia cum contemptu appellatur *Tusculana* a Cicerone Philipp. III. c. 6. Mater Fulviae fuit *Sempronia*, unica filia Sempronii Tuditani, de quo Valerius Max. Libr. VII. c. 8. n. 1. et Perizonius de lege Vocon. p. 118. Cum Antonius Caesari Octaviano generis ignobilitatem exprobrasset; Cicero, quo magis illum amentiae coargueret, etiam Fulviae parentes insectatus dixit Philipp. III. c. 6.: „*tuae conjugis, bonae feminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit.*“ *Bambalio* significat balbum, haesitantis linguae hominem, *ψελλόν*, ut docuit Victorius Var. Lect. Libr. XVII. c. 14. De eodem Cicero Philipp. II. c. 36.: „*pacem haberemus, quae erat facta per obsidem, puerum nobilem, M. Bambalionis nepotem:*“ quo in loco Heusingerus singulari errore *Bambalionis* cognomen *Q. Fadio* adhaesisse opinatur; cf. c. 2. Duo distinguendi sunt M. Antonii soceri, *Fadiae* pater, Q. Fadius, et *Fulviae* pater, M. Fulvius Bambalio: utrumque confuderunt etiam Manutius et Abramus. Hunc errorem, notatum jam a Garatonio ad Philipp. II. c. 36. p. 534. Wdf. correctumque, tamen propagavit Schützius in Ind. Histor. p. 57. cf. Intpp. ad Dion. Cass. Libr. XLV. c. 47. Vol. V. p. 471. Strz.

Fulvia, *γύναιον*, ut Plutarchus c. 10. ait, *οὐ ταλασίαν οὐδ᾽ οἰκȣρίαν φρονȣ͂ν, οὐδ᾽ ἀνδρὸς ἰδιώτȣ κρατεῖν ἀξιȣ͂ν, ἀλλ᾽ ἄρχοντος ἄρχειν καὶ στρατηγȣ͂ντος στρατηγεῖν βȣλόμενον,* et nihil muliebre praeter corpus gerens, ut ait Vellejus Paterc. Libr. II. c. 14. §. 3., nupta fuerat primum cum *P. Clodio* inde ab anno U. C.

699., ut G. Drumannus in Hist. Rom. Tom. II. p. 372. conjectura probabili statuit. Ex Clodio pepererat filium, *P. Clodium,* quem privignum suum M. Antonius in Epistola ad Ciceronem (v. ad Attic. Libr. XIV. Ep. 13. A.) optimae spei puerum appellat. Eum tamen peracta enervi et frigida juventute et vulgatissimae meretricis amore infamem erubescendo mortis genere consumptum esse, refert Valerius Maxim. Libr. III. c. 5. n. 3. Porro *Claudiam* filiam, quam vixdum nubilem, sub initium Triumviratus, vitricus et mater despondebant Caesari Octaviano, teste Suetonio c. 62. — Mense Januario a. U. C. 702. amisit Fulvia Clodium maritum a Milone caesum et anno post nupsit *C. Curioni,* viro nobili, M. Antonii nuper amico et libidinum sodali. Is ex Fulvia tulerat filium, quem Caesar Octavianus post pugnam Actiacam a. U. C. 723. interfici jussit, auctore Dione Cass. Libr. LI. c. 2. Fulvia iterum vidua facta est a. U. C. 706., quo anno Curio ab Jubae copiis in Africa oppressus interiit.

Fulvia igitur in matrimonium ducta, M. Antonius, qui, Fadiae liberis defunctis nullisque ex Antonia susceptis, subole carebat, vitricus factus est duorum filiorum uniusque filiae. Illa sexennium fere matrimonio conjuncta cum M. Antonio vixit. Nam finito, quod ipsa, ut maritum a Cleopatrae amore et complexu abstraheret, conflaverat, bello Perusino, Caesar Octavianus eam cum filiolis, quos puto fuisse Clodium et Curionem pueros, inviolatam Italia excedere passus est. Occurrisse fertur marito Athenis, et inde cum eo in Italiam reditura Sicyone morbo oppressa obiit a. U. C. 714.

M. Antonius ex Fulvia duo susceperat filios. Major natu, fortasse Romanorum more, patris prae-

nomine *M. Antonius* dictus, vulgo a scriptoribus, praesertim Graecis, *Antylli* nomine commemoratur. Is, Julio Caesare interfecto, puer tenellus admodum obses datus est M. Bruto et C. Cassio, in Capitolio latitantibus, estque puer iste nobilis M. Bambalionis nepos, quem perstringit Cicero Philipp. II. c. 36. Inde a teneris videtur patris castra secutus esse: ei puero vixdum novenni Caesar Octavianus despondebat Juliam filiam, quo firmior videretur male sarta Tarenti anno U. C. 717. inter utrumque Triumvirum gratia: v. Suetonii Aug. c. 63. ibiq. Intpp. — Alexandriae cum patre commoratus magistro usus est Euphronio, ut discimus ex Plutarcho c. 73. Pater ex pugna Actiaca Alexandriam reversus, togam virilem dedit Antyllo et Caesarioni, Julii Caesaris et Cleopatrae filio, *ἵν᾽ οἵ τε Αἰγύπτιοι, ὡς καὶ ἀνδρός τινος ἤδη βασιλεύοντος σφῶν, προθυμηθῶσι, καὶ οἱ ἄλλοι προστάτας ἐκείνες, ἄν γέ τι δεινὸν σφίσι συμβῇ, ἔχοντες καρτερήσωσιν,* ut ait Dio Cass. Libr. LI. c. 6. cl. Plutarch. c. 72. Ea autem res utrique acceleravit interitum: nam Caesar Octavianus mense Sextili a. U. C. 724. Alexandriam victor ingressus Antyllum quoque, a Theodoro paedagogo proditum, sacello et simulacro D. Caesaris, ad quod post multas et irritas preces confugerat, abreptum interemit: vid. Sueton. c. 17. ibiq. BCrusius. Puer iste quam mature exstiterit paternae luxuriae sumptuumque effusorum aemulus, contestantur ea, quae relata legimus apud Plutarchum c. 28.

Alter M. Antonii et Fulviae filius fuit *Julus Antonius*, de quo fusius hic scribere instituimus. Ac primum quidem monendum est, Viros doctos vehementer dissentire, fueritne ille nominatus *Julus* an *Julius?* Codices enim scriptorum Graecorum Latino-

rumque ita in hoc nomine variant, ut ipse Oudendorpius animi pependerit, utram nominis formam reponeret ap. Sueton. Claud. c. 2. — H. Cannegieterus de Mut. Rom. Nom. c. II. p. 8. praefert *Julius* idque nomen gentilicium esse censet. Idem ap. Dion. Cass. Libr. LIV. c. 26. pro *Ἴȣλλος* adoptavit Xylandri emendationem *Ἰȣ́λιος*, ubi nuper recte Sturzius edidit *ὁ Ἶȣλος ὁ τȣ̃ Ἀντωνίȣ παῖς*, eamque lectionem ab omni dubitatione asseruit Vol. III. p. 303. Not. Nam hanc nominis scripturam tectam sartamque praestat Horatius, qui huic Triumviri filio, suo amico, inscripsit Libri IV. Odam 2.:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Nemo, opinor, erit, qui ex animo contendat, Horatium, ille si dictus fuisset *Julius*, aut metri lege coactum aut licentia nescio qua abreptum amici nomen sic mutasse adeoque decurtasse. Id factum esse fierique potuisse negat ipse P. Hofman Peerlkampius, qui mirifico usus acumine *Juli* nomen h. l. exterminat! — At erunt fortasse qui Graecam istius nominis originem urgentes illud ut trisyllabum ab Horatio debuisse proferri censeant et qui eam ob caussam Passeratii rationem cum Lambino probent edente:

Pindarum quisquis studet aemulari, I-
Ule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis etc.

Ea correctio placuit ipsi N. Heinsio ad Sil. Ital. Libr. VIII. v. 91., quae tamen neutiquam necessaria est. Qui de hujus similiumque nominum usu et pronuntiatione egerunt, laudantur ab Jahnio ad Ovi-

dii Metam. Libr. IV. v. 632. Not. Crit. ed. Gierig. — Schraderus in Emendatt. c. 12. p. 223. nullis nisi aevi deterioris poetis in usu fuisse ait, ut nomina *Jason, jaspis* et id genus alia tamquam bisyllaba proferrent. Sed fallitur! Poetae enim Latini, prout ejusmodi nominum originem Graecam aut respicerent aut negligerent, ea pronuntiando variarunt. Sic, ut hoc utar, Ovidius ex Pont. Libr. I. Eleg. 2. v. 79.: „*Aut quid Sauromatae faciant, quid Iazyges acres;*“ idem tamen Trist. Libr. II. v. 191.: „*Jazyges et Colchi, Metereaque turba Getaeque:*“ quem versum praecipiti judicio damnat atque expungendum ducit Schraderus. Quid quod Sulpicia ausa est scribere in Satir. v. 4.: „*Nec trimetro jambo nec qui pede fractus eodem Fortiter irasci didicit.*“ Atque Horatius in *Juli* nomine tanto securius confidentiusque poterat negligere originem Graecam, quanto magis illud jam usu et pronuntiatione Romanum factum et *Juliorum* nomine confirmatum sancitumque erat. Nam etiam Virgilius scripsit Aeneid. Libr. I. v. 288.: „*Julius, a magno demissum nomen Iulo.*“ Ex his manifestum fit, potuisse illud nomen ab Horatio ut bisyllabum efferri, et in eo, quo de agitur, loco elatum esse. Inde autem simul evidens est ac certum, M. Antonii Triumviri filium natu minorem minime *Julium*, sed *Julum* appellatum fuisse. Neminem enim spero futurum esse, qui sibi a Peerlkampio persuaderi patiatur, apud Horatium pro n· *Jule*, repugnante ipsa Latinitate, corrigendum esse: *Ille*, atque alium intelligendum Antonium a Triumviri filio diversum.

Sed ambiguum quoque est, hoc nomen fueritne illius Antonii cognomen an praenomen? Scholiastae Horatii, Acron et Porphyrion, ad verbum consen-

tientes, haec adnotarunt ad v. 1.: „*Haec ode ad Antonium Julum* (sic emend. pro *Julium*), *Marci Antonii filium scribitur*“ etc. atque eodem ordine haec nomina odae praescripta inveniuntur in nonnullis Torrentii et Vanderbourgii codicibus. Accedit, quod haud pauci Juliorum habebant cognomen *Juli*. Sic in Fastis Capitolinis occurrit *C. Julius L. F. Julus* Cos. a. U. C. 264., memoratus etiam a Dionysio Halic. Libr. VIII. p. 1502. R. dictusque *Γάϊος Ἰάλιος Ἰάλλος*, aliique, quos videsis in I. C. M. Laurentii Indice in illos Fastos s. n. *Julii* p. 139 sq. Itaque suspicari quis possit, idem cognomen a M. Antonio patre impositum esse filio natu minori. At huic suspicioni obstant illi Fasti Capitolini, in quibus Consules anni U. C. 743. recensentur: *Julus Antonius M. f. M. n. Africanus* et *Q. Fabius Q. F. Maximus.* Antonium illum esse eum, de quo hic sermo sit, aliunde constat; de agnomine *Africani*, quod falso ei tribuitur, cum ad Fabium pertineat, erudite exposuit ad Suetonii Claud. c. 2. Baumgarten-Crusius, quocum facit Drumannus in Histor. Rom. Tom. I. p. 520. N. 43. — Idem Drumannus recte admonet, nomen *Juli*, utrovis poneretur modo, non potuisse haberi nomen gentile. Fuit illud praenomen et cum a scriptoribus vulgo praeponeretur, evenit, ut a librariis male sciolis depravaretur et in nominis gentilicii formam „*Julius*“ transmutaretur. Inde tot natae sunt turbae, totque hominum eruditorum errores, quamvis in aprico esset, Codicum nullam hac in caussa esse posse auctoritatem! A Glandorpio in Onomast. p. 85. ille nominatur *M. Julius Antonius:* quo nihil est inscitius ac vanius! Torrentius quidem in aliq. Horatii Codicibus invenit titulum illi Odae praepositum hunc: *Ad M. Antonium*

Julum. At ejusmodi lemmatis quae tandem esse potest fides ac testimonii dictio? Deinde scite observat Drumannus, hunc filium natu minorem non potuisse *Marci* praenomen accipere, cum nasceretur vivente adhuc filio majore, *Antyllo* sive *M. Antonio.* Probabilior esset eorum opinio qui dicunt, *Lucii* praenomen illi fuisse, si certum esset, *Lucium Antonium,* cujus mentionem facit Tacitus An. Libr. IV. c. 44., fuisse illius filium aut unicum aut natu maximum. Res ad liquidum perduci nequit; id autem nihil dubitationis videtur habere, nomen *Juli,* adepta veluti publica auctoritate, ita celebratum esse, ut vel rerum scriptores illum Triumviri filium hoc solo nomine commemorarent. Ita Tacitus An. Libr. I. c. 10. quum scribit: „*interfectos Romae Varrones, Egnatios, Julos*“, hunc solum significat Julum Antonium. Et Dio Cassius Libr. LIV. c. 36. de rebus a. U. C. 743 s. 744. gestis loquens scribit: *ταῦτα μὲν ἐπί τε τοῦ Ἰούλου καὶ ἐπὶ Φαβίου Μαξίμου ὑπάτων ἐγένετο,* omisso *Ἀντωνίου* nomine.

Uterque igitur M. Antonii filius ex Fulvia susceptus videtur binominis fuisse. Cujus rei caussa non longe petenda erit, si meminerimus, quanta fuerit illius Triumviri ut in vita, sic in doctrinae studiis *κακοζηλία.* Ea spectata dubium esse nequit quin homini inepto isti praenomina *Marci, Gaji* sive *Lucii,* quamvis gentis Antoniae propria, vulgaria fuerint visa et sordidula. Sic gemellos illos Cleopatra genitos appellavit, ut verbis Plutarchi c. 36. utar, *τὸν μὲν Ἀλέξανδρον, τὴν δὲ Κλεοπάτραν· ἐπίκλησιν δὲ, τὸν μὲν Ἥλιον, τὴν δὲ Σελήνην.* Nova ubique atque insolita ille captabat! Itaque spreto antiquo Romanorum more, quo fratres distingui solerent praenominibus consuetis, nova eaque peregrina excogitavit

nomina, quibus majorem natu minoremque filium Fulviae blande appellaret. Illi nomen *Antylli,* huic *Juli* imposuit: utrumque nomen ex fonte Graeco ductum esse, aeque apertum est, atque inesse quamdam generis paterni maternique jactationem et superbiam. Nomen „*Antyllus*“ obvium quidem apud veteres: ita *Κόϊντος Ἀντύλλος* sive *Ἀντύλλιος* quidam a Gracchanis a. U. C. 633. interfectus memoratur ab Appiano d. B. C. Libr. I. c. 25. et a Plutarcho in Vit. C. Gracchi c. 13., nisi forte utroque loco reponendum est *Ἀττίλιος*. Antyllus Grammaticus laudatur in Scholiis ad Thucydidem: vid. Popponis Prolegom. P. II. Vol. 1. p. 66. Sed acutissime suspicatus est Perizonius Animad. Historic. Cap. III. p. 156., esse illud nomen *ὑποκοριστικὸν*, proprie *Antullus* pro *Antonillus*, idque a Graecis expressum esse *Ἄντυλλος*. Jam quis dubitet cum Perizonio statuere, M. Antonium hoc nomen dedisse filio majori, ut significaret, genus et nomen suum venisse ab Antone, Herculis filio? v. Plutarch. c. 4. Huic opinioni Drumannus in Histor. Rom. Tom. I. p. 519. N. 27. frustra, si quid judico, opponit, mythicam istam gentis Antoniae originem jam satis declaratam fuisse nomine gentili, neque tum caussae quidquam apparere, ob quam scriptores Romani isto nomine unanimi consensu abstinuerint. At illud nomen per *ὑποκορισμὸν* filio tributum et sermone familiari pro *Antonio* usurpatum est. Non enim credibile videtur, eum appellatum esse *Antullum Antonium* sive *Antonium Antullum,* licet in Inscript. ap. Gruterum p. DCCCLXIV. 13. memoretur *Q. Salvidienus C. L. Antullus.* Cum autem ille, primis pueritiae annis exceptis, Roma semper abesset neque ulla re inclaresceret, neminem mirum habebit, si illud nomen parum innotesceret

parumque claritatis consequeretur. Alia est ratio nominis „*Julus.*“ Nam hoc nomine, ut idem Perizonius monet, appellavit filium natu minorem, ut ostenderet, se per matrem *Juliam*, L. Julii Caesaris filiam, attingere illam gentem, demissam ab Ascanio puero, cui cognomen *Iulo*, ut ait Virgilius Aen. Libr. I. v. 267. Hunc quoque familiari tantum sermone dictum vocatumque esse arbitror *Julum*: quî autem factum sit, ut, cum *Antylli* nomen apud scriptores Romanos plane exolesceret, nomen *Juli* non tantum sermone familiari sed etiam scriptis monumentis celebraretur adeoque cum nomine gentili conjungeretur, nemini obscurum erit, qui hunc M. Antonii et Fulviae filium ejusque vitam et res pernoverit.

M. Antonius *Antyllum* filium natu majorem, ut vidimus, secum in castra abduxerat puerum parvulum, suumque eum domi forisque voluerat esse comitem. *Julus* autem, cum Fulvia matre orbaretur anno U. C. 714., nondum id aetatis fuisse videtur, ut in patris comitatu ac contubernio esse posset. Romae igitur procul dubio remansit transiitque in domum Octaviae, novercae suae. Nam Fulviae, quae multarum seditionum discordiarumque funesta fuerat fax, nec opina mors acciderat exoptatissima Caesari Octaviano, quo citius cum M. Antonio reconciliaretur. Omnes utrimque offensiones in illam rejectae sunt; Brundisii novum foedus factum, quod quo firmius esset, M. Antonio in matrimonium data est *Octavia*, Caesaris Octaviani soror et vidua C. Marcelli cujusdam nuperrime mortui. Quarta igitur eaque legitima illius uxor fuit

IV. *Octavia*, quam gravidam et luctus tempore nondum finito duxit. Erant autem Caesari Octaviano

duae sorores, Octaviae nomine. Nam C. Octavius pater ex priore conjuge, *Ancharia*, unicam tulerat filiam, Octaviam, et ex *Atia*, altera uxore, item filiam sorori cognominem et unicum filium eumque omnium liberorum natu minimum, C. Octavium, posthac Caesarem Octavianum. Altera igitur Octavia fuit germana, altera uterina soror Caesaris Octaviani Triumviri. Quaerentibus nobis, utra tum nupserit M. Antonio, occurrit Plutarchus, qui c. 31., ubi de foedere Brundisino agit, satis perspicue haec prodit: *Ταῦτ᾽ ἔχειν καλῶς δοκοῦντα πίστεως ἐδεῖτο σφοδροτέρας, ἣν ἡ τύχη παρέσχεν. Ὀκταβία γὰρ ἦν ἀδελφὴ, πρεσβυτέρα μὲν, οὐχ ὁμομητρία δὲ Καίσαρι· ἐγεγόνει γὰρ ἐξ Ἀγχαρίας, ὁ δ᾽ ὕστερον ἐξ Ἀττίας. Ἔστεργε δ᾽ ὑπερφυῶς τὴν ἀδελφὴν, χρῆμα θαυμαστὸν, ὡς λέγεται, γυναικὸς γενομένην. Αὕτη, Γαΐου Μαρκέλλου, τοῦ γήμαντος αὐτὴν, οὐ πάλαι τεθνηκότος ἐχήρευεν.* Quum etiam Octavia minor, ut vidimus, natu major esset quam frater, nihil obstaret quo minus eam tum M. Antonio nuptum datam esse putaremus, nisi Plutarchus expressis verbis negaret eam *ὁμομητρίαν* fuisse Caesari Octaviano, eamque diceret ex Ancharia natam esse. Itaque, Plutarcho si fides est, M. Antonius in matrimonio habuit Octaviam majorem. At exstiterunt ad nostram usque memoriam permulti Viri Docti, qui Plutarchi fidem et auctoritatem in dubium vocarent et Octaviam minorem, uterinam Caesaris Octaviani sororem, secundis nuptiis cum M. Antonio conjunctam fuisse contenderent. Nemo tamen, quod sciam, disertius copiosiusque illud Plutarchi testimonium impugnare ejusque fidem labefactare connisus est quam post Glandorpium in Onomast. p. 86 sq. cl. p. 433., Perizonius Animadv. Histor. Cap. III. p. 121 sqq. Uterque Vir Doctus eisdem fere pugnat argumentis, quae operae pretium fuerit denuo examinare.

Illi igitur et qui cum eis faciunt, affirmant, Octaviam illam M. Antonii uxorem fuisse uterinam Caesaris Octaviani sororem contra ac Plutarchus, qui negat fuisse *ὁμομητρίαν Καίσαρι.* Ac sententiae stabiliendae suae gratia allegant Ciceronem Philipp. III. c. 6.: *„Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinae filiam: quos certe scio dignitatis optimarum feminarum non poenitere.“* Quo in loco *Aricina* est *Atia,* mater Caesaris Octaviani; Aricinae filia est *Octavia* minor. Ea nupserat C. Marcello cuidam; is procul dubio idem est, qui, auctore Dione Cass. Libr. XL. c. 59., *τῷ Καίσαρι, καίπερ ἐξ ἐπιγαμίας προσήκων, ἐχθρὸς ἦν,* et qui eam ob caussam a Pompejo ad consulatum a. U. C. 704. evectus est. Successit M. Claudio Marcello Cos. a. U. C. 703. cujus consobrinus esset seu frater, *ἀνεψιὸς ἢ καὶ ἀδελφὸς (λέγεται γὰρ ἑκάτερον),* ut ait Dio Cassius l. c. ibiq. Fabricius N. 228. Vol. V. p. 278. Strz. Porro dubium esse nequit quin eadem sit Octavia, quam ut neptem sororis suae Julius Caesar Cn. Pompejo conditionem detulit, auctore Suetonio c. 27. Atque hoc Suetonii loco prae caeteris tamquam arce munitissima innititur illorum sententia virorum, qui negant, Marcellum illum dici potuisse affinem Julii Caesaris, si ille Anchariae filiam, Octaviam, in matrimonio habuisset.

Verum enim vero ex allegatis Ciceronis, Suetonii et Dionis Cassii locis aut egregie fallor aut nihil aliud sequitur, nisi Octaviam minorem matrimonio conjunctam fuisse cum C. Marcello quodam, eamdemque, vivo adhuc marito, ab avunculo magno, Julio Caesare, Pompejo, cujus necessitudinem et voluntatem retinere cuperet, in matrimonium oblatam

esse. At quo tandem pacto inde colligi possit, eamdem Octaviam post Marcelli obitum a fratre collocatam esse M. Antonio, fateor me non intelligere. Nec video, quo modo Perizonius tantam probandi vim tribuere possit isti Ciceronis loco? Orator cum id ageret, ut impudentiam M. Antonii exprobrantis Octaviano generis ignobilitatem, confutaret, primum contemptim memorat uxorem patris, Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, et ipsum uxoris primae, Fadiae, libertino natae patre, commonefacit. Deinde eis opponit Atiam ejusque filiam, Octaviam minorem, optimas feminas, quas uxores habere nequaquam poenitere L. Philippum et C. Marcellum affirmat. Quodsi Perizonius inde Plutarchum erroris convincere volebat, oportebat eum ostendere, hunc C. Marcellum, a Cicerone memoratum, nullum alium esse posse quam eumdem, post cujus obitum Octavia vidua à Plutarcho dicatur M. Antonio nupsisse. Namque id unum certum est atque exploratum, quartam illam Triumviri uxorem matrimonio antea junctam fuisse cum C. Marcello quodam. Quare falli eos, qui M. Marcellum quemdam huc trahant, docte probavit Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 401.

Nemo igitur scriptorum veterum aperte testatur, uterinam Caesaris Octaviani sororem, Octaviam minorem, M. Antonio in matrimonium datam esse; at Plutarchus consulto addidisse mihi videtur Octaviam, M. Antonii uxorem, Anchariae fuisse filiam, sororem quidem Caesaris Octaviani *πρεσβυτέραν, ἀλλ' οὐχ ὁμομητρίαν*, ut errori occurreret et praecaveret, ne quis Atiae filiam, Octaviam minorem, intelligeret. Hujus autem fides poterit salva praestari omnisque controversia ea de re componi, si, praeeunte Tristano

Tom. I. p. 53 sq., statuerimus, utramque Octaviam nuptam fuisse *Gajo Marcello* cuidam. Jam vero stemma *Marcellorum* licet perobscurum sit, quod ne Drumanni quidem diligentissima opera satis dilucidatum esse dixeris, tamen modeste proferam ea, quae mihi illud perlustranti videntur esse ea in re probabilia.

Octavia minor nupserat *C. Claudio Marcello*, qui cum L. Aemilio Paulo Consul erat a. U. C. 704. et frater patruelis M. Claudii Marcelli Cos. a. U. C. 703. Mecum consentit Drumannus, qui eumdem illum Marcellum agnoscit Octaviae minoris maritum. Suae sententiae praesidium repetit ex Ciceronis ad Attic. Libr. XV. Epist. 12. §. 2., ubi Marcellus quidam commemoratur, cui Caesar Octavianus dicitur videri deditus esse. At cum ille neque *Gajus* dicatur neque consularis esse significetur, nihil obstat quo minus de alio Marcello illius aetatis cogitemus. Ille autem, quem dixi, Consul habendus erit ille C. Marcellus, cujus uxorem Cn. Pompejo conditionem ab Julio Caesare delatam esse refert Suetonius c. 27.

Octavia major item fortasse nupserat *C. Claudio Marcello* illi, qui cum L. Cornelio Lentulo Consul erat a. U. C. 705. Eum fuisse fratrem M. Marcelli biennio ante Consulis, docuit Manutius ad Ciceron. ad Divers. Libr. XV. Ep. 7., cui etiam Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 398. Not. 13. adstipulatur. Jam vero Drumannus, ne quis de hoc C. Marcello, Anchariae genero, apud Plutarchum cogitet, probare studet, eum jam anno U. C. 706. periisse in bello contra Pompejum M., a cujus partibus staret. Ad confirmandam autem opinionem suam his usus est argumentis. Primum si superstes fuisset, haud dubie,

cum a. U. C. 708. de restituendo M. Claudio Marcello in Senatu ageretur, pro fratre deprecatus esset; sed nulla ejus fit mentio. Deinde, inquit Drumannus, a Cicerone Philipp. XIII. c. 14., quae oratio a. U. C. 711. in. habita est, hic C. Marcellus inter Consulares vita defunctos recensetur. At Vir doctissimus, id quod pace ejus dixerim, illum Ciceronis locum fugitivo oculo videtur legisse: nam ibi Codd. et Editt. omnes *Marcum*, minime *Gajum* Marcellum offerunt, et dubium esse nequit, quin intelligendus sit M. Claudius Marcellus Cos. a. U. C. 703., quem impetrata redeundi venia, Athenis a Magio Chilone vulneratum, a. U. C. 709. obivisse constat: v. Cicero ad Divers. Libr. IV. Ep. 12., ad Attic. Libr. XIII. Ep. 10. et Valerius Max. Libr. IX. c. 11. n. 4. Ut igitur hoc Drumanni argumentum falsum est, ita prius illud a silentio scriptorum petitum, nimium probat.

Uterque C. Marcellus, Pompejo devicto et impetrata ab Julio Caesare venia, se haud dubie ab omni rerum publicarum administratione removerat: quo factum est, ut nulla fere eorum apud scriptores mentio injecta inveniatur. Neque tamen existimandi sunt tum sub Julio Caesare, tum sub Triumviris Romae sine dignitate et splendore vixisse, praesertim cum Dictatorem illum et unum ex Triumviris affinitate attingerent. Uterque enim erat, vera si est conjectura nostra, Caesaris Octaviani levir, alter sororis germanae, alter uterinae maritus, igitur alter Anchariae, alter Atiae gener.

Jam cum duo *Gaji Marcelli* illo, de quo loquimur, tempore vixerint viri consulares et Caesaris Octaviani affinitate haud indigni; et cum nullius locus scriptoris proferri possit, qui perspicuis verbis nos doceat, Octaviam minorem a fratre M. Antonio col-

locatam esse; non video quid impediat quominus ad Plutarchi testimonium, quo nullum potest esse disertius nullumque magis perspicuum, propendeamus, idque cum J. Lipsio ad Taciti Ann. Libr. I. c. 10. et in Excurs. B. et cum Heerenio in Comment. *de Fontib. Plutarchi* p. 180. amplectamur. Glandorpio in Onomast. p. 87. monenti, Plutarchum in aliis quoque rebus erroris manifestum teneri, non dubitarem fidem adjungere, dummodo alius scriptoris testimonio certo ac gravi evinci posset, Plutarchum hac etiam in re falsum esse. Mihi, ut ingenue fatear, Viri Docti, qui Plutarcho fidem abrogandam censerent, non tam scriptorum veterum locis quam opinione quadam praejudicata permoti esse videntur, ut mallent Octaviam minorem quam majorem pro M. Antonii uxore habere. Traditum enim a scriptoribus legimus, illam M. Antonii uxorem Caesari Octaviano percaram perque gratam fuisse, eamque virtutibus excelluisse plane singularibus. Ego vero argumentum, quod ex hoc fratris in sororem amore et studio et ex sororis virtutibus repetatur, confidenter nego quidquam valere posse ad labefactandam Plutarchi auctoritatem ac fidem. Fuit enim Caesar Octavianus omnino suorum amantissimus, neque est quod sororem germanam minus ab eo adamatam fuisse opinemur, quam uterinam, aut illam eodem natam patre, quem virum sanctum, innocentem animoque egregium fuisse scimus, non eis praeditam virtutibus fuisse dicamus, quas de Octavia, quarta M. Antonii uxore, rari exempli muliere, scriptores commemorent. Denique, ut hoc addam, Plutarcho videtur etiam utriusque Octaviae aetas patrocinari. Octaviam minorem, quam scimus fratre fuisse majorem, ponamus natam esse a. U. C. 690., ita ut,

cum M. Antonio nuptum daretur, annum vitae vigesimum quartum explevisset. Jam ex C. Marcello, marito priore, genuerat si non quatuor, certe tres liberos, duas filias, *Marcellam* majorem et minorem, et filium, *M. Marcellum* illum, Augusti et Populi Romani delicias, qui a. U. C. 731. Bajis immatura morte abreptus est: v. Dio Cass. Libr. LIII. c. 30 sq. Servius ad Virgil. Aen. Libr. VI. v. 862. hunc juvenem refert anno aetatis sexto decimo in morbum incidisse et anno duodevigesimo, cum aedilitatem gereret, obiisse. At cum Propertius Libr. III. Eleg. 15. de hoc Marcello v. 15. scripserit: „*Occidit, et misero steterat vigesimus annus*"; Broukhusius haud immerito numerorum corruptionem in Servii Commentario suspicatus potiorem judicat Propertii auctoritatem, eamque secutus Drumannus in Hist. Rom. Tom. II. p. 402. N. 51. illius juvenis annum natalem assignat a. U. C. 711. Cum autem mos apud Romanos fuerit ab antiquis traditus, ut filius natu maximus patris praenomen acciperet; non temere concludere nobis videmur, M. Marcello fuisse fratrem natu majorem, paterno *Gaji* praenomine appellatum, sed ante tempus morte defunctum. Quatuor igitur liberos cum C. Marcellus ille Consularis ante mortem suam suscepisset ex Octavia conjuge, ipsa vitae annorumque ratio suadet, ut Octaviam majorem intelligamus, alioqui necesse est statuamus, Octaviam minorem ab illo in matrimonium ductam fuisse vixdum viro maturam.

Jam his omnibus, quae hic perstrinxi, sine cupiditate perpensis non possum quin Plutarchum secutus dicam, M. Antonii uxorem quartam fuisse C. Octavii et Anchariae filiam, Octaviam majorem, Caesaris Octaviani sororem germanam. Ea ab Antonio

repudiata a. U. C. 722. vixit usque ad annum U. C. 743., ut auctor est Dio Cass. Libr. LIV. c. 35. Qui Dionis locus perperam accipitur de Octavia minore. Hujus enim mortem commemorat Suetonius Aug. c. 61.: „*Matrem amisit in primo consulatu, sororem Octaviam quinquagesimum et quartum agens aetatis annum.*“ Atqui Augustus annum aetatis quinquagesimum et quartum explevit demum d. 23. Septembr. a. U. C. 745. Ergo Octavia minor, uterina ejus soror, biennio post Octaviam majorem vita excessit. Utrique sorori defunctae pares eosque maximos a fratre honores tributos esse, non mirum est in tanto, quo suos ille prosequi soleret, amore et studio. Octavia minor sine prole videtur fuisse; sed Octaviae majoris σῶμα οἱ γαμβροὶ ἐξήνεγκαν, ut Dio Cassius l. c. ait.

Inter hos generos fuit etiam *Julus Antonius*, ad quem jam revertit nostra disputatio. Is enim novercae suae gener factus est ducta in matrimonium Marcella majore. Nam excellens hujus Octaviae ac divina indoles exsplenduit cum in tractando tolerandoque M. Antonio, cui duas peperit filias, *Antoniam* majorem et minorem, tum maxime in materno affectu, quo non tantum suos liberos utriusque mariti, sed rejecta jam ab marito, homine intemperante, ac repudiata etiam privignos privignasque amplexa est, fovit, educavit.

Caesar Octavianus victor, auctore Plutarcho c. 88., ex omnibus M. Antonii liberis, ne iis quidem exceptis, qui ex Cleopatra concubina suscepti erant, solum Antyllum interfecit. Sororis suae filiabus, Antoniae majori et minori, pecunias ex bonis paternis tribuit; Julo Antonio libertos ejus ea omnia confestim dare jussit, quae morientes ei relinquere

legibus jubebantur, teste Dione Cass. Libr. LI. c. 15. ibiq. v. Fabricius N. 97. Vol. VI. p. 15. Strz. Octavia huic privigno, quem, ut jam supra dixi, Romae retinuit, tanto majorem curam impendebat, quanto negligentior in liberis educandis erat pater, qui non modo corpus, sed animum quoque mero et stupro Alexandriae mancipasset. Liberaliter institutus omnis politioris humanitatis compos factus est Julus Antonius, quem inter alios multos ac nobiles docuisse traditur L. Crassitius, genere Tarentinus, Grammaticus haud ignobilis. Atque videtur ille jam a teneris annis, procul dubio ingenii animique bonis aliisve virtutibus, se in gratiam Caesaris Augusti insinuasse, utqui eum progressu temporis ad summos eveheret honores adeoque in artissimam affinitatem reciperet. Auctore enim Plutarcho c. 88. tam gratiosus apud Imperatorem illum erat, ut, cum primum locum Agrippa, Liviae filii secundum tenerent, tertius esset ac numeraretur Julus Antonius. Et Vellejus Paterc. Libr. II. c. 100. §. 4. narrat, eum a patris victore honoratum esse 1. *Sacerdotio*, de quo caeteri scriptores tacent; 2. *Praetura*, qua a. U. C. 741. functus diem natalem Augusti ludis Circensibus et venatione celebravit atque epulum Augusto et Senatoribus in Capitolio dedit, teste Dione Cass. Libr. LIV. c. 26.; 3. *Consulatu*, quem, ut jam supra vidimus, cum Q. Fabio Maximo Africano gessit a. U. C. 744.; 4. *Provinciis*, de quibus item aliunde nihil constat. Huc tamen fortasse spectat ejus Proconsulis edictum in gratiam Judaeorum Asiam habitantium, quod exstat ap. Joseph. Antiq. Libr. XVI. c. 6. §. 7.; 5. *Matrimonio* Marcellae majoris, quam Octavia C. Marcello, priori marito, genuerat. Marcellam enim minorem in matrimonio habebat Agrippa, ut testan-

tur Suetonius Aug. c. 63. et Plutarchus in Vit. Anton. c. 88. Ita Julus Antonius novercae suae gener factus est et affinis Augusti, cujus clementiae singulare exemplum eum fuisse ait Vellejus Paterculus.

Nihilo tamen secius violavit domum Augusti commisso cum Julia adulterio a. U. C. 752. Insimulabatur id fecisse spe imperii occupandi, ut ait Dio Cass. Libr. LV. c. 10. Vol. III. p. 360. Strz. Julia in Pandatariam insulam relegata est; Julus Antonius morte mulctatus. Quodsi a Vellejo dicitur ipse sceleris a se commissi ultor fuisse, Lipsius ad Taciti Ann. Libr. I. c. 10. scriptorum dissensum ita tollit, ut Augusti jussum praecessisse dicat, quem ipse Julus Antonius sua manu sit exsecutus. Spectat huc locus Senecae de Brevit. Vit. c. 5. §. 4., ubi de Augusto, „*In ipsa urbe*, inquit, *Murenae*, *Caepionis*, *Lepidi*, *Egnatiorum in eum mucrones acuebantur. Nondum horum effugerat insidias: filia et tot nobiles juvenes adulterio velut sacramento adacti*, *jam infractam aetatem territabant: plusque et iterum timenda cum Antonio mulier.*“ Acute hic Seneca suo more dicit Juliam alteram Cleopatram, quae cum Julo Antonio magis timenda fuerit Augusto, quam ista Aegyptia cum M. Antonio Triumviro.

Jam si ipsum Juli Antonii factum spectamus, quo apud Vellejum Paterculum, Tiberii adulatorem, nomen violatoris domus Augustae invenit, id apud quemque prudentem ac liberalem antiquitatis judicem plus excusationis habere debet quam inhumanus et saevus Augusti in filiam et Julum affinem suum animus. Nollem vitae suae splendorem adspersisset Julus hac rei turpiculae macula, quam conceptam non poterat eluere manu sibi fortiter illata. Julia ipsa, famosa ista mulier, invenit nostra memoria patronum

haud indisertum, Wielandum (Opp. Vol. 43. p. 79—111. ed. Grub.), qui ejus caussam haud improspere egit. Nam etsi non omnia, quae ibi scripta leguntur, probare possum, tamen ego quoque in ea sum sententia, ut, rerum temporumque momentis aequa lance ponderatis, plus culpae in Augusto quam in Julia residere et hanc, alio si patre usa fuisset aliaque noverca, aliam quoque eamque honestiorem evasuram fuisse mulierem credam. Julum inter et Juliam, utpote affines, haud dubie jam ex longo inde tempore intercesserat conjunctio consuetudinis nequaquam inhonesta. Ex illo, viro nobili, litterarum elegantiorum amante et intelligente non poterat non voluptatem capere Julia, in qua et ipsa litterarum amorem multamque eruditionem fuisse auctor est Macrobius Saturn. Libr. II. c. 5. in. Et si immodica ista ac petulans venustatis suae ostentatrix, quam minime nego aliquoties procaciter abusam esse indulgentia fortunae, ac patris suaeque ipsius existimationi parum consuluisse, effecit, ut Julus flagitium committeret, certe in suspicionem probri veniret, mihi videtur in tanta morum perditissimorum contagione excusatius peccasse. Neque Augustus propter rei, quae in foro ad Marsyam accidisse ferebatur, dedecus tanta ira exarsisse existimandus est, ut in sua ipsius veluti viscera saeviret, sed crimine quodam eoque conficto ad tantam crudelitatem se efferari passus est. Scilicet dubitari nequit quin Livia, nequissima ista dolorum criminumque machinatrix, in hac quoque caussa primas egerit partes easque expleverit. Suspicaci et meticuloso marito suo vaferrima ista mulier objecit, tamquam terriculamentum, vitae dominationisque amittendae periculum et commenta est conjurationem filiae cum Julo Antonio,

Triumviri olim adversarii filio, ut cum illam privignam ipsi odiosam ac molestam, tum inprimis hunc gratia florentem ac potentem subverteret. A cogitando autem ejusmodi scelere Juliam, mollis laetique animi feminam, mihi persuasissimum est pariter abfuisse ac Julum Antonium, virum bonum ac fortem et Augusto multis nominibus obstrictum. Et Augustus quamvis jam sexagenarius, vitae tamen suae imperioque vehementer metuens, quoties hujuscemodi periculum immineret, in pristinam, ne dicam, innatam ipsi crudelitatem erupit, et Julum, affinem suum, eadem poena affici jussit, qua Salvidienum et Cornelium Gallum, utrumque amicum de se meritum, de medio sustulerat, et Juliam, unicam filiam, non tam omnibus, ut dictitabatur, probris contaminatam, quam falso conspirationis crimine obrutam exilio perpetuo et aerumnoso punivit. Cujus facti cum ipsum serius vehementer poenituisse constet (v. Senec. d. Benef. Libr. VI. c. 32. §. 2.); credibile est, eum comperisse, quam falsum fuisset istud conspirationis crimen! Utcumque est, in magno errore versari puto eos, qui Augustum propudiosa Juli et Juliae vita unice permotum esse dicant, ut tam graviter de ambobus statueret. Praefecturam morum a se susceptam severius utique nonnumquam administrabat cupiebatque videri τϱιςαϱειοπαγίτης; sed quî factum est, ut, id quod jam scriptoribus veteribus mirationem fecisse scimus, cum in aliorum adulteriis conniveret, omnem humanitatis sensum ac parentis erga suos affectum ejurasse videretur, cum ejusdem flagitii Julus et Julia accusarentur? Temperare mihi non possum quin huc transscribam ea, quae de hac re non minus graviter ac candide scripsit Jo. G. Loebellius in Dissertatione de Augusti Principatu in Fr. de Raumeri: *Historisch.*

Taschenbuch 1834. p. 235. N.: „*Zu dem Blute, welches für Vergehungen dieser Art (Verschwörungen wider das Leben des Fürsten) floss, glaube ich auch das des Julus Antonius, des Sohnes des Triumvirs, rechnen zu dürfen, der, als die Schande der Julia offenbar ward, als einer der Ehebrecher — sich selbst den Tod gab. So sehr nun auch Augustus bemüht war, der herrschenden grossen Unsittlichkeit durch Gesetze und angedrohte Strafen zu steuern, so scheint es mir doch ganz unglaublich, dass er diese Ausschweifungen als solche mit einer so blutigen Strenge gerächt haben soll. Es dürfte also wohl anzunehmen seyn, dass er weniger den Ehebruch bestraft hat, als den Plan des Julus Antonius, von welchem Dio Cassius spricht, sich nämlich mit Hülfe der Julia der Herrschaft zu bemächtigen, ein Plan, der ihm vielleicht gefährlicher schien, als die übrigen Verschwörungen, weil er von dem Sohne eines einst so mächtigen Mannes ausging, an dessen Namen sich so manche Erinnerungen knüpften. Gern mag der Fürst die Gelegenheit ergriffen haben, die Sache ganz in das Licht der verletzten Keuschheit und Ehre zu rücken, da in der öftern Wiederholung der Strafen für Anschläge auf seine eigene Person etwas Gehässiges lag. Ist diese Vermuthung gegründet, so lös't sich dadurch die Verwunderung des Dio, dass er andern Personen als seiner Tochter dasselbe Vergehen verziehen habe; und die strenge Rüge, welche* Tacitus Annal. III. 24. *über diese grosse und ungewöhnliche Härte ausspricht, kann nur die Form treffen.*“

Cum igitur Julus Antonius non tam vitae morumque nequitia et probris, quam artibus ac clandestinis Liviae consiliis oppressus ceciderit; non est

quod de eo male existimemus. Quantam enim ille virtutis probitatisque opinionem Romae habuerit, vel ex eo satis intelligitur, quod ejus ingenium, studia et mores mirifice amasse videtur Horatius. Ejus rei testis diserta admodum ac locuples est illa, quam supra jam laudavi, Libri IV. Oda secunda, de cujus scribendae occasione ac consilio haec admonenda sunt.

Caesar Augustus, qui inde a mense Septembri a. U. C. 738. Roma absens res in Germania, Gallia et Hispania prospere composuerat, initio a. U. C. 741. reditum in Urbem parabat. A Tiberio Claudio Nerone et P. Quintilio Varo Coss. ludi votivi pro ejus reditu facti sunt, ut discimus ex Inscript. ap. Gruterum p. XI. n. 2. et Orellium N. 599. Senatus decrevit, ut ara in ipsa curia pro reditu Augusti consecraretur et ut ii, qui ei, quum esset intra pomoerium, supplices fierent, impunitatem haberent, auctore Dione Cass. Libr. LIV. c. 25. Inter publicam hanc Augusti redeuntis exspectationem et communem omnium laetitiam videtur Julus Antonius, illius anni, ut supra ostendimus, Praetor rogasse Horatium, ut Augustum victorem plectro majore eoque Pindarico celebraret. Pindari imitationem ea in caussa suasisse censendus est Julus respiciens potissimum illius *ἐπινίκια*. Inde planum fit, cur Horatius ab Pindari laude illud carmen exorsus sit. Jam licet Poeta Venusinus, ut bene observat Vanderbourgius in Argument. h. c. Tom. II. p. 225., propensiorem se quam alibi ostendat ad Augusti laudes canendas, tamen, declarata rei difficultate viriumque suarum imbecillitate, id muneris subita conversione ad ipsum Julum ita transfert, ut hunc multo dignius Augusti victoriam et triumphum de Sygambris carmine celebraturum esse blande significet v. 33.:

Concines majore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sygambros.

Acron ad h. l. explicat v. *concines: „cantabis nobiscum, tu Antoni.“* Verissime, si quid video. Nam Horatius minime detrectat impositam sibi ab Julo provinciam celebrandi Augustum redeuntem, sed tantum vult, ut amicus quoque, utpote poeta praestantior, idem faciat et carmine quodammodo praeeat, ipse vero ei succinat. Certare volunt in celebrando Augusto. Hinc non minus suaviter de amico, quam modeste de se v. 42 sqq.:

Concines laetosque dies et Urbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meae (si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars: et, o Sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Caesare felix.

Atque hoc laudandi Augusti certamen rei ac scenae convenienter assimilat pompae triumphali, et verbis inde ductis pergit v. 49.:

Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Tura benignis;

ubi simul indicat, totam civitatem participem futuram esse laetitiae, cujus interpretes ac praecones futuri sint et Julus Antonius et ipse, quamvis illi secundus. In hoc sententiarum ordine, qui dici non potest quantopere contorserit Interpretes, nihil invenio nisi sublimitatis Pindaricae imitationem studiose

quaesitam, et in totius carminis conformatione agnosco Horatium, mirificum artificem et callidissimum ingenii viriumque suarum dissimulatorem, qui, dum imparem se grandis argumenti carminibus esse profitetur, vel maxime parem se ostendat omnemque vim divini ingenii sui expromat. Nihil profecto hac carminis descriptione potest cogitari artificiosius nihilque illa conversione a v. 33 sqq. ad Juli Antonii laudem excellentius.

Non me praeterit, toti huic carminis parti extremae, quam mecum doctissimi quique omnis aetatis viri admirati sunt, nuper controversiam motam esse a Peerlkampio, qui genuinum Horatii carmen de laudibus Pindari stropha octava absolutum fuisse contendit eis usus rationibus, quas cum cura examinare hic nec vacat nec juvat. Id unum non possum quin hic admoneam et paucis exagitem, quod Vir doctissimus, cum v. 33., ubi Antonius ille *poeta* appellatur et ubi Acron carmen ejus epicum laudat, spurium esse dixerit, tamen eum poetam fuisse concedat, licet in priore carminis Horatiani parte nihil occurrat, quod nos de poeta cogitare jubeat. Porro idem Peerlkampius ad v. 2., ubi Acron et Porphyrion perspicuis verbis attestantur, hanc odam ad Julum Antonium, Triumviri filium, scriptam esse, auctoritatem Scholiastarum in dubium vocat, negatque, ea, quae de doctrina et scriptis ejus tradantur, illi convenire; contra ad v. 26. agnoscit Scholiastarum fidem, eaque utitur, ut alium hujus nominis poetam expiscetur, Horatiique faciat amicum. Ecce autem Acron ad Horatii Epistol. ad Pison. v. 288. haec: „*Et togatas Aelius Lamia, Antonius Rufus, C.* (sic leg. pro *Cn.*) *Melissus, Afranius, Pomponius scripserant.*“ Scholiastes Cruq. ad h. l. ab eisdem

viris, quos eodem recenset ordine, praetextas etiam fabulas scriptas esse refert, cujus testimonium merito suspectum erat A. G. Langio in Vindic. Tr. Rom. p. 11. et J. H. Neukirchio de Fabula Tog. Rom. p. 63 sq. Jam hunc Antonium Rufum, praeeunte N. Heinsio, Peerlkampius memoratum esse statuit ab Ovidio ex Pont. Libr. IV. Ep. 16. v. 23.:

Et qui Maeoniam Phaeacida vertit; et una
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae:

et confert Apulejum de Orthogr. §. 5.: „*Cornelius Rufus in Pindarica aemulatione.*" Quae ad h. l. ab Osanno adnotata sunt, et proposita de *Julio Antonio Rufo*, Triumviri filio, cui Horatius illam Odam inscripserit, ea dudum improbata esse credo a Viro egregio ac retractata. Ea ne apud Peerlkampium quidem fidem invenerunt, qui nullo pacto adduci se passus est, ut apud Horatium Triumviri filium, Julum Antonium, intelligeret. Sed apud Apulejum pro *Cornelius* scribendum censet *Antonius.* Jam cum Ovidius *Rufum* appellet fidicinem lyrae Pindaricae, et *Antonius Rufus* poeta memoretur a Scholiastis, Acrone et Comment. Cruq., non a vero abhorrere contendit, *Antonium* Horatii fuisse *Antonium Rufum.* Miror a Peerlkampio in suae sententiae subsidium non vocatum esse Scholion, quod ex Cod. Msto enotatum attulit Vanderbourgius Tom. II. p. 224 sq.: „*Julus* (sic leg. pro *Julius*) *Antonius rogaverat Horatium, ut scripta Pindari graeca in laudem Caesaris transferret, ut Virgilius scripta Homeri in laudem Aeneae. Inde excusat se Horatius dicens, se tanto operi non sufficere, cum ille summus poeta fuerit.*" Quam mirifice adjuvant confirmantque haec opinionem Peerlkampii, qui carminis genuini ad v. 32. producti argumentum hoc esse

dicit: „Quicunque Pindarum aemulari studet, rem suscipit periculosam. Tanti spiritus ille est poeta. Ego cygnum supra nubes volantem non sequar, sed instar apis circa nemus et ripas Tiburis vagabor!" Quam veri est simile, Antonium istum, qui fuerit ipse fidicen lyrae Pindaricae, sive joca sive seria agentem Horatio proposuisse ac suasisse, ut Pindari scripta in sermonem latinum transferret, et Horatium amico tam sublimi venustoque carmine respondisse!

Sed rem seriam serio agamus et ante omnia quaeramus, cujas ille fuerit Antonius Rufus, et qua aetate vixerit? Caesaris Augusti aetate vixisse *Rufum* quemdam, poetam lyricum et Pindari sive imitatorem sive aemulatorem, Ovidio credamus necesse est. At hunc ex gente Antonia fuisse, quis est qui fide bona affirmet? Potuitne esse C. Valgius Rufus, cui diversi argumenti carmina a veteribus tributa fuisse ostendi in Commentat. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 3. p. 211 sqq.? A Glandorpio in Onomast. p. 100. recensetur *Antonius Rufus*, quem dicit vertisse Homerum et Pindarum. Quod ad Homerum attinet, Glandorpii errorem bene jam notavit et refutavit Wernsdorfius P. L. M. Tom. III. p. XXX sq. et Tom. IV. P. 2. p. 585. Pindari autem interpretem sive illum Ovidii fidicinem Pindaricae lyrae, dictum esse *Antonium Rufum*, ex alius scriptoris testimonio, ut ait Wernsdorfius, cognosci non potest, nisi illum togatarum et praetextarum scriptorem ab Scholiastis Horatianis memoratum huc referre placuerit. Nam qui a Quintiliano I. Or. Libr. I. c. 5. §. 43. producitur *Antonius Rufus*, haud dubie fuit Grammaticus, laudatus etiam a Velio Longo de Orthogr. p. 2237. P. diversus plane ab illo poeta scenico, quem ut Augusti aetate vixisse putemus, suadet conjuncta Aelii Lamiae

et C. Melissi apud Scholiastas mentio. Jam ut concedatur, hunc ipsum Antonium Rufum fuisse aequalem Horatii ideoque ei inscribi potuisse illam Odam: videat tamen Peerlkampius, quid inde lucretur? Istius fabularum scenicarum scriptoris memoria servata est ab unis Scholiastis Horatianis: nam Apulejo isti non convenire testimonii dictionem, nunc Peerlkampius, cognita istius caussa a Madvigio dicta, ipse, spero, confitebitur. Scholiastarum autem illorum auctoritatem tanti facit, ut Odam Horatii non dubitet referre ad illum fabularum scriptorem, licet de poesis lyricae studiis ejus ac scriptis nulla ab illis fiat mentio. Atqui iidem Scholiastae, tacente tantum Commentatore Cruquiano, non modo contestantur, illam Horatii Odam inscriptam esse Julo Antonio, Triumviri filio, sed etiam, si a Porphyrione discesseris, ad v. 33. nonnulla produnt, quae ex libro *de Personis Horatianis* ducta esse et fide dignissima, nemo erit qui dubitet. Certe Peerlkampius non dubitavit fidem eis adjungere, scribens ad v. 26.: „Discimus ex Scholiastis, hunc Antonium scripsisse carmen heroicum de Diomede, libris duodecim, et nonnulla alia oratione soluta, et voluisse aemulari Pindarum.“ De aemulatione Pindari apud Scholiastas ne γοῦ quidem: eam commentus est Peerlkampius opinionis suae gratia! Jam cum iidem auctores Julo Antonio carmen epicum, Antonio Rufo autem fabulas togatas ac praetextas adscribant et de neutro quidquam dicant, quod utrique sit commune; manifestum est, utroque loco de diversis hominibus sermonem esse. Et profecto qui fide digni censentur de Antonio Rufo, poeta aliunde non cognito, testantes, eisdem fides habenda erit narrantibus de Julo Antonio, Triumviri filio et carminis epici scriptore!

Peerlkampius urget aliorum scriptorum silentium de poetica Juli Antonii indole et scriptis; at Antonii Rufi ne nomen quidem norunt alii scriptores! Locupletissimus de illo testis est Horatius, a quo v. 33. *poeta* appellatur, ejusque Commentatores veteres rem confirmant. Nam Acron „*Julus Antonius*, inquit, *heroico metro Diomedeas duodecim libros scripsit egregios, praeterea et prosa aliqua.*“ Et Commentat. Cruq. ad vv. „concines majore plectro“: „*sublimiori et grandiori metro victorem Caesarem: quia Antonius heroico metro Diomedeas scripsit duodecim libros* (sic leg. pr. *libris*) *et nonnulla alia oratione soluta.*“ In horum auctoritate ac fide acquiescentibus nobis certum est et exploratum, ab illo M. Antonii Triumviri filio scriptum esse carmen epicum de Diomedis in Daunia, quae fuit Apuliae pars, adventu ejusque sedibus: quo in argumento Graecos habuit quos sequeretur. Mitscherlichius ad Horat. Tom. II. p. 324. suspicatur carmen illud nominatum fuisse *Diomedeida:* vereor, ut recte! Certe Scholiastae *Διομηδείας* titulum tuentur, formatum ut *Ἡρακλείας*. Heynius in Excurs. I. ad Virgilii Aen. Libr. XI. Vol. III. p. 699. recte judicat illam *Diomedeam* Libris XII. scriptam esse ad exemplum eorum, qui reditus Achivorum (*Νόστες*) exposuissent. Conferatur etiam F. G. Welckerus in libro: *Der epische Cyclus oder die homerischen Dichter* p. 110. Hoc carmen num respexerit Horatius blande significans, illum majore plectro celebraturum esse Augusti reditum, in medio relinquam; sed de studiis illius poeticis minime dubitari licet, quamvis pertenuis ea de re fama ad nos perlata sit. Nec dubitasset, credo, Peerlkampius, si meminisset, hunc Triumviri filium nequaquam in patris castris, sed Romae in domo

et sinu Octaviae, novercae quidem, sed mulieris lectissimae, educatum fuisse et omnis liberalis doctrinae scientia instructum, et, id quod Horatio ipso teste satis cognitum habemus, tum temporis usu quodammodo et more receptum fuisse, ut, qui doctrinae et politioris humanitatis nomen et existimationem affectaret, poesi operam navaret versibusque scribendis aliquam famam consequi studeret. Ac quemadmodum, ut jam supra monuimus, verisimillimum est, ingenii ejus venustatem fuisse effectricem singularis gratiae, qua apud Augustum floreret, ita vix dubium est quin artis poeticae potissimum studia eum Horatio conciliaverint. Scimus enim Poetam Venusinum amasse congressus sermonesque doctorum praesertim juvenum, eique prae caeteris haud injucundam fuisse consuetudinem cum eis, qui in aula Principis viverent. Sufficiet commemorasse hic Julium Florum, Titium Septimium et Celsum, qui commemorantur in Libr. I. Epistola quinta. Magnum, quo Horatius cum illis conjungeretur, vinculum erat, quod eadem studia amabant et tractabant.

Atque eadem studiorum similitudo et sermonum litterarumque communio, alita procul dubio et aucta cum observantia et officiis multis, tum etiam consuetudine quotidiana, videtur mihi Horatium inter et Julum Antonium familiaritatem effecisse qua nihil posset esse conjunctius. Nam Horatium illo familiarissime usum esse, primum mihi jure videor vel ex eo colligere posse, quod illum v. 2. „*Jule*“ allocutus est. Subit mirari quî factum sit, ut idem amicus v. 2. *Julus* et v. 26. *Antonius* appellatus sit, nec temere Peerlkampius negat consuetudinis Horatianae esse, eumdem hominem in carminibus bis diverso nomine alloqui. Alia enim res est, ubi duo

nomina conjungit, ut Libr. II. od. 2. v. 3.: „*Crispe Sallusti;*“ od. 4. v. 2.: „*Xanthia Phoceu;*“ od. 11. v. 2.: „*Hirpine Quinti*“, licet in his quoque licentia quaedam compareat, quae utique poetis in Nominum Propriorum usu concedenda est. Verum tamen omnis difficultas evanescet, si caussam, ob quam Horatius in hoc carmine amicum suum ut binominem salutaverit, ex utriusque interiore necessitudine repetiverimus. Fuit *Juli* nomen, ut supra ostendimus, *ὑποκοριστικὸν,* familiari tantum sermone et usu domestico frequentatum. Eo nomine cum Horatius auderet illum alloqui in carmine, quod usui publico quodammodo destinatum esset, simul publice testatum fecit, quam familiariter hoc Augusti amico uteretur. Consulto illud posuit in principio carminis, subsequente demum v. 26. nomine gentilicio „*Antoni;*“ peramanter eum, illius anni Praetorem, allocutus est ut amicus senior amicum multo juniorem. Nam Julus Antonius, cujus diem natalem non priori anno quam a. U. C. 710. assignari licet, certe duobus decenniis minor erat quam Horatius. Nec tamen haec annorum aetatisque distantia existimanda est obstitisse et offecisse illi, quam dixi inter utrumque fuisse, necessitudini. Rem illustrant confirmantque ea, quae supra in Excursu I. disserui de C. Nonio Asprenate sive Torquato. Quid? quod haud incredibile est, Horatium de facie cognosse jam Julum Antonium primis aetatis annis, cum in Octaviae domo in spem suorum succresceret, eique adolescentulo ob liberales mores bonasque ingenii dotes studium aliquod et amorem impertivisse. Adde quod Poeta Venusinus, nuper quidem in M. Bruti castris miles et Triumvirorum adversarius, tamen de patre Juli Antonii non tam male quam exspectes existimasse videtur. Id

ut statuam, eo adducor, quod ille in Satiris et Epodis, quas et recens ex pugna Philippensi et aliquot annis post composuit, illi Triumviro, quamvis largam ridendi carpendique materiem praebenti, usquequaque pepercit. Non dixerim, metu id factum esse aut contemptu. A metu alienus erat is, quem in confesso sit Satirae aculeos strinxisse in Caesarem Octavianum ejusque amicos potentissimos. Et ne illum contemptui haberet, potuerat efficere ipsa illa ad Philippos pugna, in qua Antonius, re in summum discrimen adducta, insigniorem exprompsisset fortitudinem reique militaris scientiam, et, adepta victoria, multo majorem ostendisset in victos cives humanitatem, quam Caesar Octavianus, imbellis iste ac crudelis juvenis. Neque est quod suspicemur, M. Antonium immunem intactumque mansisse cavillationibus irrisionibusque, quod Roma perpetuo abfuisset itaque etiam subtractus oculis Horatii per illud temporis spatium vixisset, quo plurimas Satiras et Epodos ab hoc scriptas esse scimus. Quid enim caussae fuisse dicemus, ut ei etiam tum parceretur, cum a Caesare Octaviano devictus et ad necem compulsus esset, ut ejus flagitia et crimina, quae Romae satis nota essent ac divulgata, silentio transmitterentur et quidquid dedecoris ignominiaeque nomini Romano per illum illatum esset, in alios auctores derivaretur ac conferretur? Ejus rei testis diserta admodum ac certa est Epodos *nona*, quam apertum est compositam esse primo statim nuntio de victoria Actiaca Romam perlato. Ea inscripta est Maecenati, a quo, illius victoriae gratia, apparatissimum vult instrui epulum, quale instituerit,

Ut nuper, actus quum freto Neptunius
Dux fugit, ustis navibus,

Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis:

quibus in verbis quaesita inest acerbitas in Sext. Pompejum; sed flagitiosum M. Antonii dedecus versibus seqq.

Romanus, heu, heu! — posteri negabitis —
Emancipatus feminae,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest,
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium,

impingit exercitui, ac ducem, ut v. 7. Sext. Pompejum, ne obiter quidem memorat et Cleopatram tantum oblique tangit. Anno post cum de capta Alexandria, et voluntaria M. Antonii et Cleopatrae morte nuntius Romam allatus esset, composuit Libri I. odam 37., in eaque effusioris plenus laetitiae uni Cleopatrae insultavit, ne verbo quidem stringens Antonium, quamquam patriae, nominis, togae, fascium oblitus, ut ait Florus Libr. IV. c. 11. §. 3., totus in monstrum illud, ut mente, ita animo quoque et cultu desciverat. Quanta in utroque carmine oblata erat opportunitas insectandi istum hominem, qua tamen tam parum usus est Horatius, ut vel nomine ejus ac mentione abstineret, nedum ejus flagitia ac dedecora posteritatis memoriae traderet. Quod quidem consulto ab eo factum esse, quis est, qui infitias eat? Jam si ad hoc usque tempus pepercerat M. Antonio Horatius sive pudoris quodam sensu ductus sive admiratione virtutum ejus natura insitarum, quarum multo plures non posset non in eo animadvertere quam in Caesare Octaviano, dubium esse nequit quin, ex quo ab ejus filio, Julo Antonio, observari colique coeptus fuerit, haec ipsa ne-

cessitudo effecerit, ut in omnibus, quae posthac scripsit ediditque, carminibus illius memoriam multis foedatam probris redintegrare fugeret. Sic, ut alios omittam locos, Libri III. Oda 5. necessaria propemodum erat mentio cladis, quam M. Antonius a Parthis acceperat; sed prudens Crassi tantum milites dixisse videtur, ne instauranda facti temerarii et ignominiosi memoria Juli Antonii, amici sui, animum violaret. Haec Oda vulgo scripta esse putatur a. U. C. 734., quo sane anno Phraates, Parthorum rex, Augusto in Syria versanti captivos et signa Romana restituit. At cum principium carminis doceat, Augustum Romae tum praesentem fuisse, hunc autem constet anno post demum ex Asia reversum esse, necesse est illud a. U. C. 735. compositum esse dicamus. Eo autem tempore Julus Antonius, circiter quinque et viginti annos natus, sine dubio jam dudum cum Horatio familiaritate et usu conjunctus vixerat.

Haec mihi visum est perscribere de *Julo Antonio*, M. Antonii Triumviri filio et Horatii amico, non tam quo historiae antiquae partem graviorem caeteris aut obscuriorem illustrarem, quam ut ea, quae ante multos jam annos breviter strictimque dixeram de Horatii propenso in hujus amici patrem animo studioque, uberius explicarem ac, quoad ejus fieri posset, confirmarem.

A d d e n d a.

I. Ad Comment. *de L. Vario Poeta* §. 11. N. 56. p. 64. Qui nuperrime Carmen Panegyricum ad Calp. Pisonem, C. Barthio et Oudendorpio praeeuntibus, vindicare studuit *P. Papinio Statio* et separatim Onoldi 1835. edidit C. Beckius, v. 226. *gestu* et v. 227. *alta tonantis* retinuit.

§. 14. p. 88. Cum eis, quae ibi de *Plotia Hieria* ex Donati Vit. Virgilii c. V. §. 20 sq. attuli, conferri meretur Pomponii Sabini scholion, quod edidit W. H. D. Suringar in Historia Crit. Scholiastarum Latinor. (Lugd. B. 1834.) P. II. p. 210. Pomponius enim ad Virgilii Eclog. II. v. 14. „tristes Amaryllidis iras“ haec adnotavit: „*Amaryllida fuisse Plotiam* (sic leg. pr. *Plitiam*) *Hieriam ajunt, cum qua vulgatum fuit poetam coisse. Sed Pedianus Asconius scribit, illam affirmasse juramento, invitatum Virgilium ab Alpheno Varo* (?) *ad talem libidinem pertinacissime recusasse.*“ Ea hausta esse videntur Suringario Not. 2. ex Donati Vit. Virgilii §. 21.

II. Ad Comment. *de Cassio Parmensi* §. 4. p. 192 sqq. *Cassium Severum* Oratorem Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 161. libertum Cassii cujusdam fuisse suspicatur. Quae suspicio vereor ut a multis approbetur!

§. 6. p. 208. Horatium in Epod. VI. insectatum esse *Cassium Severum* Oratorem, docte subtiliterque demonstravit etiam C. Passovius in Vit. Horat. N. 183. p. LXXII sq.

§. 9. p. 230 sq. *Cassium Parmensem* diversum esse ab *Cassio Etrusco*, censet etiam Drumannus in Histor. Rom. Tom. II. p. 161.

§. 10. p. 232. Quae ibi de tempore disputata sunt, quo scriptas esse arbitror ab Horatio Odam illam et Epistolam ad Tibullum, multum sane discedunt ab eis quae nuperrime proposuit Ludolph. Dissenius in Disquisit. de Vita et Poesi Tibulli, praefixa

Edit. Tibull. Tom. I. Gotting. 1835. Non est hujus loci, sententiam amici doctissimi examinare! Quae de *Lygdamo* et *Neaera* scripsit, ea mihi plane persuasit: *Neaera* nullo pacto esse potest *Delia* sive *Plania*. Sed argumenta, quibus negat *Glyceram* apud Horatium habendam esse pro *Nemesi* Tibulli, nondum eam apud me habuere vim, ut me poeniteat Fr. Passovii sententiam et probasse et confirmasse. Idem Passovius olim mecum per litteras communicavit, Virum doctum, qui *Deliae* nomen ita a δῆλος ductum putaret, ut *Planiae* a *planus*, et illud hujus translationem Graecam esse, fuisse *Carolum Reisigium*, Thuringum illum.

§. 11. p. 242. Ex Dissenii Disquisit. I. p. XXIX. mihi innotuit, Virum doctum, *Oebeke*, in Gymnasio Aquisgranensi litteras antiquas tradentem, in Programmate a. 1832. probare studuisse, elegias Tibulli Libri III. esse Cassii Parmensis, et hunc multis in locis a Tibullo expressum esse. Libellus ille cum mihi nondum visus lectusque sit, non habeo quod de ista conjectura dicam, nisi quae Dissenius admonuit: „Vix tamen cuiquam hanc opinionem persuaserit!"

p. 367. *Jo. Nic. Madvigii* Prolusio Academ. Hafn. 1829., quam passim in hoc opusculo laudavi, repetita et aucta nunc reperitur in Viri eximii Opusculis Academicis, quae perdoleo in manus meas tam sero pervenisse.

INDEX SCRIPTORUM,

QUI VEL ILLUSTRANTUR VEL EMENDANTUR.

T

V

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

D

E

H

J

Q

V

Von **J. M. Gebhardt** in **Grimma** sind noch folgende schätzbare Werke durch jede Buchhandlung zu beziehen:

Drumann, W., historisch-antiquarische Untersuchungen über Aegypten, oder die Inschrift von Rosette. 8. 1 Thlr. 4 Gr.

Geschichte der Araber in Sicilien und Siciliens unter der Herrschaft der Araber. In gleichzeitigen Urkunden von diesem Volke selbst. Aus dem Italienischen übersetzt von P. W. Hausleutner. gr. 8. 4 Theile, mit einer Karte. 4 Thlr. 20 Gr.

Görres, J., Altdeutsche Volks- und Meisterlieder. Mit einem Titelkupfer, Frauenlob's Grabmahl darstellend. gr. 8. 2 Thlr.

Gotthold, Fr. A., kleine Schriften über die deutsche Verskunst. gr. 8. 1 Thlr. 4 Gr.

Gutmann, Dr. K., Quintilian's Anweisung zur Beredsamkeit, Zehntes Buch, lateinisch und deutsch, nebst Einleitung und einem Apparat von den vorzüglichsten Lesearten und einigen sprachlichen Erklärungen. gr. 8. 18 Gr.

Horst, Dr. Georg Conrad, Deuteroskopie, oder merkwürdige physische und physiolog. Erscheinungen und Probleme aus dem Gebiete der Pneumatologie, für Religionsphilosophen, Psychologen und denkende Aerzte. 2 Theile. gr. 8. 2 Thlr. 12 Gr.

Kutzen, Dr. J. A., Pericles als Staatsmann während der gefahrvollsten Zeit seines Wirkens. 1834. 8. 1 Thlr. 3 Gr.

Lips, Dr. Alex., Statistik von Amerika, oder Versuch einer historisch-pragmatischen und raisonnirenden Darstellung des politischen und bürgerlichen Zustandes der neuen Staaten-Körper von Amerika. Mit 1 Karte. gr. 8. cart. 1 Thlr. 12 Gr.

Luther's, Dr. Martin, Briefe an Albrecht, Herzog von Preussen, von den Originalen in dem geheimen Archiv zu Königsberg, mit erklärenden Anmerkungen herausgegeben von Faber. Nebst einer Vorlesung über den Geist und Styl Luthers, von L. C. Borowski. 8. 14 Gr.

Wallace, R. G., Denkwürdigkeiten Indiens, enthaltend eine kurze geographische Beschreibung von Ostindien, nebst einer gedrängten Geschichte Hindostans, von den frühesten Zeitaltern bis an's Ende der Marquis Hasting'schen Verwaltung im Jahre 1832. Aus dem Englischen von Rhode. gr. 8. 1 Thlr. 12 Gr.

Weichert, M. Aug., de Imperatoris Caesaris Augusti scriptis eorumque reliquiis. Commentat. I. 12 Gr.

